7
16-F
43

7
4 I
25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

36
b

7-16-F-43.

Coll. Rom. Soc. Jesu cat. inscr. B. S.

DECLARATIO VERA QVIBVS DE cauſsis Ordines Ciuitatis Gedanenſis cum Sereniſsimo Principe ac Domino Dño STEPHANO Rege Poloniæ &c. aduerſariorum ſuorum impulſu, iampridem in eam, quæ nunc etiam durat, controuerſiam pertracti ſint.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pro innocentiæ ſuæ rationibus, & *ipſius negocij circumſtantijs palam demonſtrandis in lucem edita.*

GEDANI: (Dantzick)
Anno Dñj M. D. LXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Johannes Ther Beck

OMNIBVS AC SIN-
gulis, harum literarũ noti-
ciã habituris, inuictiſsimis,
ſereniſsimis, reuerẽdiſs: il-
luſtriſsimis, illuſtrib. magni-
ficis, ac generoſis, Chriſtianę profeſsionis
Cæſaribus, Regibus, Electoribus, Prin-
cipibus, tam Spiritualibus quã ſeculari-
bus, Prælatis, Palatinis, Comitibus, Ca-
ſtellanis, Baronibus, Dominis clemẽtiſ-
ſimis, gratioſiſsimis, gratioſis, ac plurimũ
honorãdis, necnõ Præcõſulibus, Conſu-
libus, Ciuitatibus, Statibus, ac Ordini-
bus, amicis, vicinis, Fæderatis, ac cæte-
ris quorum quoquo modo intereſt, Ser-
uitiorum ac obſequiorũ noſtrorum ſtu-
dia paratiſsimis animis, humilimè, ſubie-
ctiſsimè, demiſsè, reuerẽter diligenterq;,
pro cuiuſuis ordinis conditione deferen-
tes, notum teſtatumq; facimus Nos Prę-

conſules, Conſules, Scabini, Centumuiri, totaq; Cõmunitas Ciuitatis Gedanenſis, quod cum (proh dolor) hoc afflictiſsimo temporum ſtatu, dubio procul inſtĩctu mali Dæmonis, qui ſemper odit pacem, et adminiſtrorum eius opera, quibus mero quodam odio complures iam annos vnum illud maximè curę fuit, quo Ciuitatem hanc ex feliciori ſuo ſtatu, in perniciem & ſeruitutẽ conijcerent, Nos cum Sereniſsimo Potentiſsimoque Principe ac Domino, Dño Stephano Rege Poloniæ, Magno Duce Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſsiæ, &c. Dño noſtro clementiſſimo, in id genus controuerſiæ deueniſſemus, qua nobis aduerſarij noſtri, non ſolum rebellionis & perfidiæ (quod vtrumque longiſsimè ſemper à nobis abfuit) notam inurere conarentur, Verumetiam eorundem conſilijs, ſtylo proſcri-

ptionis

tionis illegitimo perculſi fuerimus, mox Ciuitatis poſſeſsiones, ſpoliatæ, deuaſtatæ, exuſtæ, Subditi hoſtiliter afflicti, nunc verò tandem appareat, vim armatam manifeſtè nobis intētari, nec ab extremis temperatum iri: quantumuis honeſtas & luculentas conditiones propoſuerimus, nec quidquam, quod ad officij, fidej, vel æquitatis rationem faceret, detrectauerimus, neque nunc detrectemus: Nec his iniurijs aduerſarij contenti, famam inſuper & exiſtimationem noſtrã indignis planè modis paſsim traducere, homines oẽs, ac inprimis Status & Ordines inclytj Poloniæ Regni magis ac magis aduerſum nos exacerbare, quæcunque demum hactenus à nobis animo nec malo nec infideli propoſita, dicta, vel ſcripta ſunt, in deteriorem partem interpretari nõ adhuc intermittãt: Idcirco

 neceſsi-

neceſsitatẽ omnino nobis impoſitã animaduertimus, rerum harum rationes & circumſtantias, vnde primum ortæ, quò progreſſæ, quib. modis tractatæ, quę nobis interea difficultates obiectæ fuerint, per quæ tandẽ impedimenta ſteterit, quo minus pacificè iamdudũ componerẽtur, quod ipſum literæ, ſcripta, cõditiones, reſponſa, quãtum illorum hoc loco ſat eſt, verbotenus abundè teſtantur, in publicũ edendi: Præſertim, quod in his actionibus pertractãdis, Internuncij noſtri Torunium ad Comitia miſsi, in Regiæ Maieſtatis conſpectum, vt coràm Ciuitatis melius expedirẽt negocia (niſi poſtremò ferme ſemel) quanquã ſæpius nobis humilimè ſupplicantibus, haudquaquã fuerunt admiſsi, quod nec alienis à nomine Chriſtiano Turcis & Tartaris negatum meminimus. Ex ijs ergo q̃ deinceps in

mędium

mediũ afferemus, ſuo quibusq; loco, nemo nõ & innocentiã noſtrã, & aduerſariorum conatus & conſilia, facilimè poterit intelligere. Teſtamur autem liquidò publiceque, nos nihil harum rerum ipſi Regiæ Maieſtati, ne minimò quidẽ acceptũ ferre, nec ignoramus enim, ad Eandem Ciuitatis huius rationes, non ſemper eo quo per ſe modo fuerit, eſſe relatas: nec iſthæc animo certè Regiam Maieſtatem offendendi ſcribimus, ſed innocentiam ſaltem noſtram apertius tam ipſi Regiæ Maieſtati (quandoquidem id alia via nõ licuit) quàm in vniuerſum omnib. demõſtrandi gratia, nec non honorem & exiſtimationem publicam, vti viros probos decet, contra tot improbabiles malorum hominum calumnias et iniurias, honeſtis rationibus aſſerendi.

Principio

PRincipio, nemini iam incognitum eſt, quibus initijs anno ſuperiori, Regni Poloniæ coniunctarumque prouinciarum Status & Ordines, in Comitijs noui Regis creandi cauſſa cõdictis, in diſsidium iuerint. Quo tempore Ciuitas hæc, cum cæteris vnà Terrarũ Pruſsiæ Conſiliarijs, pro iure ſuo; quo ad noui Regis electionem vocantur, ſuffragium ſuum, in sereniſsimam familiam Auſtriacam, tandem etiam ipſius Cæſareæ Maieſtatis perſonam, auguſtiſsimæ recordationis, contulit, ac in eodem voto, licet ſententijs in partes diductis, quamdiu rerum honeſta ratio iubebat, conſtanter perſeuerauit. Poſteaquam autem Sereniſsimus Princeps, qui nunc rerum potitur, Dominus noſter clementiſsimus, regnum obiuiſſet, ac fermè cæteri ſtatus omnes ſubiectionis fidem in eius verba profiterentur, nihil tùm nobis aliud ex fide noſtra faciundum putauimus, multò verò deinde magis, quando diem ſuum functa Cæſarea Maieſtas humano iure ceſſiſſet, quàm vt ex præſcripto vetuſtiſsimæ Coniunctionis Maiorum noſtrorum cum inclyto Poloniæ Regno, à qua ſecedere nunquam in animum induximus, Sereniſsimo Regi coronato, fidem & ſubiectionem, ſaluis ſanè cum Terrarum, tum noſtris ſpeciatim iuribus, Priuilegijs, & libertatibus, debita cum obſequẽdi ſtudio deferremus. Vti hoc ipſum Conſiliarijs & Statibus harum Terrarum, nõ ſemel

ſemel in publicis Conuentionibus verbis & literis abundè ſignificauimus. Quinetiam ipſi Regiæ Maieſtati ſimul & ſemel eodem cum alijs tempore ſubiectionem & obedientiam offerre decreueramus. Verum iam tum ab initio varijs machinationib⁹ res omnes aduerſus Ciuitatem vehementer adeò fuerunt exacerbatæ, vt Internuncij & Secretarij noſtri, ne quidem in communi Terrarum Senatu ab iniurijs verborum, & minis inſolentibus, nec in itinere poſtea publico ſatis à periculo fuerint immunes ac ſecuri (quanquam nihil aliud in commune pro virili conſuleremus, q̃ cum vt publica ſubiectionis teſtificatione, patriæ quoque, ſingulorumq́; Statuum Priuilegijs & libertatib. comprimis rectè caueretur) nedum vt in ea rerum perturbatione, de cæteris certi quippiam, vel ſecundi vel aduerſi, tutò nobis eſſet conſtituendum.

QVanquam autem Sereniſſima Regia Maieſtas Regno iam inaugurata, Secretarium ſuum generoſum Nicolaum Kuſſobutzkj Notariũ Plocen: cum literis & mandatis ad nos ablegaſſet, qui die quarta menſis Iulij ſuperioris anni Septuageſimi ſexti quæ in commiſſis habebat Ordinibus Ciuitatis expoſuit: Tamen, quoniam tum temporis nõ ſolum Status Terrarum Pruſsiæ, de publicis inter ſe rationibus non æquè conuenirent, neq; de priuilegijs & libertatibus cõmunis patriæ (nedum de eo, quod adhuc in viuis agente Cæſarea Maieſtate, quæ Poloniæ Regnum iam acceptauerat, iuramentum præſti-

 terat,

terat, literas vniuerſales promulgauerat, expectandum erat) ſatis cautum eſſet:

Verumetiam perendie poſt, dum de reſponſo deliberaremus, nunciaretur Cæſareæ Maieſtatis Legatum generoſum dominum Henricum Kurtzbacchium Baronem, dum iter huc facit, in via publica ab Erneſto VVeiero circumuentũ, tribus globis tormentarijs vehementer vulneratum, literis, auro, argento, pecunijs, cathenis etiam aureis, quæ partim eius comitibus detractæ fuiſſent, præter opinionem hoſtiliter ſpoliatum, & certa vadimonij formula cõſtrictum: Quibus rumor etiam accedebat Torunio perlatus, quo pacto Ciues in portis excubias agentes, à quibuſdam Polonis vim paſſi, primo verborum iniurijs mox etiam verberibus affecti, & in ea turba ex Ciuibus vnus Sigiſmundus Reſe globo peremptus, & alia ſanè inciuiliter acta fuiſſent: His de cauſsis, cum iam in propatulo poſitum videretur, quàm res omnes inconſueto more agi paſsim inciperent, haud immeritò nobis cogitandum erat, nunquid ad eam Legationem præ manu reſponderemus, eòque magis adducti fuimus, vt Internuncio dimiſſo rem ad vlteriorem deliberationem eorum ad quos nobiſcum ſimul pertinebat, proferremus, quod ex ſequentibus longè fuſius cognoſcetur.

Literæ

Literæ fidei quas Nicolaus Koſſobutzkj *Ciuitatis Gedanenſis Ordinibus exhibuit.*

Stephanus Dei gratia Rex Poloniȩ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Kyouiæ, Volhyniæ, Tranſiluaniæ Princeps, &c.

SPectabilibus & Famatis Burgrabio, Proconſulibus, Conſulibus, Scabinis, Centumuiris, totiq́ Communitati Ciuitatis noſtræ Regiæ Gedanenſis fidelibus nobis dilectis Spectabiles fideles nobis dilecti. Commiſimus Generoſo Nicolao Koſſobutzki Notario terreſtri Plocenſi, & Secretario noſtro nonnulla cum Fid: veſtris nomine noſtro agere Quamobrem volumus, vt illi omnibus in rebus fidem adhibeant. Quicquid autem nobis Fid: veſtræ hac in re ſtudij declarabunt, id nobis gratiſsimum erit, dabimusq́ operam, vt noſtrum quoque fauorem erga ſe Fid: veſtræ experiantur. Datum in Blonie die xj. Menſis Iunij, Anno Domini M. D. LXXVI. Regni noſtri Anno primo.

Stephanus Rex.

Legatio eiuſdem ex Idiomate *Polonico tranſlata.*

CVm Sacra Regia Maieſtas ſingulari prouidentia & voluntate DEI opt: Max: in ſoliū Regale inclyti Poloniæ Regni collocata fuiſſet, atque ſecum reputaſſet, quale talentum ſibi creditum eſſet, Salute Reipub:

B ij huius

huius Regni nihil antiquius nihil potius habuit, Cuius baſis ac fundamentum cum ſit ciuium cõcordia, omnem dat operam cumq́ quaſi ſcopum propoſitum habet, vt diſſidẽtes hominum voluntates componat, & diſtracta membra ad vnitatẽ corporis reducat. In quo ſancto planè ac nunquam ſatis laudato propoſito, ſi quis Maieſtatem eius adiuuet, & non tantum ſuas ſed aliorum etiam cogitationes eò conferat, is rem gratiorem & perpetua commemoratione digniorem Maieſtati eius præſtare non poteſt. Et cum Maieſtatem R. non latuiſſet, quid in conſilio terrarum Pruſſiæ, tam in Noua ciuitate, quam Culmæ etiam actum fuiſſet, quod nimirum illa conſilia quæ pernitiem ne dicam interitum prouinciæ huic minabantur poſtpoſuerint, & ea cæperint atque explicauerint, in quibus Salus Regni Poloniæ & harum Terrarum poſita eſt, hoc eſt, coniunctionem & concordiam amplexi fuerint, & Maieſtatem Regiam Regem & Dominum ſuum profeſſi ſint. Hoc vbi Maieſtas Reegia cognouiſſet ſummopere letata eſt & DEO gratias egit, non ducta nimia imperandi vel libidine, vel inimicorum aut minis alicuius territa, cum Sceptrum Regni Poloniæ non vſq́ adeo ambiuerit vnquam, cui vires ad ſe, Regnumq́ ſuum tuendum ſufficiunt. Sed quod DEVS illius Maieſtati ad propoſitam huius Regni adminiſtrandi rationem, pro diuina ſua volũtate viam ſterneret, vt benignitate potius q̃ ſeueritate ſubiectos ſibi regat populos. Verum vbi viciſſim

ciſsim audiuiſſet D. veſtras tam in conuentu Nouen̄ quā Culmæ quoque dilationibus quibuſdam laboraſſe, mirari ſatis non potuit, quod D. veſtræ conſenſu omnium Ordinum ac prouinciarum repudiato, aliud aliquid, à cæteris differens, præſumere conſtituiſſet: Idq́ eò magis admirata eſt, quod D. veſtræ non ita pridem, cum laniorum cauſa tractata fuiſſet, receperint, ſe cum reliquis ſtatibus & prouincijs communem concordiam & coniunctionem culturas eſſe. Eamq́ ob rem Maieſtas R. vti principem prudentem & ſapientem decet, qui videt ſi alicui alteri huic præcipuè ciuitati pace, quæ ſine cõmuni coniunctione conſiſtere nulla ratione poteſt, opus eſſe, per me D. veſtras hortatur, vt tuta conſilia amplectantur, communem concordiam colant, & cogitationes de alio Rege, tanquam DEO contrarias & Reipub: nociuas abijciant. Conſiderent D. veſtræ, quod Regna & imperia non humana ſed diuina voluntate conferantur. Si quid ea in parte humana ratio vel ars potuiſſet, potuiſſet in domo Auſtriaca. Sed non eſt hominis ea dare, Dominus eſt per quē Reges regnant, cui ille vult Sceptrum confert, quodq́ ita collatum nulla ratio, nulla vis hominis ex manu eius eripiet, quemadmodum certum eſt neminem præter DEVM id Maieſtati eius dediſſe. Et quod nam poteſt eſſe certius inditium & teſtimonium diuinæ voluntatis ſupra illud, quod in conceſſione huius princip is oſtendere dignatus eſt? Non hîc vobis in memoriam reuocabo, quid in

 electione

electione actum fuerit, Non quod alij Legatos cũ authoritate, hic parui reſpectus miſerit, Non etiam quod alius ſibi vel filio Regnum, Hic vero prius domui Auſtriacæ, deinde ſibi optauerit, Non horum mentionẽ faciam, ſed hoc ſolum rogo conſiderate, & voluntatem manifeſtam DEI perſpicite. Cæſari Vienna Cracouiam vſque ſaltem quinquaginta erant conficienda milliaria, huic centum ſeptuaginta, nihilominus hic aduenit, & ille ad hoc vſq; temporis ſpacium domi ſedet. Cum hic iam fines Regni Poloniæ attigiſſet, Cæſar primum in propoſitas conditiones iurauit. Hic iam Regni diademate inſignitur, cum alter comitia edicit ad exquirenda conſilia mendicandaq; auxilia. Vnde quæſo huius celeritas illius vero mora profecta eſt, quam ex voluntate diuina, quem Dominus regnare voluit, huic ſenſus, cor, & reliqua ad gubernationem neceſſaria iam pridem præparauit, & viam certam ſtrauit. Quem vero reprobauit huic & ſenſus & cor ademit, & omnibus neceſſarijs priuauit. Paruum ne igitur id diuinæ voluntatis teſtimonium eſſe iudicatis? Perpendite aliud non minus. Venit in Regnum non tantum varijs hominum voluntatibus, ſed etiam inteſtinis diſsidijs diſtractum, quomodo nihilominus omnia ex voto ſuccedant, quemadmodum ipſe Dominus viam conſtruxerit videtis, Quod enim alij Reges vix magnis artib⁹ conſecuti ſunt, id huic vltro, ſine aliquo labore, obtigit, Contributionis exactio permiſſa, Cõmunis militia laudata, &

amborum

amborum diſpoſitio eius poteſtati permiſſa eſt. Adhæc, qui antea ipſi aduerſabantur, quomodo ſe ei ſua ſponte adiugauerint, vt de quibus exiſtimatum fuerat, quod nō niſi vi à propoſito abducendi eſſent, ſola fama prudentiæ & bonitatis illius victi, fidem & obedientiam illi deferant. Iam Archiepiſcopos Regem & Dominum illum agnoſcit. Iam Marſchalcus Regni baculum in ſignum adeptæ gubernationis præfert, Iam hic publicatione, is nominatione deceſſit, Iam Epiſcopus Plocenſis, Iam Palatinus Rauen: in verba Regis iurarunt, Iam etiam Lithuanorum proceres obedientiam & fidem ſuam Maieſtati Regiæ die Iouis proxima detulerunt, Status quoque Terrarum Pruſſiæ eadem ratione Legatos ſuos ad Regiam Maieſtatem mittunt. Conſiderent igitur D. veſtræ, num hic Princeps à DEO huic Regno datus ſit? Quam verò difficile ſit conſilium Domini mutare ipſa ratio docere poteſt. Et ſi quis huic tam apertæ prædeſtinationi diuinæ acquieſcere noluerit, ſed ſuæ rationi plus tribuere, & maiora cōmoda ex alio quam hoc principe huic Regno ſperare voluerit, illum ſaltem rogo dicat mihi, quis potior habendus ſit, núm hic qui ſubditorum, vel is qui proprium cōmodum ſpectat. Non credo illum tam futurum inſipientem, vt non magis hunc quam alterum laudet. Cōferant D. V. ambos, Cæſarem cum Maieſtate Regia Dn̄o noſtro clemētiſs: vter illorum ſubditis, vter vero ſibi ipſi cōſulat, Ambo fuerunt electi, ambo nominati & publicati, ambo

ſtudia

ſtudia hominum ardentiſsima habuerunt, Conferant, inquam, D. veſtræ, cuius partis ſtudia & labores à ſuo nominato compenſati fuerint. Sacra Cæſarea Maieſtas amicitijs & coniunctionis neceſsitudinibus nemini ſecundus, non ita pridem tot exercitus equitum, tot legiones peditum, tot milliones aureorum ſuis promiſerat, & magnificis promiſsis multorum animos aliàs mites & humiles inflauerat, Sed quid præſtitit, vel quantum lucri vobis qui eius partes ſecuti eſtis additum fuit? Expectationem veſtram, Expectationem, inquam, veſtram fruſtratus eſt, ſpem omnem irritam eſſe iuſsit. Vos cum ſtatibus Regni implicatos derelinquit & ſuo compendio ſtudet, nihil penſi habens quid D. V. fieri debeat. Quare? Quia non ſtudio D. veſtrarum, ſed ſuo & poſterorum Regnum ambiebat, Quòd vero cum non tam facilè, quemadmodum exiſtimauerat, illi obtingit, plus ſibi quam D. veſtris conſulit. Neque credite hos Vicariolos, qui ita ad vos curſitant, boni aliquid adferre, Nihil aliud ille quærit, quam vt D. veſtræ, magnificis illius promiſsis, quæ tam certa nunc ſunt, quam priora fuerunt inducti, à proprio ſuo Domino, hoc eſt Rege Poloniæ & Regno diſſentiant, & nos ea ratione cõmiſſos & inteſtino bello debilitatos Moſci libidini exponat & diſtrahat. Hæc ſunt illa fœdera quæ nouo & inuſitato Germanis modo cum Moſco ſanxit. Hæc illa Moſci literarum contenta, quæ D. V. ignari malorum veſtrorum auidiſsimè legiſtis.

ſtis. Sunt ne hæc Principum Chriſtianorum facta, imperia malo ſubditorum quærere, & iter niſi prius ſanguine ſuorum maduerit ingredi nolle?

E diuerſo vobis ab oculos ponite facta Maieſtatis Regiæ Domini noſtri clementiſs: Qualem ſe is ſuis exhibuerit, cum tantum fuerit Tranſyluaniæ Palatinus, & quemadmodum quidam ſcripſerunt Cæſari inferior, Nihilominus magnanimus heros ſtudijs ſuorum non defuit. Quamuis magnæ difficultates voluntati illius & diligentiæ allatæ ſint, aditus vndiquaq; conciſus & pſeptus, Ac metus tam à Romano Imperio quam vniuerſo Chriſtiano orbe incuſſus fuerit: tamen pectus eius generoſum, neque difficultates, neque viarum præſeptiones, neque pericula, neque metus à propoſito abducere potuerunt, quo minus ſuis adeſſet, Omnia, reſpectu iſtius beneuolentiæ, quam illi Regnum Poloniæ exhibuit, flocciſecit, Reliquit inſignem principatum ſuum, pericula adire non dubitauit, & honeſtam famam quam quidquã aliud excitare maluit, valetudinem & omnes facultates ſuas ad eorum defenſionẽ attulit, qui ſuam viciſsim valetudinem & bona ad illius augendam dignitatem contulerunt, Atque, cum in ſolio Regali admiranda DEI prouidentia deſediſſet, nihil aliud quã cõmodum Reipub· ſpectauit, Non vt nos diſtrahat, ſed ad vnitatem potius reducat, omnem adhibet operam, non vt diſpergat, ſed colligat & alat, Licet quidã exiſtiment nimis aſperè quoſdam tractatos fuiſſe, cùm

C *Maieſtas*

Maieſtas R. in eo prudenter medicos imitata fuerit, qui contra ingentem vim morbi & venenata aliquando porrigunt pocula. Salutaria hæc fuiſſe cõſilia Salus ipſa Reipublicæ declarabit. Non hoc reprehendit in quoquam aut punit Maieſtas R. quod in electione ipſi aduerſatus fuerit, Nouit enim in Republica libera liberas eſſe debere voces, Sed hoc pœna dignum eſſe iudicat, ſi quis in Regem coronatum & in Solium Regale collocatum aliquid molitur, Maieſtatemq́ eius Sacroſanctam prauis oppugnat conſilijs. Optaſſet Maieſtas R. vt inſtituta animi moderatione ſibi vti licuiſſet, ſed hanc cauteriorum acritudinem Salus ipſa patriæ ab eo exigebat.

Quamuis D. veſtræ maximum moderationis illius argumentum inde colligere poſſunt, quod, licet Legati Regni aliquoties rebus infectis diſceſſerint, licet non ita pridem Graudenti Ampliſſimo Regni Senatori & Legato Maieſtatis Regiæ nõ ſatis aptè reſponſum fuerit, (quare non paucos offenſos fuiſſe conſtat) nihilominus Sacra Regia Maieſtas tanquam benignus Princeps, plus tempori & Saluti Reipub: quam cuiuſquã affectibus concedere & indulgere velit. Nihilominus ad D. veſtras iterum atque iterum mittit, & hortatur vt ſaniora & tutiora amplectantur conſilia. Nouit Maieſtas Regia opes D. veſtrarum & facultates in cõmercijs & mercimonijs potiſſimum poſitas eſſe, quæ ambo pacem requirũt, q̃ Sacra Regia Maieſtas D. veſtris offert, ad illam pacem inuitat,

cum

cum ad concordiam atque vnitatem vocet. Ferat igitur qui volet iudicium, vter inter hos laude dignior; Num is, qui in ſe beneuolos ſeduxit, & in periculum valetudinis atque omnium facultatum nonnullos coniecit; & qui nihil aliud quam ſimultates & diſsidia quærit, quæ interitus comitatur. An is, qui nec valetudinem nec facultates ſuas aliquid eſſe voluit, ſtudio et amore eorum, qui ſuam in eum beneuolentiam contulerunt, qui concordiam & coniunctionem inter ſubditos quærit, quam pax, pacem vero diuitiæ & cõmune bonũ ſequuntur. Poſſem hic, & fortaſsis nõ abs re, inferre dotes Sacræ Maieſtatis Regiæ, quam ſit Princeps pius, prudens, doctus, in rebus equeſtrib. exercitatus, iuſtus, benignus, comis, & ad omnes explicandas actiones facilis, ita vt mirabile quiddã & ſingulare natura finxiſſe, & veterum illorũ Imperatorũ exemplar exhibere voluiſſe videatur. Sed tacere malo quã non ita dicere, quemadmodũ id inſignes illius dotes expoſcere videtur, Hoc ſaltem cõmemorabo, quod inſignis ille philoſophus Plato tradidit, Tunc bene cum Rebuſpubl: agi, cum ſumma prudentia, ſumma iuſtitia, ſummaq; popotentia in vnum locum conuenerunt. Eſt quod Deo gratias agamus, quod poſt tot labores, poſt tot pericula, poſt tot denique Reipub: noſtræ naufragia, nobis eum dederit Principem, qui præclaris iſtis virtutibus ornatus, cõmodè Rempub: noſtrã recreare, & priſtino nitori reſtituere poterit. Atq; non tantũ fortè Polonia, ſed vniuerſus Chri-

nus orbis meritò ſibi gratulari debebat, quod talis ad gubernacula Reipub: noſtræ, q̄ antemurale eſt totius Chriſtianitatis, ſedeat, qui inimicis Crucis Sanctæ, modo illi artes bonorum noſtrorum Chriſtianorū non noceant atq; officiant, quolibet tempore terrori eſſe poſſit. Et cum talem habeamus principem, quid aliud ſubditis quam pax q̄ omne bonum ſperandum erit? Queruntur D. veſtræ de violatione iurium & aliarum libertatū, At hic princeps prudens eſt, facilè iniurias propulſare poterit, Iuſtus eſt, facilè ius ſuum vnicuique tribuet. Quemadmodum etiam Sacra Regia Maieſtas hoc vobis ſignificari voluit, Quodcunque ad vtilitatem Reipub: & ornamenta prouinciæ iſtius pertinere viſum fuerit, in eo facilem Maieſtatem Regiam futuram eſſe, tantum D. veſtræ & præſumptam opinionem, funditus ex corde et cogitationibus ſuis extirpent atque eijciant, & fidem & obedientiā Sacræ Maieſtati Regiæ conſtanter referant.

Nota eſt D. veſtris ſocietas & cōmercium Polonorum, & ſcitis quantum inde boni ad vos peruenerit, non aliunde omnis fœlicitas, non aliunde diuitiæ quā ex Polonia, Inde iura, libertates omnes promanarunt. Noſtis etiam fortaſſis & legitis, quam ſeruitutem Maiores veſtri ſub aliorum cōmercio & ſocietate paſſi fuerint, Illis itaque conſtanter adhærete, qui vobis omne bonum attulerunt. Et ab illis vobis cauete, qui vobis omne malū conciliarunt. Facile admodum facile Cæſar, Domini mei,

in

in aliquē ex Cruciferis tranſmutari poterit. Vos qui Iura Cæſarea legitis noſtis quid ſit ius poſtliminij. Non fruſtra Imperium Romanum Pruſſiæ Magiſtrum alit, Quam primum in Cæſaris poteſtatem perueniret Pruſſia, illi cederet & redderetur, Cum quo omnia veſtra iura, immunitates, donationes, libertates conciderent, & ex his Terris extirparentur. Sed dato à Cruciferis nullum eſſe periculum, quod tamen abſque difficultate nullatenus fieri poterit, cum Cæſar ſine viribus Imperij Regnum non inuadet, ſi verò auxilia Imperij habiturus eſt, iam ius poſtliminij locum habebit, Sed quamuis (inquā) hoc vobis non ſit metuendum, tamen totius negotij ſeriem diligēter expendite, & facilè deprehendetis, Cogitationes aliò conuertere, de alio principe cogitare eſſe rem & indecoram et periculi plenam, Cum vniuerſum Poloniæ Regnum, Magnus Lithuaniæ Ducatus & Terræ Pruſſiæ in eum Regem conſentiant, & vna mente ac voce Dominum ac Regem ſuum profiteantur. Et D. veſtræ iuramentū dederunt non tantum Regi Poloniæ ſed etiam Regno. Et præterea Regni Poloniæ vos membrum eſſe faſſi eſtis, ita vt reuniti, reincorporati, reinuiſcerati, & in vnum corpus redacti eſtis. Qomodo quæſo cogitationes veſtras alio conuertere poteritis ſine defectionis aut rebellionis nota? Inprimis vinculum illud iuriſiurādi rumpent, quo fidem ſuam adſtrinxerunt, quod fideliter atque conſtanter velint adhærere Poloniæ Regno. Rumpent illam reunitio-

 nem,

nem, reincorporationem, reinuiſcerationem, q̄ cum Poloniæ Regno ſanxerunt, Ad nihilum redigentur omnia iſta verba, quibus omnia iſta parata ſub fide & honore noſtris colligata ſunt, Ita ne omnem Maiorum veſtrorum ac veſtri etiam memoriam abijcietis, & iuramenti vinculum tam parui facietis? Sciunt D. veſtræ famæ nihil eſſe melius, nihil precioſius. Sciunt etiam DEVM periuria ſeuerè punire, Quamuis id ſibi Sacra Maieſtas R. de vobis perſuadere non poteſt, ſed ea ſpes ſubeſt, quod D. veſtræ, quemadmodum ſemper prudentiæ laudē & fidei obtinuerunt, ita nunc quoque eandem relaturos eſſe, Quamdiu diſtractio illa fuerit inter ſtatus Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithaniæ, Quādiu Maieſtas R. diademate Regni nondum inſignita, neque in Regalem Sedem repoſita fuerit, integrum & liberum tum fuiſſe D. veſtris de alio Principe cogitare. Sed cum iam diuina adſtipulante voluntate & corona eius capiti impoſita ſit, & Regni ſedem teneat, atque omnium Statuum & Ordinum conſenſus acceſſerit, iam alijs ſuſcipiendis cogitationibus locum nullum eſſe, Quodcunque D. veſtræ ea in parte facturæ eſſent, contra iuſiurandum ſuum, cōtra fidem & honeſtatem facturas, Quam etiamſi D. veſtræ parui penderent, quod Maieſtas R. in animum inducere non poteſt, neceſſe tamen erit vt aliud ſibi ob oculos ponant. Non parua res eſt à vero Domino ſeceſſionem parare, & alteri adhærere. Cogitandum vobis erit, vbi Re-

gem

gem & Regnum in vos concitaueritis, num eius viribus reſiſtere vobis ſit integrum. Cogitandum & hoc num, abſque Regno cōmodè viuere poſsitis. Et non minus num eam felicitatem & rerum omnium abundantiam habituri ſitis, quæ nunc per DEI gratiam eſt, vbi Regnum à vobis offenſum, vel portum præcluderet, vel alio transferret, in quam rem iam non pauci intenti ſunt, Hoc vnum eſt. Alterum etiamſi id præſtaretis, quod tamen Deus iuſte fauēs Regni Poloniæ cauſæ nunquam vobis permittet, Et dato (quod dicunt) & non cōceſſo, Quantum quæſo lucri aliunde ad vos perueniet? Cæſar omnem eius ciuitatis nomine adhibet diligentiam, facilè credo, illum ad eam vehementer aſpirare, cum non ſit res vſque adeò vulgaris, Sed ne credant D. veſtræ illum in rem veſtrā hoc facere. Poteſt nunc quæ cupitis promittere, Sed ſi modo illum pedem huc inferre contingeret, Tum cerneretis quam ob rem eam diligentiam adhiberet, res veſtras, credite, contraheret & in anguſtum adduceret. Notum eſt enim D. veſtris quid alibi fiat. Exiſtimant ne Dominationes veſtræ illum veſtri gratia quidquam facturum, niſi priuatum perſpiceret commodum? Dicant mihi quæſo D. veſtræ quantum pecuniæ in earum ſubſidium & defenſionem miſerit, tantum fortaſsis quantum Polonis qui eius partes ſecuti ſunt. Faxit DEVS ne vos eludendi & vobis imponēdi aliquam occaſionem habeat,

Tantum

Tantum largis promiſſis onerat pectora D. veſtrarum, & eò inducit, vt proiecta Maieſtate Regni Polouiæ ſibi ipſis imponãt neceſſitatem petendi ab eo auxilia, Et is vbi aduerterit vos aliorum auxilijs indigere, ibi ſubſidij & defenſionis conditiones proponet, ſed non eas quæ ſint ex re veſtra, Et quod dici ſolet, vbi iam inimicus ſtricto gladio ceruicibus imminet, vtcunque ſaltem componendum eſt. An non ſatius eſt, eas difficultates atque moleſtias, cum fortunarũ, valetudinis, atque libertatum diſcrimine ſubterfugere, & vero primæuo Principi cum earum omnium conſeruatione fidem atque conſtantiam probare? Sed quidam D. veſtris hunc metum incutiunt, & his argumẽtis atque rationibus abducere ſtudent Quod Regia Maieſtas in verba Imperatoris Turcorum in pernitiem totius Chriſtianitatis iurare debuerit, vnde iugum Turcium pertimeſcunt, Deindequod Regia Maieſtas Gubernatorem Terris Pruſſiæ, & Gedanẽſibus Capitaneũ dare decreuerit. Mirum in modum dolet Maieſtas R. eiuſmodi de ſe nouitates ſpargi, quæ nunquam ad illius cogitationes penetrarunt. Fidem in qua natus & educatus eſt, eam conſtanter retinuit & retinet, cõmunem chriſtianã, Et pietatem quilibet in eo animaduertit, talem vt ſuſpitionem omnem ab eo facilè ſegreget, quod velit eſſe Princeps Chriſtianus, & pacem cum vniuerſa chriſtianitate colere, & nunquam in verba Imperatoris Turcici iurauit, quemadmodum id à peſſimis hominibus excogitatur:

Eadem

Eadem ratione de Gubernatore Terrarum Pruſsiæ & Capitaneo Gedaneñ nunquam cogitauit neque cogitat. Vix iuramentum illud, quod in Comitijs coronationis ſuæ præſtitit, exiccatum eſt, quo iura, libertates harum Terrarum & huius Ciuitatis comprehenduntur, nõdum, inquam, benè exiccatum eſt, & iam ad earum violationem cogitationes conuertere deberet? Et Ampliſsimus is Regni Senator, cui hoc adſcribunt, nunquam talia ad cogitationes ſuas admiſit. Tam enim eſt publicæ libertatis amans, vt id nec admitteret ipſe, nec alteri eius rei perpetrandæ facultatem concederet. Monet Maieſtas R. ne ijs omnibus fidem habeãt, ſed pro excogitatis & fictis à peſſimis hominibus ad cõmouendum harum prouinciarum ſtatum accipiant. Vult Maieſtas R. quemadmodum omnes reliquas prouincias, ita & hanc ciuitatem penes immunitates, iura, libertates, cõſuetudines & Priuilegia, quæcunque ad hæc vſque tempora habuerunt ita conſeruare, vt DEO immortali gratias acturi ſitis, & quemadmodum à reliquis Poloniæ Regibus conſeruati eſtis, Tantum D. veſtræ dilationes & moras iam, quæ ſemper in rebus eiuſmodi pernitioſæ Rebuſpub: extiterunt, rumpant, & cum reliquis Prouincijs & ſtatibus Regni Poloniæ, Magni Ducatus Lithuaniæ, & Pruſsiæ, ſuam ſimul ſententiam peragant.

Non abducant D. veſtras metus vel pericula ex parte Cæſaris vel alicuius alterius, ſed date operam ne

per inobedientiam veſtram vobiſmet pericula contrahatis. Promittit Maieſtas R. vndiquaque omnem ſecuritatem, tam à Cæſare quam Danorū Rege. Iam ad manum ſunt illi rationes, quibus omnes quicunq; vel huic Regno vel Ciuitati incōmodare velint, retardari poſſint. In eam rem Maieſtas Regia valetudinem ſuam attulit. In eam rem omnes Regni Poloniæ ſtatus conſenſerunt, vt potius omnes fortunas ſuas & valetudinem profundere velint, quàm ab hoc Principe, quē DEVS eis oſtendit, decedere.

Et quemadmodum Maieſtas R. vobis omnem ſecuritatem promittit, ita etiam cum inteſtinis & domeſticis ſi qui erunt (cum hoc in magnis ciuitatibus non ſit nouum) clementiſſimam complanationem atque compoſitionem pollicetur. Sciunt D. veſtræ quid officio eius Regali competat, vt videlicet omnes inter vniuerſos Regni Poloniæ ſtatus enatas cōtrouerſias amicabiliter componat. Hoc etiam faciet Maieſtas R. & dabit omnem operam vt omnes cōtrouerſiæ inter ſtatus amicabili compoſitione ſopiantur & complanentur.

Ad Religionem quod attinet, quemadmodum Regno Poloniæ & omnibus Prouincijs libertatem fidei iureiurando firmauit, ita etiam eam huic ciuitati conſeruabit. Et quod D. veſtræ hactenus diuerſam ab alijs ſententiam ſecuti fuerint, & R. Maieſtatem offenderint, hæc omnia Maieſtas R. perpetua obliuione inducere & obliterare vult, & D. veſtras tam omnes in genere quam vnumquemque

numquemq́, ſeorſim in gratiam ſuam Regiam recipit, Et quodcunque Maieſtati R. D. veſtræ oſtenderint, pertinere ad amplificandas libertates ornamentaq́ ciuitatis iſtius, in illis omnibus Maieſtas R. gratiam ſuam Regiã pollicetur, & facilem ſe præbebit, modo D. veſtræ quoad obedientiam ſe difficiles non præbuerint.

Iam D. veſtræ perſpexerunt quæ ſit DEI voluntas, qualem is nobis Principem dederit, & quæ pericula huic ciuitati immineant, ſi Maieſtati R. contrauenire præſumpſerint. Quis per DEVM inter D. veſtras tam erit incogitans ne dicam veſanus, qui nollet DEI voluntatem quam in eo Principe manifeſtè oſtẽdit cognoſcere? Ex longinquis Regionibus inter tot difficultates totq́ pericula obiecta potenti manu eum deduxit, & in Regnum Poloniæ deductum Sedem Regiam tenere voluit, Ad quẽ omnium hominum corda & cogitationes inflectit atque inclinat, Ad cuius pedes & inimici eius, virtutẽ illius admirati, ſe abijciunt, Quem DEVS dotibus animi & corporis ita ornauit, vt omnes totius orbis Monarchas non tantum æquet ſed etiam ſuperet. Apud quem non tantum omnibus fidelibus ſubditis facilè erit veteres immunitates & libertates innouare, ſed etiam noua impetrare. Erit ne, inquam, quiſquã tam inſipiens, vt Principem à Deo prædeſtinatum, illuſtri fama ad Regni gubernacula ſedere iuſſum, Principem optimum, multis dotibus ornatũ, iuſtum, repudiet, & ad alium cogitationes cõuertat, cum

prius, antequam illum conſequi poſſit, omnia pericula & mala, quæ bellum ſecum trahit perpeti cogeretur, Hic enim nihil ſibi eripi patietur. Et vbi iam omnia ea mala perpeſſus reſpirare volueris, loco ſolatij noua oborietur calamitas, & talis quidem quæ omnes facilè ſuperet, cum videbis charam illam libertatem tuam, in qua natus ſis, in qua per non paruum temporis ſpatium vixeris, à crudeli Magiſtro Ordinis & Cruciferis, qui expulſionem illam ſuam vlciſci volent, labefactari & ad nihilum redigi. Per DEVM immortalem Domini mei probè expendite & deliberate quid vobis potiſſimum accipiendum ſit, ſi enim hæc omnia euenire contingat, difficilis liberatio. Non eſt hoc inconſtantiæ mutare propoſitum in melius, ſapiens non ſemper idem dicere, ſed ſemper idem ſpectare debet. Salus Reipub. D. veſtras ad Cæſarem impulit, Salus eadem Reipub: vos apud Regiam Maieſtatem retineat, Quia habere Regem coronatum & nihilominus alium velle inducere, nihil aliud eſt, quam Rempublicam in diſcrimen conijcere, in quod vbi ſemel implicata fuerit, DEO ſoli notum eſt, quando ſe tandem extricare poſſit. Ne D. veſtras vllæ minæ abducant, qui diſcordiam amat, is concordiæ ſtudere non poteſt.

Reuocate vobis in memoriam benefacta Iagellonicæ domus, per quam à crudeli Cruciferorum tyrannide in libertatem vindicati eſtis, Is nunc de cœlo veſtras actiones reſpicit, qua gratitudine illuſtria illius

beneficia

beneficia erga Regiones has penſare conſtitueritis, num illius poſteris dominatum potius quam cuiquam alteri conceſſuri ſitis, vt debitam vobis vltionem à DEO expetat. Commoueantur miſeratione fortunarum ſuarum, iurium, immunitatum, libertatum, liberorum, vxorum & valetudinis, quæ omnia vel amittere vel varÿs periculis exponere neceſſum erit, ſi alium Principem ſuperinducere volueritis. Memores eſtote fidei, qua vos Regno & Regibus Poloniæ adſtrinxeritis, Nulli vnquam Ciuitati vel prouinciæ rebellio aut defectio benè ceſſit, quamuis aliquandiu eas fouerit.

Placeat D. veſtris, quod prouidente DEO omnibus ſtatibus Regni Poloniæ, Lithuaniæ, Pruſſiæ placuit, in eorum vos quoque ſententiam deſcendite, vt ſimul cum reliquis Internuncios veſtros ad Maieſtatem Regiam, cum obedientiæ delatione, mittere poſſitis. Et Sacra Regia Maieſtas, vbi veſtram fidem & conſtantiam perſpexerit, cogitationes omnes ſuas eò conuertat, vt cum communi Reipub: bono et huius ciuitatis emolumentum ſimul quærat, etiamſi ei ciuitatis cauſa ſanguis fundẽdus ſit.

DIXI.

Reſponſum ab Ordinibus eidem Legato datum.

 Literas

prius, antequam illum conſequi poſsit, omnia pericula & mala, quæ bellum ſecum trahit perpeti cogeretur, Hic enim nihil ſibi eripi patietur. Et vbi iam omnia ea mala perpeſſus reſpirare volueris, loco ſolatij noua oborietur calamitas, & talis quidem quæ omnes facilè ſuperet, cum videbis charam illam libertatem tuam, in qua natus ſis, in qua per non paruum temporis ſpatium vixeris, à crudeli Magiſtro Ordinis & Cruciferis, qui expulſionem illam ſuam vlciſci volent, labefactari & ad nihilum redigi. Per DEVM immortalem Domini mei probè expendite & deliberate quid vobis potiſsimum accipiendum ſit, ſi enim hæc omnia euenire contingat, difficilis liberatio. Non eſt hoc inconſtantiæ mutare propoſitum in melius, ſapiens non ſemper idem dicere, ſed ſemper idem ſpectare debet. Salus Reipub. D. veſtras ad Cæſarem impulit, Salus eadem Reipub: vos apud Regiam Maieſtatem retineat. Quia habere Regem coronatum & nihilominus alium velle inducere, nihil aliud eſt, quam Rempublicam in diſcrimen conijcere, in quod vbi ſemel implicata fuerit, DEO ſoli notum eſt, quando ſe tandem extricare poſsit. Ne D. veſtras vllæ minæ abducant, qui diſcordiam amat, is concordiæ ſtudere non poteſt.

Reuocate vobis in memoriam benefacta Iagellonicæ domus, per quam à crudeli Cruciferorum tyrannide in libertatem vindicati eſtis, Is nunc de cœlo veſtras actiones reſpicit, qua gratitudine illuſtria illius

beneficia

beneficia erga Regiones has penſare conſtitueritis, num illius poſteris dominatum potius quam cuiquam alteri conceſſuri ſitis, vt debitam vobis vltionem à DEO expetat. Commoueantur miſeratione fortunarum ſuarum, iurium, immunitatum, libertatum, liberorum, vxorum & valetudinis, quæ omnia vel amittere vel varijs periculis exponere neceſſum erit, ſi alium Principem ſuperinducere volueritis. Memores eſtote fidei, qua vos Regno & Regibus Poloniæ adſtrinxeritis, Nulli vnquam Ciuitati vel prouinciæ rebellio aut defectio benè ceſſit, quamuis aliquandiu eas fouerit.

Placeat D. veſtris, quod prouidente DEO omnibus ſtatibus Regni Poloniæ, Lithuaniæ, Pruſsiæ placuit, in eorum vos quoque ſententiam deſcendite, vt ſimul cum reliquis Internuncios veſtros ad Maieſtatem Regiam, cum obedientiæ delatione, mittere poßitis: Et Sacra Regia Maieſtas, vbi veſtram fidem & conſtantiam perſpexerit, cogitationes omnes ſuas eò conuertat, vt cum communi Reipub: bono et huius ciuitatis emolumentum ſimul quærat, etiamſi ei ciuitatis cauſa ſanguis fundēdus ſit.

DIXI.

Reſponſum ab Ordinibus eidem Legato datum.

 Literas

Literas quas Generoſa Dominatio veſtra Ordinibus huius Ciuitatis exhibuit, ea qua decet venerationis obſeruantia perquàm reuerenter Ordines acceperunt: Agunt pro ea, quæ initio ſignificata fuit, ſingulari gratia, propenſione, clementia ac benignitate, gratias, ſummo quo debeant ſtudio, longè maximas, ac ſubmiſſe petunt, ſua viciſſim obſequia & inſerniendi ſtudia meliore de nota benignè cōmendari. Deinde ad Legationem propoſitam ita reſpondent.

EA quæ Nobilis & Generoſus Dominus Orator in Legatione ſua prolixè expoſuit, Ordines huius Ciuitatis diligenter quidem audiuerunt, ſed non leuem inde mœrorem animis ſe concepiſſe teſtantur. Primum quod ea legatio verbis durioribus, neque ſolum cōminationes quaſdam præ ſe ferentibus, compoſita, ſed nonnihil etiam ad iniuriam & derogationem & exiſtimationis & fidei noſtræ pertinere videbatur, vt taceamus literas fidei diu antea ſcriptas, quàm eorum nonnulla agerentur vel in rerum natura eſſent, de quibus oratio diſſerebat. Cæterũ quemadmodum Ordines nihil vnquàm antiquius habuerunt, quam fidei & exiſtimationis apud omnes homines conſeruandæ ſtudium, ita ne nunc quidem ſecus de ſe verè dici poſſe putant. Cōminationes autem eiuſmodi inſolentes non meminerunt, ne ab ijs quidem qui in Ciuitatẽ hanc imperium haberent, vnquam ad ſe perlatas. Enimuero magis etiam mirantur, quod in proxima conuẽtione

Culmenſi

Culmenſi ab eodem Legato dictum audiunt, de hominib. palo ſuffigendis, crudele ſanè cõminationis genus, apud barbaros fortaſſe factitatum, inter Chriſtianos certè vix vnquam auditum. Deinde cum in his actionibus Ordines omnia ſua conſilia ad concordiam & tranquillitatem publicam ſemper retulerint, nec vnquam rationes ſuas ab inclyti Poloniæ Regni rationibus, cui ſe vetuſtiſſima vnione, vna cum iuribus & priuilegijs ſuis, incorporatos ſciunt, ſeiungere decreuerint, non poſſunt non vehementer dolere, his in rebus multa per vim & iniuriam potius quàm ordine & ratione perpetrari. Quæ turbæ non ita pridem Torunij ſint excitatæ, ab ijs, à quibus minimè debuerat, quanta cum inſolentia Legati noſtri in ipſis publicis conuentionibus accepti, adeò vt neque in vijs publicis à periculo, neque in conſiliorum loco ab iniuria fuerint immunes, nolunt nunc Ordines pluribus cõmemorare. Illud vero deteſtandum facinus omnium bonorũ animos meritò cõmouet, quod in hoc ipſo tractatu, legatione vixdum expoſita, interim dum de reſponſo Ordines etiamnum deliberant, Cæſareæ Maieſtatis Legatus iter huc faciẽs, in Pruſſiæ territorio, in via Regia, non vi ſolum & armis oppreſſus, tormentis vulneratus, ſed etiam literis, pecunia, rebusq; cæteris hoſtili more ſpoliatus eſt. Quæ res tam violẽtæ quorſum ſpectent, Ordines nõ aſſequuntur, facilè ſaltẽ intelligunt, his rebus ad longè atrociora cauſſam & aditum præberi poſſe, per eos, qui ne-

ius

ius quidem Gentium inuiolatum relinquunt. Vrbs hæc in propugnaculo Regni & ipſo Germaniæ limine poſita, quales habitura ſit hoſtes, ſi quid præcipitāter agatur, rebus nondum compoſitis, nō Cæſaream ſolum Maieſtatem, vicinos Reges, Principes, Ciuitates, ſed cum vniuerſo ſimul Imperio Reges etiam & Monarchas exteros circumcirca, quorum ditionibus carere non poſſumus, præſertim quod nunc etiam bona pars nauium & mercium noſtrarum inde reuerſæ nondum ſint: quibus item periculis Ciuitas obnoxia futura ſit cum ſummo et harum Terrarum & totius Poloniæ Regni detrimento, mari clauſo, nauigatione inhibita, commercijs omnibus ſublatis & in manus hoſtium redactis, Ciuitate ipſa velut à vicinis obſeſſa, nemo eſt qui neſciat. Quibus alijsq́ de cauſis pluribus hoc tempore non poſſunt Ordines ad eam Legationem reſpondere, ſed ad vlteriorem deliberationem neceſſario recipiunt. Re deinceps maturius deliberata ſententiam ſuam ijs, ad quos ea res pertinet, prout tum cōmodiſſimè videbitur, latius explicabunt. Datum Gedanj 9. Iulij Anno M. D. Lxxvj.

SEcundum has literas, cum Terrarum Pruſsiæ conuentus Lobauiæ fuiſſet indictus, ad Conſiliarios in eandem fermè ſententiam quæ neceſſariò ſuccurrebant perſcripſimus, eaq́ nunc ſubiungimus.

Literæ Gedanenſium ad Conſiliarios Terrarum Pruſsiæ.

R*Euerendiſsime, Magnifici, generoſi, Nobiles, Spectabiles, Domini gratioſi, fautores & amici plurimũ colẽdi &c. Meminerũt R. Magnificæ, Gen. Sp. D. veſtræ, quid cauſæ fuerit, cur ad proximum Conuentum Culmenſem Internuncios noſtros mittere, vel tractationes feſtinanter ſanè tum ſuſceptas probare non potuerimus. Neque certè nunc etiam videmus, his conſilijs vel cõmunis patriæ ſaluti, vel vniſcuiuſque noſtrum rationibus afflictis, vti par erat, proſpectum. Ac quanquam nihil maioribus votis optamus, nec alium cõſilij noſtri finem ſpectamus, q̃ vt cõmuni conſenſu honeſtè & prudenter ad concordiam omnia reducantur, nec enim quouis modo nos ab antiquiſsima ſocietatis vnione Regni Poloniæ & harum Terrarum ſeparari volumus: Eæ tamen obiectæ ſunt nobis difficultates, eaq́; impedimenta indies aucta, vt quo minus huic etiam interſimus Conuentui Lobauienſi, non leuibus de cauſsis permoueamur. Primum enim animaduertimus, in præteritis deliberationibus nondum quidem fundamenta iacta, quibus vel ad incolumitatem iurium, priuilegiorum, libertatum ſtabiliendam, & vitiorum q̃ in contrarium irrepſerunt emendationem ſperãdam, Terrarũ Ordines niti queant, ad ea verò conſequenda, quantum nos pro captu quidem exili, ſincero tamẽ animo ſentimus,*

timus, alijs longè tractationibus opus eſſe, res ipſa demonſtrat. Deinde conſilia publica, nullo præter morem ordine, nouoq́ prorſus exemplo, cõperimus haberi, homines armatos introduci, ſententias per vim extorqueri, nec in hoſpitijs, nec in itinere publico cõminationib. et iniurijs abſtineri: q̃ turbæ Torunij fuerint datæ, quæ vis facta, ſatis omnib. conſtat. Nos certè cõſilijs hoc periculo circũſeptis intereſſe paulò ſecuriꝰ minimè poſſe nos exſtimamꝰ.

Tum illud etiã non immeritò vehementer nos perturbat, interim dum concordiæ rationes tractantur, Cæſareæ Maieſtatis Legatum, in via Regia, vim hoſtiliter paſſum, grauiſſimè vulneratũ, ac rebus omnibꝰ inhumaniter ſpoliatũ. Quorſum actiones eiuſmodi violẽtæ ſpectẽt, quid ex ijs atrocius fortaſſe conſequi poſſit, non eſt difficile coniectari. Nobis illud ex iſthac re venit in mentem, quando tanti Principis, qui Chriſtiani orbis caput eſt, ratio non habetur, eò nos eſſe periculo propiores, quo facilius arida ligna quàm virentes arbores iniurijs exponi cõſueuerint. Enimuerò ſi vi atque impreſſione res peragenda ſit, non ſanè videmus, alijs eam tractationibus, conſilijs, conditionibus, vel legationibus indigere.

Porrò non dedignentur Reuerendiſſima Magnificæ Gen. Sp. D. veſtræ, quas non ſibi ſolum, ſed toti prouinciæ conſulere magis æquum eſt, inter cætera, Ciuitatis etiam huius, ad Regni limitem poſitæ, rationes nonnihil ad animum reuocare: quas nimirum illa ſit hoſtes habitura

bitura, ſi tam pcipitanter, rebus nondum cōpoſitis quicq̃ peragatur, nō ipſam modò Cæſaream Maieſtatē, ſed Reges etiā ac Principes cognatos, tam vicinos q̃ exteros ferme oēs, quorum ditionib. propter cōmerciorū vſum carere non poſſumus. In Germania multi noſtratium rem familiarē exercent, plures in tranſmarinis regionibus, multæ naues et merces haud exigui precij, in Hiſpanijs, Luſitania, Gallijs, Anglia, & Belgio nunc etiam abſunt (ijs autem p freti Danici fauces reuerti neceſſum eſt, vbi iam antea ſatis onerum habemus) quarum nauium & mercium iactura Ciuibus longè futura ſit pniciosiſſima. Quid inde cōmodi ad cæteros Pruſsiæ Status, atq; adeo regnum ipſum Poloniæ peruenturum ſit, mari clauſo, cōmercijs terra mariq; interdictis, nauibus ac mercibus in manū hoſtilem pertractis, nemo eſt qui facilè non intelligat. Fieri quidem poteſt, quod dicitur, vt in hiſce actionibus pertractandis illud cum primis excipiatur, quo Terrarū Status à Cæſareæ Maieſtatis parte tuti ſint & periculi immunes: Verum an iſthæc exceptio ſufficiat, controuerſijs non compoſitis, abuſu iurium et priuilegiorū non ſublato, prudenter expendendum eſt. His de cauſis & alijs pluribus perquàm reuerenter & diligēter petimus, vt Reuerendiſſ: Magnificæ Gen. Sp. Dom. veſtræ non ſolum abſentiam noſtram benignè excuſatam habeant, verum etiam rem tam grauem & periculoſam, qua communis patriæ ſalus agitur, non adeò feſtinanter aggredi velint,

vt non aliquanto maturius, in loco præſertim cõmodiori, cis Viſtulam, deliberare malint: nobis verò qui cum vniuerſæ Pruſsiæ, tum Ciuitatis huius incolumitatem maximè cupimus, non magis vitio vertant, quàm ipſæmet ſuas dignitates, officia, conditiones, & bona, ſalua ſartaq́ conſeruari exoptent, ac ſingulorum ordinum non ſecus ac totius corporis ſine diſſenſionis aliqua pernicie, curam amplectantur.

Cæterum ſi præterquàm ſperamus, rationes noſtræ locum non inuenient, & poſtpoſitis ijs, quæ ad harum Terrarum incolumitatem maximopere pertinent, cuiq́ in noſtri præiudiciũ (quod noſtra pluris intereſt, quàm aliorum, qui extra fines Regni non negociantur) nobis abſentibus, decernetur, itidem nunc vt antea publicè cõteſtamur, nos neque conſentire, neque ratum id habere poſſe; nec ſi quid inde detrimenti exoriatur, culpa noſtra fuiſſe cõmiſſum. Equidem cum tantillæ moræ nullum ſit impendium, de Dom: veſtris meliora nobis perſuademus; & quid hac in parte ſentiant, per hunc tabellarium reſcribi petimus &c. Datæ Gedani die nona menſis Iulij. Anno. 1576.

POſt hæc mandato Regiæ Maieſtatis magnificus & generoſus Dñs Andreas Zborowſky, Curiæ Regni Marſcalcus in Pruſsiam miſſus, quanquam ad Ordines huius Ciuitatis mandata haberet, quorundam tamen non

poſtremi

poſtremi nominis procerum monitu, Marienburgi ſubſtitit, ac inde literas ad nos miſit idiomate Polonico in hanc ſententiam perſcriptas:

Literæ Dñi Andreæ Zborovvſkj.

Domini Gedanenſes vobis valetudinem & rerum omnium proſperos ſucceſſus opto.

QVamuis in his negotijs, quibus à Sacra Regia Maieſtate ad omnes Status harum Terrarum, & non minus ad D. veſtras omnes Stat⁹ Ciuitatis Gedaneñ miſſus ſum, nullam moram interponere conſtitueram, ſed profectionem Mariæburgo in rebus tam arduis, in quibus tam nobis quam vobis etiam non parum ſitum eſt, maturare: tamen cum intelligerem cauſam ipſam, quod multũ eſt, D. veſtras non ſolum per ſe monere, ſed quod etiam multoties à Dominis Senatoribus Regni & per literas, & initio huius noui regiminis per homines alicuius authoritatis, & oretenus & ſcriptis interpellatæ & admonitæ fuerint, idq; non ita pridèm ante meum aduentum poſt Culmeñ & alias Conuentiones luculenter & dilucidè factum eſſe, quantum quidem ex Scripto & Relatione D. Nicolai Coſſobucij colligere potui, ita vt non videam quidquam ſupereſſe, quod diu iam agitato negotio, & quidquid ab ipſo electionis die ad hæc vſque tempora interceſſit, ac debito iam fine terminatum eſt, addi

poſſit, nec D. veſtras aliqua alia admonitione opus habe- re, pro ſua qua ſemper in rebus agendis pcelluerunt pru- dentia, Vt non prætermittam, quæ non ita pridem illis per D. Palatinum Sandomirieñ magniloquo ore memorata ſunt, cuius opera Sacra Maieſtas Regia vti in cæteris ne- gotijs omnibus, ita etiam ſeorſim quæ has Terras concer- nunt tanquam prudentis & præcipui Senatoris vtitur, & res omnes per eundem conficit.

Quare cum non exiſtimem quidq̃ prætermiſſum eſſe, quod ad finalem, & volente DEO, ſanam delibera- tionem, in tam arduis ac magni momẽti negotijs pertine- re poſſit, quã Reſpub: abſque aliqua mora à D. veſtris expoſcit, licet & literas & mandata à Sacra Maieſtate habuerim, tamen gradum ſiſtere conſtitui, cum Sacræ Regiæ Maieſtatis in has Terras neutiquam differendum aduentum me præſtolari, & quoad eius fieri poterit, tan- quam officialis, ad præſtanda officia mea, eidem obuiam occurrere oporteat. Interim vero facere nolui, quin D. veſtras hiſce meis literis amicè pro beneuolentia mea compellarem & admonerem, vt tandem his naufragijs quibus totum Regnum cum reliquis adiacentibus Regio- nibus ab obitu Regis Sigiſmundi Auguſti piæ memoriæ, ad hæc vſque tempora, periclitatur, hunc inſignem colo- phonem imponant, & vniuerſo orbi teſtentur, ſe ſubie- ctionem & debitam obedientiam non detrectare, ſed eam Maieſtati Regiæ deferre paratas eſſe, quemadmodũ

omnes

omnes reliqui ſtatus Regni, Magni Ducatus Lithuaniæ & harum Terrarum iam fecerunt & adhuc faciunt: Et ne ſe Dom. veſtræ ſegregent, vel (quod DEVS auertat) peruerſum iudicium induant, quaſi vna illa ciuitas vel etiam quæuis alia vnanimi totius Regni voto iure reſiſtere poſſe videatur, vel hunc Principem Regem ſuum non profiteri. Quæ omnia cum ita ſint, quid moram trahimus? Videmus ex omnibus veſtris literis & ore propoſitis declarationibus, quod D. veſtræ ſibi turpitudinis, impietatis, & periurij loco ducant & habeant, ſi rationes ſuas ab inclyti Regni Poloniæ rationibus ſeiungere vnquã in animum induxiſſent. Quod me factum laudare oportet, video enim DEVM ipſum, iuramentum veſtrum, antiquam incorporationem, & quidquid iuris & diuini et humani in his vnquam eſſe poteſt, id à vobis requirere, & ita fieri conuenit. Si itaque rationes veſtræ à Regni rationibus non ſeparandæ ſunt, per ſummam conſequentiam neque à Regis Poloniæ ſegregari poſſunt. Quis autem legitimus poterit eſſe Rex Poloniæ, quàm is qui auguſtam ſedem legitimè obtinuit, Stephanus Dei grã &c. Quare Dom. veſtræ eas res non ſeparabunt quas ipſa natura coniunxit. Ne Dom. veſtras vel ingrata aliqua perſona vel otioſi ſermones à rerum cardine abducant, Saluis vobis, Salua Repub: hæc omnia in ſuum locum deduci poterunt, quemadmodum econtra omnia peſſum ire neceſſe eſſet.

Ne

Ne D. veſtras vel nauigatio vel alia cōmoda quæ Regno vobiſcum cōmunia ſunt abducant vel remoram faciant, Nam quemadmodum ijs omnibus concordia noſtra viam ſtrauit & fores aperuit, poſt tot bella & rerum perturbationes, inter nos & Germaniæ proceres, ita & his facilè viam inueniet. Neceſſe eſt vt D. veſtræ diligenter expendant, vtrum maiorem mereatur laudem, quibuſdam perſonis aliquid concedere, & apud eos Principes gratiam inire, cum quibus cōmercia ſua exercent, qui tamen Regno Poloniæ certis pactionibus & fœderibus obligati ſunt, ne aliquam negotiationis iacturam faciant, vel Polonis fidem fallere, cum quibus ipſam negotiationis medullam concidere & interire neceſſe eſſet, ipſis portum præcludentibus. Scio D. veſtras tam eſſe prudentes & ſagaces, vt nouerint ſe magis noſtra cōmunione q̄ ipſa negotiatione indigere. Et cum tantum inter D. veſtras & Poloniæ Regnum de conſeruandis Priuilegijs & libertatibus pacta intercedant, vt taceam illam coniunctionem & neceſſitudinem quæ iuramento Regio firmata eſt, & alia indicia, quæ probitas & integritas Regia ſecum ferre videtur, adhæc quod præter cæteros Poloni libertatum ſuarum acerrimi ſint defenſores, qui propter conſequentiā non permittēt, vt etiam minimo, qui Regno addictus eſt, de ſuis libertatibus & Priuilegijs quidquam decedat: D. veſtræ de Polonorum conſtantia nihil dubitabunt, neque ſe cuiuſquam machinationibus abduci patientur

tientur, Sed ſi in quibuſdam modus exceſſus videtur, quemadmodum id in rebus humanis fieri neceſſe eſt, ſaltem corda & ſenſus per cõmunem concordiam coniungamus, & his omnibus oportunè mederi poterit. Quare moram amplius non trahant, ſed quãtocyus cum ea libertatum & Priuilegiornm, quæ legitimè obtẽta ſunt, præſeruatione, ſuos Internũcios ad Sacram Maieſtatem Regiam mittant, neq; ſiniſtram illam opinionem apud eandem magis augeant, cùm paratiſſima fidei & obedientiæ delatione, quemadmodum reliqui harum Terrarum Status faciunt. Præterea D. veſtras tanquam fidelis Senator pro meo intereſſe, & pro ſingulari mea erga vos beneuolentia hortor, ne iſtos Curſores accipiãt, qui medicinæ loco certa venena adferre conſueuerunt, licet interdum Saccaro incruſtata videantur, neque eos Legatorum numero habeant quibus ius gentium patrocinari poſſit, ſed cogitent quomodo tali caſu per vniuerſum Chriſtianũ orbem tractentur, De Ethnicis nihil dicam, qui maiorem rebus ſuis curam adhibent. Hiſce D. veſtras DEO omnipotenti & me iiſdem diligenter commendo. Data Mariæburgi die 24. Iulij Anno 1576.

D. veſtris addictus
Andreas Zborovvſki à Zborovv Regni Poloniæ
Curiæ Marſchalcus & Capitaneus Radomieñ &c.

Spectabilibus, & Famatis Dominis Proconſuli cum Conſulib. & toti cõmunitati Ciuitatis Gedaneñ amicis ſuis obſeruandiſsimis.

Ordines ad eas literas hiſce verbis reſponderunt.

Magnifice ac generoſe Dñe. &c. Literas Magnificæ Dom. veſtræ Marienburgi ſcriptas perquam reuerenter accepimus, eoq́ maiori cum voluptate perlegimus, quo propenſiorem eius erga nos animum ex iiſdem cognouimus. Quamobrem & gratias agimus ſingulares, & eam erga nos beneuolentiã, quibus poſſumus officiorum generibus, perpetuo conſeruare ſtudebimus.

Porrò quod ad rem ipſam attinet, qua varijs iampridẽ difficultatib. in hoc periculoſiſſimo tẽporum ſtatu cõflictamur, à multis verò, pſertim ijs qui malè nobis volunt, in odium, inuidiam, & ſiniſtram ſuſpicionem vocamur ac traducimur, quemadmodũ antea ſæpius verbis ac literis teſtati ſumus, ita nunc in eadem perſtamus ſententia, nihil nos ijs quæ neceſſario ſequimur cõſilijs, alienum à fide officioq́ noſtro cõmiſſuros, nedum rationes noſtras ab inclyti Poloniæ regni rationibus, cui vetuſtiſſima nos vnione incorporatos ſcimus, ſaluis iurib. ac priuilegijs, ſeiuncturos. Ea ſunt nobis maiorum noſtrorum exempla ob oculos poſita, & illuſtria fidei conſtantiæq́ documenta, vt ab illorum veſtigijs deflectere nefas exiſtimemus. Negari quidem non poteſt, ſuperioribus annis, cum vniuerſæ Pruſſiæ, tum huius Ciuitatis iura & priuilegia varijs modis interrupta, violata, ac penè non peſſundata.

Meminimus

Meminimus proh dolor quibus nos artibus oppugnati, in quas difficultates coniecti, quot grauaminum oneribus tota Ciuitas afflicta fuerit: Singula recenſere non eſt huius loci, quinimo nunc etiam reipſa experimur, nos ab yſdẽ, quibus antea ſemper nihil potius calamitate noſtra fuit, calumnijs premi ac traduci, quicquid pro Reipub. ſalute vel vtilitate agimus, in contrariam partem detorqueri, in nos arma parantur, aduerſum nos expeditiones in Poloniæ Regno audimus indici, q̃ certè omnia etiam conſtantiſsimum quemque ad alia conſilia impellere ſolent. Veruntamen his cauſsis nunq̃ adduci potuimus, vt propterea fidem, iuſiurandũ, ac officiũ neggligeremus, et in poſterũ etiam in his malis meliora ſperare malumus, q̃ ob p̃ſentes iniurias ad ſeceſsionem animos inclinare. Quominꝰ vitio nobis à quoq̃ rectè verti poterit, quod maiorem aliquanto iurium priuilegiorũ ac libertatum huius Ciuitatis rationẽ habemus, q̃ vt rebus ſic ſtantibus ac nondum cõpoſitis, & priuſquam iurium indemnitatẽ & grauaminũ abolitionem exploratam habemus, p̃cipiti quopiã conſilio, nos inuoluamus. Reuocet ad animum Mag. D. veſtra ſuperiores actiones, cõſideret & regni totius & p̃uinciæ Pruſsiæ ac cõprimis huiꝰ Ciuitatis ſtatum, expendat ſecum diligẽtius, quid ex harum rerũ euẽtu, quamq̃ is nunc dubius ſit, tandẽ cõſequi poſsit. Vrbs hæc in p̃pugnaculo regni, in ipſo Germaniæ, & Imperij limine poſita, niſi res cũ Cæſarea Maieſtate cõponatur, hoſtes habitura eſt p̃ſentiſsimos, non Cæſaream ſolum Maieſtatem, vicinos Reges, Prin-

cipes, Ciuitates, quod per ſe grauiſſimum eſt, cum vniuerſo ſimul Imperio Reges etiam & Monarchas exteros circum circà, quorum ditionibus exercendorū gratia cōmerciorum carere neutiquam poſſumus. Ciuium noſtrorum multi paſſim in Germania, plures in tranſmarinis regionibus rem quærunt, ibi fortunarum ſuarum rationes implicatas habent. Nauium noſtratiū ac mercium numerus non contemnendus, in Hiſpanijs, Gallijs, Anglia, Belgio, domo procul abſunt, eæ cum redeunt, per fauces maris Danici nauigent neceſſe eſt, quibus difficultatibus eò loci ſubinde premimur. (qualiacunque pacta vel fœdera cum Poloniæ Regno intercedant) non libet nunc commemorare. Nauium certè merciumq́; is valor eſt, vt ſi hoſtes ijs potiantur, multò diutius quàm proprijs viribus bellum aduerſus nos gerere poſſint. Quod in diſcrimen, ſi Ciuitas hæc, quod abſit, incidat (vt præ reliquis certè omni periculo terra mariq́; vicinior eſt) quantum inde incōmodi ac detrimenti ad terras Pruſſiæ, Regnumq́; vniuerſum Poloniæ peruenturum ſit, mari clauſo, littoribus infeſtis, nauigatione inhibita, cōmercijs omnibus ſublatis & in manus hoſtium redactis, ipſa Ciuitate velut à vicinis obſeſſa, nemo eſt qui neſciit, nos recordari ſaltem abhorremus. Verum quidem eſt, quod Magnifica Dom. veſtra literis ſuis innuit, pluris faciendam eſſe fidem quā fortunas, ac maioris eſſe momenti vetuſtiſſimam cum Poloniæ regno coniunctionem, quam eam quæ cum exte-

ris.

ris intercedit cōmerciorum communicationem. Cæterum ſi vtrumque ſalua exiſtimatione conſeruare, tueriq́ poſſimus, nemo eſt noſtra quidem opinione, qui id merito repræhendat. Priuatorum fortunæ nerui ſunt Reipublicæ, in extremis neceſſitatibus fidem etiam periclitari compertum eſt. Florenti cōmerciorum vſu, quanta Polonis facultatum acceſſio facta ſit ex hac ſaltem Ciuitate, res ipſa teſtatur. Hæc ideo prolixius Magnificæ Dom. veſtræ perſcribimus, vt benignè intelligat, procul à nobis eſſe ea conſilia, eas machinationes, quibus aduerſarij noſtri fingunt nos vel defectionem vel rebellionem meditari, quod flagitij genus ne quidem ad cogitationes noſtras vnquam penetrauit. Quod autem iura, libertates, & Priuilegia noſtra ſalua volumus, eaq́ tuemur, nec ab ijs nos depelli patimur, non eſt hoc rebellionis argumentum, ſed fidelitatis indicium. Etenim quò conſtantiores rerum noſtrarum fuerimus, eò maiori fiducia nobis Reſpublica partes ſuas cōmittet.

Proindeſi in poſterum eæ rationes ineantur, quibus ſalua fide & conſcientia, ſaluis iuribus, grauaminibus abolitis, ſine Reipulicæ periculo ex ſuperioribus actionibus expectando, honeſta ratione poſſimus acquieſcere, nihil vnquam de fide officioq́ noſtro, quod ad conſtantiam ſubiectionis teſtandam, ad tuendam & conſeruandam vniuerſi Regni ſalutem, concordiam, dignitatem & incolumitatem pertinebit, in nobis deſiderari merito noſtro patiemur.

 Quapropter.

Quapropter Magnificam Dom. veſtram, quam candidè hac in parte nobiſcum agere planè confidimus, perquā reuerenter & diligentiſsimis verbis rogamus, beneuolè dignetur omnem de nobis, ſi quam concepit, ſiniſtram ſuſpicionem animo ſuo dimouere, nec ipſa ſaltem Ciuitatē hanc ſaluam & incolumem optet, ſed apud omnes etiam in vniuerſum ſuo fauore, gratia, ac beneuolentia benignè operam det, vt Ciuitatis rationes loco ſint q̄ tutiſsimo, nedum hoc tēporum ſtatu, ab ijs, quorū auctoritate ac patrocinio nituntur, detrimento per vim aliquā vniuerſæ Reipublicæ pernicioſam afficiantur. Faciet rem non nobis ſolum exoptatiſsimam, & tranquillitati publicæ maximè vtilem, ſed quam ſummo ſtudio, & omnibus quibus par & æquum eſt officiorum generibus promereri perpetuo conabimur. &c, Gedani die 27. Iulij Anno M. D L X X vj.

INdicto deinde Conuentu Pruſsiæ Meuam ad diem menſis Auguſti xvj. Internuncios noſtros eò miſimus, eiuſmodi cum mandatis, vti ex Inſtructione ipſa & Declaratione paulò pòſt ſubſecuta latius poteſt cognoſci.

Literæ Reuerendiſsimi Dn̄i Epiſcopi Culmenſis quibus Conuentus Meuenſis indicitur.

Salute

SAlute p̄miſſa, &c. Nolumus latere Spect: veſtras, quod certò nobis compertum ſit, Regiam Maieſtatē, Dn̄m noſtrum clementiſſimum, breui in Pruſſiam ad nos peruēnturam. Nobis autem, ex placito præſertim M̄tis eius, cōſultum viſum fuit, vt ſtatus Terrarū Pruſſiæ, oēs & ſinguli, ante Regiæ M̄tis aduētum, certo tēpore et loco cōueniremus, ad deliberandū vnanimiter & cōmuni conſilio, quomodo Regiæ Maieſtati dn̄o noſtro clementiſſimo obuiam eundum, eiusq́ Maieſtas debito cū ſubiectionis et venerationis ſtudio honorificè excipiēda, quid itidē ad cōfirmationē noſtrorum priuilegiorum, libertatum, cōſuetudinum, ad augmentum Reipub. & ſalutem cōis patriæ cōmodum & neceſſarium fuerit Quapropter ex officij debito, & genuino erga patriam amore, Conuentionem publicam oībus ſtatibus harum Terrarum Pruſſiæ Meuam indiximus, ad diem qui feſtū Aſſumptionis Mariæ ſequitur, hic eſt decim⁹ ſextus menſis Auguſti, quò oēs & ſinguli pridie eius diei cōueniant. Vos etiam amicè hortamur, vt ad p̄ſtitutum tēpus eò veniatis, & ea q̄ pro cōmodo & ſalute patriæ noſtræ fore videbuntur in cōmune conſulatis. Neq dubitamus nihil in vobis ad conſeruationem Libertatū & Salutis patriæ deſideratum iri. Spect: veſtras Dei tutelæ cōmendamus. Datum in arce noſtra Lobauienſi die quinta Auguſti. Anno 1576.

Sp. veſtrarum
bonus amicus

Petrus Coſtka Dei gratia
Culmenſis Epiſcopus.

Inſtructio

Inſtructio Internunciorũ Gedanenſium Dñi: Reinholdi Molleri, & Georgij Roſenbergij ad Conuentum Meuenſem.

Dicta ſalute, cum obſequiorum noſtrorum commendatione, Dominis conſiliarijs proponent Internuncij, conuentionis iſtius denunciationem nõ parum animos noſtros cõmouiſſe, cum intelligamus de excipiendo & acceptando nouo Rege, nunc præ manu conſultari, cũ ſummo noſtrorum omnium præiudicio, ſiquidem neque de iuribus ac priuilegijs noſtris, neque de vitiorum & abuſuum emendatione nobis adhuc cautum ſit, quod vtrumq; illud ipſum primum eſt, quo ſuperiores & deliberationes & ipſius adeo patriæ ſalus quaſi fundamẽto quodam nituntur. Vellemus etiam Reuerendiſſ: Dñm Epiſcopum, more maiorum, ex cõmuni conſenſu cæterorum Conſiliariorum de indicendis Conuentionibus, & rebus in conſultationem proponendis ſtatuere, quò facilior eſſet conſiliorum expediendorum ratio, nec eiuſmodi difficultatibus vti nunc fit implicaremur.

Etenim nouum Regem & dominum agnoſcere, cuius arbitrio vitam, honorem, & fortunas committant Subditi, priuſquam ipſis de iurium & priuilegiorum indemnitate cautum ſit, perperam agitur, & hoc præſertim ſtatu temporum admodum periculoſè. Non ignorant

Domini

Domini Conſiliarij, quibus modis iura, libertates & priuilegia Terrarum oppugnata, & interrupta, tum cum iuramento Regio ſancita fuiſſent: eoq; nunc maioris eſt periculi ſine idonea cautione properanter quidpiam committere. Conſtat ex publicis Actis, maiores noſtros, etiam tum cum nulla eſſet vel electionis vel ipſius Regis cauſſa diſſenſio, non prius ſubiectionis fidem profeſſos, q̃ iuribus illorum iuramento noui Regis abundè fuiſſet proſpectum, cuius rei vel vnum exemplum Diui Sigiſmundi Auguſti ſatis eſt perſpicuum. Varia irrepſerunt vitia, varij abuſus in ſingulorum ordinum iuribus & libertatibus, quorum vt æqua ratio publicè priuatimq; habeatur, noſtrorum omnium incumbit officio Senatorio. Quapropter non iam illud conſultandum venit, quo obſequij genere nouus princeps excipiatur, ſed quibus rationibus iura & priuilegia tot locis interrupta prius reſtaurari poſſint. Neque ſufficit ea quæ priuilegijs deſunt, articulatim conſcribi, ſed alia conuentione opus eſt, vt maturius ſingula capita examinentur: res ipſa profectò demonſtrabit, plura accuratius perpendenda eſſe, quàm vt hunc in modum conſilia præcipitentur. Tum illud etiam Dñis Conſiliarijs benignius animaduertendum erit, quod Ciuitatum interſit, cum Ciuibus ſuis, conſilia tantis de rebus cõmunicare, neque verò tam celeriter iſthæc expediri poſſunt, nec quicq̃ tamen eſt in tantilla mora periculi. Maiores noſtri pro tuenda libertate quatuordecim

 annos

Inſtructio Internunciorũ Gedanenſium Dñi: Reinholdi Molleri, & Georgij Roſenbergij ad Conuentum Meuenſem.

DIcta ſalute, cum obſequiorum noſtrorum commendatione, Dominis conſiliarijs proponent Internuncij, conuentionis iſtius denunciationem nõ parum animos noſtros cõmouiſſe, cum intelligamus de excipiendo & acceptando nouo Rege, nunc præ manu conſultari, cũ ſummo noſtrorum omnium præiudicio, ſiquidem neque de iuribus ac priuilegijs noſtris, neque de vitiorum & abuſuum emendatione nobis adhuc cautum ſit, quod vtrumq; illud ipſum primum eſt, quo ſuperiores & deliberationes & ipſius adeo patriæ ſalus quaſi fundamẽto quodam nituntur. Vellemus etiam Reuerendiſſ: Dñm Epiſcopum, more maiorum, ex cõmuni conſenſu cæterorum Conſiliariorum de indicendis Conuentionibus, & rebus in conſultationem proponendis ſtatuere, quò facilior eſſet conſiliorum expediendorum ratio, nec eiuſmodi difficultatibus vti nunc fit implicaremur.

Etenim nouum Regem & dominum agnoſcere, cuius arbitrio vitam, honorem, & fortunas committant Subditi, priuſquam ipſis de iurium & priuilegiorum indemnitate cautum ſit, perperam agitur, & hoc præſertim ſtatu temporum admodum periculoſè. Non ignorant

Domini

Domini Conſiliarij, quibus modis iura, libertates & priuilegia Terrarum oppugnata, & interrupta, tum cum iuramento Regio ſancita fuiſſent: eoq́ nunc maioris eſt periculi ſine idonea cautione properanter quidpiam committere. Conſtat ex publicis Actis, maiores noſtros, etiam tum cum nulla eſſet vel electionis vel ipſius Regis cauſſa diſſenſio, non prius ſubiectionis fidem profeſſos, q̄ iuribus illorum iuramento noui Regis abundè fuiſſet proſpectum, cuius rei vel vnum exemplum Diui Sigiſmundi Auguſti ſatis eſt perſpicuum. Varia irrepſerunt vitia, varij abuſus in ſingulorum ordinum iuribus & libertatibus, quorum vt æqua ratio publicè priuatimq́ habeatur, noſtrorum omnium incumbit officio Senatorio. Quapropter non iam illud conſultandum venit, quo obſequij genere nouus princeps excipiatur, ſed quibus rationibus iura & priuilegia tot locis interrupta prius reſtaurari poſſint. Neque ſufficit ea quæ priuilegijs deſunt, articulatim conſcribi, ſed alia conuentione opus eſt, vt maturius ſingula capita examinentur: res ipſa profectò demonſtrabit, plura accuratius perpendenda eſſe, quàm vt hunc in modum conſilia præcipitentur. Tum illud etiam Dn̄is Conſiliarijs benignius animaduertendum erit, quod Ciuitatum interſit, cum Ciuibus ſuis, conſilia tantis de rebus cōmunicare, neque verò tam celeriter iſthæc expediri poſſunt, nec quicq̄ tamen eſt in tantilla mora periculi. Maiores noſtri pro tuenda libertate quatuordecim

G annos

annos continuos bellum geſſerunt, nobis vt pauxillum in eadem conſeruanda temporis impēdamus, moleſtum eſſe non debebat.

Deinde nec illud quidem negligi ſed prudenter prouideri oportet, quo pacto, Terrarum harum rationes ex parte Cæſareæ Maieſtatis, quæ & ipſa Regnum acceptauit & iuramentum præſtitit, rationes poſsint eſſe ſalue & illibatæ, ne ex iſthoc electionis diſsidio natum periculum, in has potiſsimum terras erumpat. Quod eò magis nos præ reliquis ſolicitos habet, quò nos periculo quàm alij ſumus propiores, quod equidem Ciues noſtros obruere nō poteſt, quin ſimul etiam Regni & Terrarum incolas attingat. Ac quemadmodum hac in parte vetuſtiſsimæ coniunctioni cum inclyto Poloniæ Regno firmiter & conſtanter inhærere decreuimus: ita par eſt etiam cōmuni conſilio nobis ſingulis indemnitatem præſtari.

Quibus & alijs de cauſis Internuncij Dños Conſiliarios diligenter admonebunt, vt maturius patriæ rationes omnes, & dificultates inde propendentes ad animum reuocare dignentur, quàm rebus nondum compoſitis, iuribus, priuilegijs et libertatibus nulla cautione cōmunitis, in aliquod damnum irrecuperabile ſeſe cum cæteris Ordinibus hac feſtinatione conijciant: quin nouum potius Regem humilimè precentur, vt tantiſper aduentum ſuum in Pruſsiam clementiſsimè ſuſpendere dignetur, quoad de rebus omnibus ad cōmunem patriam pertinentibus inter

nos,

nos conueniat. Quo pacto peregrinus etiam miles prouinciæ non erit oneri vel detrimento.

Neque certè Regia Maieſtas, hanc Conſiliariorũ curam officio fideiq́ ſuæ conuenientem in ſiniſtram partem accipere, vel tantulam moram quæ neceſſario rebus conſtituendis interuenit, pro ea qua virtutum Regiarum cumulo paſsim celebratur prædicatione, & innata manſuetudine reprehendere poterit. Sin autem his poſthabitis Dñi Conſiliarij propoſitum adeò feſtinanter vrgere velint, Internuncij noſtri conſilio potius abſtineant, quàm vt ijs deliberationibus quæ cum ſummo totius patriæ præiudicio coniunctæ ſunt aſſentiantur. Datum Gedani die xiiij. menſis Auguſti Anno Dñi 1576.

Declaratio Ordinum Meuam miſſa die 17. menſis Auguſti Anno 76.

INternuncij ciuitatis Gedanẽ ex præſcripto prioris Inſtructionis, Dominis Coſiliarijs & reliquis Ordinibus harum Terrarum eam noſtram eſſe ſententiam dicent; Quod nuper coronatum Regem Poloniæ, eo quo poſtulatur modo, hoc tempore vel excipere vel in has Terras deducere nondum apud nos deliberatum habeamus, antequã de Priuilegijs & libertatibus nobis ſufficienter cautũ ſit, & multiplicia incõmoda atque difficultates, quæ contra eas irrepſerunt, realiter, actualiter & in effectu abrogatæ fuerint, ac à parte Sacræ Cæſareæ Maieſtatis nobis pax

& ſecuritas quæratur, & omnibus imminentibus periculis proſpiciatur, Eamq; ob cauſam rogabũt vt alius Cõuentus indicatur; vbi denuo conuenire & tam de omnibus ac ſingulis tum publicis tum priuatis Priuilegijs conferre, quàm etiam de omnibus & ſingulis tam publicis quam priuatis grauaminibus conſtituere, & ea in loco conuenienti producere & exhibere poſsimus. Atque quod non conſtituerimus quidquam tentare, antequã nobis de ijs omnibus ſufficienter caueatur, cum non ignoremus, quantum antehac periculi & damni ex eiuſmodi feſtinatione & negotiorum proiectione contraxerimus. Ac vbi id eò modo factum fuerit, nos nulla ratione in animum induxiſſe rationes noſtras vel ab inclyti Regni Poloniæ vel harum Terrarum rationibus ſeiungere, ſed vigore antiquiſsimæ incorporationis ijs conſtanter inhærere, quod aliter accipi non poteſt, quàm quod nuper coronatũ Regem vna cum eis agnoſcere & acceptare conſtituerimus. Sin vero, expoſcente ipſa neceſsitate, id nobis pmitti non debebit, tum Internuncij Ciuitatis ex præſcripto Inſtructionis teſtabuntur, id nõ temeritate quadam, ſed ad conſeruandas libertatum cum harum Terrarum tum huius ciuitatis rationes à nobis neceſſario ſuſceptum eſſe, & ita ad nos reuertentur.

QVid inſuper ex eodem Conuentu de rebus noſtris Status Terrarum ad Regiam Mtẽm perſcripſerint, quid Maieſtas eius reſponderit, ex ſequentib. liquet.

Litera

Literæ Statuum.

SErenißime ac potentißime Rex &c. Poſteaq́ hoc loco frequentes conueniſſemus factum ſingulari DEI beneficio eſt, vt vnanimi omnium noſtrorum conſenſione in eam iuerimus ſententiam, qua Regiæ M. veſtræ, vt ab Equeſtri ordine; ita & Ciuitatibus, nullis exceptis, fides & obedientia & fideliſſima ſubiectionis officia deferrentur. Ac cũ noſtro nos munere functi ſimus, à Regia Maieſtate veſtra humilimè petimus, vt (quod eam ſpõte ac pro ſua ingenerata Clementia ac rei æquitate facturã certè cõfidimus) pro more maiorũ ac iure noſtro nobis priuilegia atq; iura noſtra, ſublatis omnibus grauaminib. atq; incõmõdis, iureiurando, vt ꝑpetuo à Sereniſſ: Regiæ Mtis veſtræ Prædeceſſoribus factitatũ eſt, confirmet. Quod vero ad Ciuitates attinet, cũ habeant, q̃ ſigillatim Regiã Mtẽm veſtrã cognoſcere et p̃ſtare exoptẽt, id peculiari ſcripto, hiſce literis addito Regiæ Mti veſtræ humilime ſignificant. Quarũ vt Regia Mtãs V. clemẽtiſſ. habere rationẽ dignetur, à Regia Mtẽ vrã demiſſè rogamus. Quod ſupereſt felicẽ Regiæ Mtis V. aduentũ cupidiſſimè expectam⁹. Si vero M. veſtræ R. ꝓpter grauiora Reipub. negotia iter illud ad nos (q̃uis exoptatiſſ.) in aliud tẽpus differre, & nobis ad ſe veniẽdi certũ diẽ p̃figere viſum eſſet, neq; in eo Mti V. deerimus: ſed vt ꝑ Internũcios noſtros ad p̃ſtitutũ diẽ properem⁹, dabim⁹ operã. Ad quæ oĩa vt M. V. clemẽtiſſimã voluntatẽ ſuam nobis primo quoq; tempore declarare dignetur, ſubmiſſis precibus etiam atq; etiam rogamus.

Eandem Regiam Maieſtatem veſtram protectioni diuinæ &c. cōmendamus. Datum Meuæ in Conuentione Statuum & Ordinum Terrarum Pruſsiæ generali, die 18. Auguſti Anno à Chriſto nato 1576.

Sereniſsimæ R. Matis veſtræ

Humilimi Subditi

Status & Ordines Terrarum Pruſsiæ.

Schedula iiſdem literis incluſa.

SEreniſsime Potentiſsimeq; Rex & Clemētiſsime Domine, Perferuntur ad nos multæ grauiſsimæq; querelæ, militem illum, qui iam ad præſtolandum Maieſtatis veſtræ aduentum in has Terras immiſſus eſt, ſubditos nobilium & aliorum etiam hominum paſsim ſpoliare, & bona illorum publicæ quaſi prædæ exponere. Quod vero cum non tātum cum eorum, ſed totius Reipub. periculo ac damno coniunctum ſit, Maieſtatem veſtram enixo ſtudio maiorem in modum rogamus, vt ei rei pro ſuo Regio munere ita in tempore prouidere dignetur, ne ex ſcintilla magnum aliquod (quod Deus omen auertat) incendium oriatur.

Iidem qui in literis.

Reſponſum Sereniſsimi Regis Poloniæ ad præcedentes literas Statuum & Ordinum Terrarum Pruſsiæ.

Stephanus

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniaq́ ac Princeps Tranſiluaniæ &c.

REuerendi, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Spectabiles, Famati, Syncerè ac fideles nobis dilecti, Ex literis Sync. & fidelitatum veſtrarum intelleximus, quæ in conuentu Meueñ Terrarum Pruſſiæ acta ſunt. Gratiſſimum nobis eſt Sync. & Fid. veſtrarũ in nos ac Rempub: ſtudium, cum teſtificatione ſubiectionis ſuæ ac fidei & obſeruantiæ erga nos Regem ſuum. Cum vero cernamus Sync. & Fid. veſtras omnibus conſilijs alienoribus à quiete & trãquillitate publica ſpretis, ad eam curam incumbere, vt in cõmunione Reipub: eius ſalui & iure ac libertatibus ſuis perfruãtur, & ipſi hoc veſtrum ſtudium benignitate noſtra complexi, operam dabimus, ne hæ à nobis vlla ex parte immmutæ videri vnquam poſſint, & ne de ijs tanquam ſacroſanctis ſeruandis non ſatis vobis cauiſſe exiſtimari poſſimus. Qua de re cum Synceri: & Fidel: veſtris coràm cõmodius conferemus.

Etenim quod vos optaſſe ex literis veſtris videmus, vt quamprimum in Pruſſiam proficiſceremur, iam eò iter facimus, Itaque facile id à vobis effici poteſt, vt nobiſcum alicubi conueniatis. Quod vt cum maiori veſtra opportunitate fiat, mittimus ad vos deſcriptionẽ dierum & oppidorum ac vrbium, per quas iter facturi ſumus, vt ad tempus & locum, qui vobis videbitur, ad nos veniatis.

Ea:

Ea tamen ratio negotiorum cōmunium eſt, vt id maximè è Repub. fore iudicemus, ſi quàm minimam moram interpoſuerint. Hoc vero ſilentio prætermittere noluimus, valde nos mirari, quid cauſæ ſit, cur ſoli Gedaneñ maiori, vt ex pſcripto Legationis ipſorum Nuncijs Meuam miſſis dato apparet, cunctatione & haſitatione, quàm vllus alius ordo vel ciuitas ad concordiam acceſſuros ſe oſtendant, nec à verborum pplexitate refugiant. Sed quid hoc ſit fortaſſe à Sync. & Fide. veſtris, cum ad nos venient, plenius cognoſcemus, atque etiam ſicut cæteris de rebus, ita quid hac in parte nobis faciendum ſit, cum Sinc. & Fide. veſtris agemus.

De iniurijs iſtorum militum graue nobis & acerbū auditu fuit, de quibus ad Magnificum Palatinum Sandomirieñ; quem illis præfecimus, literas dedimus, vt efficiat vt damna ſarciat, & neminem inpoſterum vllo incōmodo afficiant. Bene valere Sync. & Fid. veſtras cupimus. Datum Goſtinini, die 22. menſis Auguſti, Anno à Chriſto nato 1576. Regni noſtri verò primo.

Stephanus Rex.

SCripſerunt itidem ad nos Torunio Dn̄i Conſiliarij terrarum, quibus in eam ſententiam reſpondimus, quæ ſuſequitur:

Literæ dn̄orum Conſiliariorum Pruſsiæ.

Salute

Salute præmiſſa &c. Non dubitamus quin Sp. Dom. veſtræ tam de aduentu Regiæ Maieſtatis Dñi noſtri clementiſſimi in has terras Pruſſiæ, quàm de conſenſu Internunciorum veſtrorum, qui nuper Meuam miſſi fuerant, vnà nobiſcum Torunium proficiſcendi, factæ ſint certiores. Nos quidem huc venimus, ſed neque Internuncios veſtros offendimus, & planè nunc etiam an venturi ſint nec ne, ſumus incerti. Cuius rei cum ignoremus cauſſam, mirari ſatis non poſſumus, & varia non ſanè læta cogitationibus noſtris occurrunt.

Etenim hoc modo Spect. veſtræ non nobis ſolum ſuſpicionem alienam inijciunt, ſed multò magis ipſi Regiæ Maieſtati, quæ iam nunc hac de cauſſa permouebitur, vt ſeuerius rem peragat, militem peregrinum in prouinciam adducat, terras colonoſq; deuaſtet, & omnibus tandem communem patriam calamitatibus affligat.

Quod quidem à Sp. veſtris profectum iri minimè ſperabamus, præſertim quod aliud nuper in Conuentione Meuenſi probaſſent. Quapropter in hac feſtinatione nunc hortamur & rogamus Sp. veſtras, vt ad animum reuocent, quid inde calamitatis & periculi toti prouinciæ, nobis omnibus & fortaſſis Ciuitati Gedanenſi longè magis exoriri poſſit, rem iſtam melius & maturius perpendant, nec in hunc modum a nobis ſecedãt, ſed omni poſtpoſita mora nobiſcum ſe cõiungant, ſic vt omnes vnanimes cariſſimæ noſtræ patriæ libertates & Priuilegia ho-

neſtè parta, conſeruare poßimus. Ac conſtat nobis, Regiam Maieſtatem vtpote prudentem & probum Principem, in omnibus ijs, quæ ad omnium noſtrorum vtilitatẽ pertinent, clementem ſe præſtituram. Quod ſi Spect. vestrarum peculiaria quædam ſunt grauamina, vti nonnihil eſſe coniectamur, illud iam operæ damus, vt apud Regiam Maieſtatem diligenter elaboremus, quo grauamina primum omnibus communia, deinceps ſingulorum etiam aboleantur, idq́ nos per DEI gratiam conſecuturos confidimus. Idcirco iterum atq́ iterum petimus, vt Spect. veſtræ ſe nobiſcum ſaltem coniungant, vti planè nobis perſuademus, ideoq́ literas haſce raptim ad eaſdem perſcribi curauimus. Quas Dei optimi maximi tutelæ deuotè commendamus. Datum in Conuentione Torunenſi die xxv. menſis Auguſti Anno 1576.

Prælati, Palatini, Caſtellani Ciuitates &c. Terrarum Pruſſiæ Conſiliarij.

Reſponſum Senatus Gedaneñ.

Reuerendißimi, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Spectabiles &c. Ex Reuerendißimæ. Mag. Gen. & Spect. Dom. veſtrarum literis, heſterno veſperi per hunc tabellarium allatis non ſanè libenter intelleximus, illud nobis vicio verti, quod vnà cum cæteris dominis Conſilia-

rijs

rijs ad excipiendum Sereniſſimum Regem coronatũ, Internuncios Torunium non miſerimus, atque in eam fermè partem accipi, quaſi à cõmuni conſenſu Statuum harum Terrarum ſecedere, & Regiæ Maieſtati contrauenire ſoli velimus. Quod vtique nunquam ad cogitationes noſtras peruenit: quinimo ſemper teſtatum fecimus, quã primum omnium & ſingulorum Priuilegia fuiſſent confirmata, grauamina abolita, periculum hoſtilitatis ex altera parte ſublatum, per omnia nos cum Reuerendiſſima Gen. Sp. Dom. veſtris vnanimiter conſentire. Quod autem Torunium non miſimus, anguſtia temporis nos excluſit, neque Regiæ Maieſtatis aduentũ tam celerem fore credere potuimus, cum de alijs non poſtremi loci hominib: edocti fuiſſemus, profectionem eam in dies quatuordecim eſſe prorogatam.

Neque verò ex Internuncijs noſtris qui Meuæ fuerant exactum tempus Regij aduentus cognouimus, multò minus certam diem deſignatam, qua Terrarum Priuilegia, & quæ in contrarium irrepſerũt vitia, ſingulorumq́ ſtatuum grauamina explorari conferriq́ potuiſſent. Interim de noſtris rationibus, cum Ciuitatis Ordinibus conſultamus, quæ eius ſunt ponderis & difficultatis, vt ne nunc quidem ſatis idoneæ ſint expeditu.

Cæterum ita res eſt, vt non nobis ſolum noſtra, ſed etiam ſingulis Statibus totius prouinciæ ſuæ ſint grauamina, quæ & merito animaduertenda, & cum non eorũ modò Conſiliariorum, qui Torunij preſtò fuerũt, ſed inferiorum

feriorum etiam Statuum interſint, maturiore prius conſilio tractanda fuerant, quàm ad iuramenti profeſsionem deueniretur: pro vt publicorum actorum teſtimonio, cum Sereniſsimis Regibus anteceſſoribus, ſemper vitia primum & grauamina componi conſueuerunt. Et ſanè metuendum, ne præſtito iuramento, incommoda iſthæc, & quidquid illis coniunctum eſt, vti iam antea factum meminimus, prorſus inexplicata relinquantur. Ac quandoquidem ipſa Regia Maieſtas literis ſuis innuit, ſe à Reuerendisſima Mag. Gen. Spect. Dom. veſtris de rerum noſtrarum ratione plenius cogituram, eò minus ægrè feret, vt non ſolum huius Ciuitatis gratia, quæ præ cæteris in ea difficultate & diſcrimine poſita eſt, vt planè extrema ſubſit pernicies, verum etiam cæterorum cauſſa, quæ ad prouinciæ totius incolumitatem ſpectant, Dñi Conſiliarij denuò conueniant, inter ſe de rebus cõmunibus deliberẽt, omniaq́ conſenſu ſolido, manu coniuncta proponantur, & vni non minus q̃ alij, pro grauaminibus emendandis ſuppetiæ ferantur. Etenim quemadmodum vigore vetuſtiſsimæ incorporationis, ſaluis iuribus et libertatibus, nec à Regno Poloniæ, nec à Terrarum harum coniunctione ſecedere, nec conſenſui publico Regni & coniunctarum prouinciarum contrauenire decreuim⁹: ita viciſsim non iniquum fuerit, in tuenda publica omnium ſalute, Ciuitatis etiam huius, quæ dubio procul maiorib. quàm alij fortaſſe Status, implicita eſt difficultatibus, honeſtam rati-

onem

onem haberi Quapropter Reuerendiſſimã Mag. Gen. Sp. Dom. veſtras perq̃ reuerenter, diligenter, & amicè rogamus & obſecramus, vt non ipſæ ſolum abſentiæ noſtræ excuſationem, anguſti temporis ergò, benignè accipere, verum etiam ipſi Regiæ Maieſtati meliore vota cõmendare, ac illud in primis pro paterna ſua ſollicitudine operam dare velint, ne quid in præiudicium Terrarũ, contra libertates & conſuetudines earũdem Regia Maieſtas admitti, neue nos vel Ciuitatem hanc circumueniri vel affligi, rationibus noſtris nondum auditis, nedum prouinciam à peregrino milite onerari vel deuaſtari patiatur, ſed omnes potius difficultates, omnia vitia, & grauamina, rationibus æquis præcidere vel emendare, clementiſſimè dignetur.

Quod vti pro virili noſtra, nec quicq̃ aliud maioribus votis optamus vel petimus, ita longiſſimè à nobis abſit, vt ad quampiam cõmunis patriæ calamitatẽ, cauſam præmeditatò præbere velimus, quin potius ad noſtrorum omnium incolumitatem tuendam facultates omnes conferre non recuſamus.

Hoc pacto prouincia peregrini militis onere probè leuabitur, & cum rebus iſtis ritè proſpectum fuerit, iterum nunc quod antea teſtamur, nos fidei, et officio noſtro minime defuturos. Datum Gedani die xxvij menſis Auguſti Anno M. D. LXXvj.

 Deinceps

DEinceps cum Regia Maieſtas Torunium veniſſet, ac à Conſiliarÿs & Ordinibus harum Terrarum honorificè ſuſcepta fuiſſet, neque diu pòſt Mariēburgum proceſsiſſet, Legatos ſuos huc miſit die Septēbris quinta, Reuerendiſsimum & Magnificum Dominum Petrum Coſtka Culmeñ Epiſcopum & Ioannem de Sluſewo Palatinum Breſtenſem cum literis infraſcriptis:

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitię, Liuoniæq; &c. necnon Tranſiluaniæ Princeps.

Spectabilibus & Famatis, Proconſuli ac Conſulibus, totiq; cōmunitati Ciuitatis noſtræ Gedaneñ fidelibus dilectis.

SPectabiles Famati, fideles dilecti. Miramur quid cauſæ ſit, quòd non modo conſenſum Ordinum Regni Poloniæ, in deferenda nobis ſubiectione, vt debuiſtis, minimè ſecuti, verumetiā ne exemplo quidē proximo Terrarum Pruſsiæ permoti ſitis. Itaq; vos monemus pro noſtra clementia, vt ab hac animorum obſtinatione & temeritate recedatis, etſi quem in animo ſcrupulum habetis, eum eÿciatis, ac coram Reuer. Dom. Petro Koſtka Epiſcopo Culmeñ, & Magnifico Ioanne à Sluſewo Palatino Breſtenſi Conſiliarÿs & Cōmiſſarÿs noſtris, quos, eius rei cauſſa ad vos mittimus, iuſiurandum nobis more

maiorum

maiorum detis. Ni dederitis pro ijs qui noſtram & Regni Maieſtatem ſpernunt, vos habere, & rationes neceſſarias iuris ac dignitatis noſtræ ac Reipub. tuendæ, nos inire oportebit. Cætera ex Reuerendo Epiſcopo, & Magnifico Palatino Breſtenſi intelligetis. Valete. Mariemburgi die 4. menſis Septēbris. Anno Domini 1576. Regni vero noſtri anno primo.

Stephanus Rex.

ADdiderunt Domini Legati verbis etiam prolixioribus admonitionem ſedulam, vt Ordines Regiæ Maieſtatis voluntati iam iam obſequerentur, iuramentū fidelitatis præſtarent, nec vlterius officium ſubterfugerent, quandoquidem recepiſſet Regia Maieſtas, ſe cuiuſq; Statuum iura ac priuilegia clementiſſimè confirmaturā: ne ſi ſecus fieret Maieſtas eius magis ac magis ad alia cōſilia permoueretur, & mittendis in poſterum Legatis, cum inſigni ꝑcul dubio Ciuitatis detrimēto ſuperſederet.

Ad quæ Ciuitatis Ordines reſponſum ſuum ſcripto conſignarunt, & Dn̄is Legatis exhibuerunt, quod cum illi ad Regiam Maieſtatem eo modo referre nollent (non enim quidpiam diſceptandi ſed ſaltem exigendi iuriſiurandi gratia ſe miſſos aiebant) neceſſum fuit Ordinibus, pro rerum ſuarum ratione, idipſum alia quapiam via, manui Regiæ precibus humilibus inſinuare, prout ex proximis fuſius liquebit.

Literæ

Literę Gedanenſium ad Regiã Mtẽm.

SEreniſsime potentiſsimeq́ Rex ac Donine, dñe clemẽtiſsime. Sereniſsimæ Regiæ Maieſtati veſtræ, obſequiorum noſtrorum ſtudia, ſumma qua debemus inſeruiendi alacritate demiſiſsimè deferimus. Sereniſsime Rex, Domine clementiſsime.

QVi proximis diebus Regiæ veſtræ Maieſtatis ad nos miſsi fuerant Legati non mediocrem nobis ſpem attulerunt, tandem aliquando nos occaſionem habituros Regiæ Maieſtati veſtræ Ciuitatis huius rationes fuſius & luculentius exponendi, ac vt difficultates & grauamina quibus hactenus premimur abolerentur, ab eadem Maieſtate veſtra demiſsiſsimis precibus impetrandi.

Venerunt illi quidem, & legationem ſuam expoſuerunt, quæ ſaltem eò pertinebat, vt fidelitatis iuramentum Regiæ Maieſtati veſtræ præſtaremus: Ad quod poſtulatum non ita ſanè reſpõdimus, vt debitum recuſaremus, Sed vt ea quæ iuribus, libertatibus, & priuilegÿs obſtãt, in primis Maieſtati veſtræ plenius innoteſcerent, eaq́ de cauſa rationes noſtras ad Maieſtatem veſtram perferendas ſcripto conſignauimus. Quas cum illi legi audiuiſſet, & ſæpius & diligenter & multis precibus rogati recipere nollent, non potuimus non magis magisq́ ſuſpicari, res noſtras non eo, quo per ſe ſunt modo, ſemper ad Regiam Maieſtatem veſtram perferri, ſed varÿs nos interdum

præiudicÿs

preiudicijs hactenus fuiſſe, dubio procul, oneratos. Quid enim acerbius nobis accidere poſſit, quàm preces noſtras, quæ nihil iniqui, nihil à dignitate clementiſſimi principis alienum deſiderant, à Maieſtatis veſtræ benigniſſimis auribus prorſus excludi? Fuerunt nobis etiam cum Diuis Anteceſſoribus Poloniæ Regibus, quorum memoriã ſanctam habemus, variæ de iurib. & priuilegijs noſtris actiones, & ſæpe tales, in quibus neceſſum fuit Diuorum Regum poſtulatis, iurium noſtrorum conditionem opponere. Nec vnquã meminimus pientiſſimos principes tantopere mandatis ſuis institiſſe, vt non ſimul etiam rationes noſtras ad aures ſuas admiſerint. Qua clementia & æquitate, cum Regiam Maieſtatem veſtram non minus ac ſereniſſimos Anteceſſores præditam audiamus, omnino pro rerum præſentium neceſſitate faciendum putauimus, vt illud Reſponſum quod Legati recipere noluerũt, per præſentium exhibitorem, Regiæ Maieſtati veſtræ, demiſſiſſimo venerationis ſtudio ad manus ꝓprias inſinuaremus.

Eapropter quàm poſſumus diligentiſſimis precibus demiſſiſsimè rogamus, dignetur Ser. Regia Maieſtas veſtra, Ciuitatis huius rationes q̃ iſthoc ſcripto comprehenſæ ſunt (is enim ſcrupulus eſt, qui iamdudũ animos noſtros excruciat) clementiſſimis auribus accipere, ſiniſtras omnes, ſi quas de nobis concepit, ſuſpiciones abijcere, eaq́ conſilia benigniſſimè ſuſcipere, quibus Ciuitatis huius iuribus, libertatibus, & incumbentib. grauaminibus quàm

I optimè

optimè conſulatur, neque durius ad quorumuis hortationes aliquid ſtatuere, priusquam alterius etiam partis, quod verè Regium eſt, rationes clementius cognouerit. Dabimus viciſsim operã, quantũ in nobis eſt, vt Regia veſtra Maieſtas in poſterum nos in pſtandis Eidem fidei et ſubiectionis ſtudijs ac obſequijs nõ minus paratiſsimos quàm etiam re ipſa conſtantiſsimos experiatur. Eandem DEO optimo maximo diutiſsimè ſuperſtitem, bona valetudine perfruentem, & Regia fortuna florentiſsimam, ac nos eius gratiæ clementiæ et votis omnib. cõmendamus. Datum Gedani die xiij. menſis Septẽbris Anno Dñi 1576.

Sereniſsimæ Reg. Mtis veſtræ

Obſequentiſs:

Proconſules, Conſules, Scabini, Centumuiris, & tota Cõmunitas Ciuitatis Regiæ Gedanenſis.

Reſpõſum ad Legationem Sereniſsimæ Reg: Mtis Poloniæ &c. Reuerẽdiſsimo & Magnifico Dñis Dño Petro Coſtka Epiſcopo Culmenſi, & Ioanni de Sluſevvo Palatino Breſtenſi, ab Ordinibus Regię Ciuitatis Gedaneñ datum, die xij. Septembris Anno Dñi M. D. Lxxvj.

Ea

EA quæ nomine Sereniſſimæ Reg. Mtis Poloniæ &c. Reuerendiſſimæ & Magnifica Dões veſtræ ex præſcripto Regiarum literarum, decenter, & ſingulari cum beneuolentia Regiæ Ciuitatis huius Ordinibus expoſuerunt, ea qua decet venerationis obſeruãtia diligenter Ordines audiuerunt. In primis agunt gratias quàm poſſunt maximas, pro Regiæ Maieſtatis gratia, clementia, ac fauore, quibus Ordines benigniſſimè proſequi dignatur: nec quicq̃ in ſe ſtudij vel diligentiæ deſiderari merito vellent, quod in Eiuſdem obſequium, et ſummam gratificandi ac inſeruiendi cupiditatem ab ipſis præſtari poſſit.

LEgationem ipſam eò maximè pertinere intelligunt, quod Regia Maieſtas fidelitatis iuramentum, coram Reuerendiſſima & Mag. Dom. veſtris ab Ordinib poſtpoſita animorũ obſtinatione, more maiorum dari poſtulat. Ni dederimus pro ijs qui ſuam & Regni Maieſtatem ſpernunt nos haberi, & rationes neceſſarias iuris ac dignitatis ſuæ tuendæ iniri oportere, vti ea literis Regijs & earũdem Dom. veſtrarum oratione latius ſunt propoſita.

Ad ea poſſent quidẽ Ordines breuiter & bonis rationibus cauſas explicare, quibus iampridem adducti fuerint, quò minus eò progrederẽtur, quo cæteros Terrarum Status progreſſos intelligunt, neque magnæ difficultatis exiſtimant, Reuerendiſſ: & Mag. Dom. veſtras, quibus Ciuitatis huius rationes alioquin non ſunt incognitæ, rerum iſtarum conditionem edocere. Verum cum longè fu-

erit alia ratio Sereniſſimorum Poloniæ Regum Anteceſſorum, quib. ex vetuſtiſſima ſubiectionis incorporatione, cõtinua ſucceſſionis ſerie Pruſsia paruit, qui in ipſo Regno nati, educati, legum, iurium, priuilegiorum, libertatũ, conſuetudinum noſtrarum in cõſilijs publicis erant aſſuefacti, quàm nunc, Sereniſſ. Regia Maieſtate ab exteris regionibus, ad populos, lingua, moribus, ac legibus diuerſos adueniente: neque fieri poſſit, vt tam breui ſingularum prouinciarum iura cognouerit. Eam ob cauſam maximè ſibi neceſſarium Ordines exiſtimãt, penes hanc tam ſplendidam legationem, ea quæ præ cæteris Ciuitatis huius rationes ac fortunas afficiunt, ad Regiæ Maieſtatis pleniorem informationem fuſius nonnihil explicare. Perquàm reuerenter ac diligenter petentes, vt non ipſæ ſolùm Reuerendiſſima & Mag. Dom. veſtræ benignis animis hæc accipiant, Verùm etiam ad Regiæ Maieſtatis aures clemẽtiſſimas perferre, Ciuitatisq́ ſalutem ac incolumitatem de meliore nota cõmendare non dedignentur. Ea firmiſſima ſpe Regiam Maieſtatem ſuſpicionem omnem temeritatis ac obſtinationis ſi quã de ordinibus fortè concepit, auditis iuſtiſſimis & æquiſſimis illorum rationibus, clementiſſimè remiſſuram.

Ac primum omnium hiſtoriarum & publicorum actorum teſtimonio ſatis cõſtat, quo pacto maiores noſtri, poſt abiectum Marianæ ſeruitutis iugum, ad inclytum Regni Poloniæ ſceptrum, non vi neq; ferro ſubacti, quod

perperam

perperam harum terrarum incolis exprobratur, ſed ſponte, & animo deliberato acceſſerint, & eidem Regno ſaluis iuribus & libertatibus ſuis incorporati fuerint. Sic vt ipſi, homines germani, & germano ſanguine oriundi, haſce Terras Pruſsiæ ſuis ſumptibus excoluerint, & pro cõmodo Regni totius ad eam quæ ſuperioribus annis fuit frugem ac felicitatem perduxerint. A cuius acceſsionis initio, quam fidem, obſequentiam, & perpetuam operam in omnes caſus belli pacisq́ tempore, præ cæteris hæc Ciuitas Sereniſsimis Regibus ac Poloniæ regno, cum iinpendio ſanguinis etiam ac fortunarum conſtanter præſtiterit, nolunt nunc Ordines pluribus cõmemorare, temporum illorum annales iſthæc abundè teſtantur. Enimuero ſi Sereniſsimi Reges Ciuitatem hanc pluribus fortè, quam alias, libertatum prærogatiuis ac immunitatibus donarũt ac condecorarunt, patet ex iiſdem, egregia Ciuitatis merita, & operas fideliter præſtitas, hanc Regum munificentiam & liberalitatem prouocaſſe.

Quod ex literis & diplomatibus Diui Caſimiri & Succeſſorum eius, ſi neceſſum ſit, liquidò poteſt oſtendi. Quemadmodum autem maiores noſtri, vti bonos viros & fideles ſubditos decet, in præſtando quod Regibus ſuis deberent iureiurando, nihil vnquam æqui recuſarunt: ita nunc etiam Ordines à maioribus ſuis minimè degeneres, ſaluis iuribus ſuis, & grauaminibus abolitis, haud certè, quidq́ alienum à fide officioq́ ſuo committere, vel in ſe-

 merito

meritò vellent deſiderari. Verum & hoc à maiorebus acceperunt, vt Sereniſsimi Reges cum imperiū caperent pro ſubditorum incolumitate non ſolum priori loco iuſiurādū darent, ſed etiam de cuiuſque iuribus, priuilegÿs, & libertatibus cognoſcerent, & ſi quid in illorum fraudem vel detrimentum fuiſſet admiſſum, corrigerent ac emendarent, priusq̄ Ordines & Status Pruſsiæ Terrarum ad fidelitatis iuramentum adigerent.

Neque maiores noſtri, niſi ea legitimè confecta transactaq́ fuiſſent, imperio ſe ſubÿcere conſueuerunt. Oſtenditur id nouiſsimo Diui Sigiſmūdi Auguſti exemplo, in cuius regiminis ingreſſu de priuilegÿs et grauaminibus harum Terrarum, in quartum vſque annum varÿ tractat⁹ habiti, priusq̄ eius Maieſtati Status harum Terrarum ſacramenti vinculo more maiorum obligarentur. Quinimò Maieſtatis eius parens Diuus Sigiſmūdus eundem Filium in eandem cauſam Reſcripto peculiari Statibus & Ordinibus harum Terrarum, tum cum Succeſſorum eum adhuc impuberem ſibi deſtinaret, obſtrinxerat. Pollicemur illis (inquit) præſentibus literis, quod quandocunque ipſe Sereniſsimus filius noſter poſt mortem noſtram ad ætatem legitimam, nempe ad annos quindecim completos perueniens, poſſeſsionem Regni & dominiorum noſtrorum adire voluerit, tenebitur illis id totum præſtare, quod Anteceſſores noſtri Reges Poloniæ, & nos ipſi præſtitimus ex debito, ad quod eius Maieſtatem vt filium

& Suc-

& Succeſſorem noſtrum tenore præſentium obligamus, videlicet quod iurare debebit omnia iura, libertates, et priuilegia, literas, immunitateſúe earundē Terrarum Pruſsiæ tam Eccleſiaſticas quàm ſeculares, Eccleſijs, tum ipſis Terris, earundemq́ prælatis, baronibus, Nobilibus, Ciuibus, incolis, & quibuſlibet perſonis cuiuſcunque Status & conditionis exiſtentibus per Diuos prædeceſſores noſtros Principes tam ſpirituales quam ſeculares, Reges & Dominos terrarum prædictarum, iuſtè & legitimè donatas & conceſſas, & per noſmetipſos confirmatas, manu tenere, ſeruare, cuſtodire, & attendere, in omnibus conditionibus atque punctis, & omnia illicitè ab iiſdem terris alienata aut diſtracta, pro poſſe ſuo ad proprietatem earundem Terrarum recuperare, terminos etiam earum nō minuere, ſed pro virili defendere & dilatare: Et quamdiu hoc ipſum iuramentum Maieſtas ſua non præſtiterit, & huic debito ſuo Regio non ſatisfecerit, ipſi vniuerſi Status & Ordines earundem Terrarum & Ciuitatum noſtrarum Pruſsiæ, ad ſeruandum iuramentum ſuum, quod Maieſtati ſuæ præſtiterunt, non erunt adſtricti neq; obligati. Verum quandocunque poſt mortem noſtram ſupradictis omnibus idem Sereniſsimus Filius noſter in ætate legitima exiſtens ſatisfecerit, & huiuſmodi iuramentū debitum præſtiterit, vniuerſi earundem terrarum noſtrarum Pruſsiæ Status & Ordines Subditi noſtri, illi vt vero & legitimo dño & Regi ſuo coronato, omnem fidelita-

tem &

tem & obedientiam obſequiaq́ ſecundum iuramentum à ſe illi factum præſtare & exhibere tenebuntur. &c.

Hunc in modum cum Sereniſſimus Rex Filium ſuum Succeſſorem & tanquam hæredem Regni, Statibus harũ Terrarum obligauerit, nullum vident impedimẽtum Ordines, quo minus etiam moderna Regia Maieſtas Terris Pruſſiæ peculiari iuramento clementiſſimè cauere poſſit, ac velit. Ac cum illius Maieſtas iuramentum ab Ordinibus maiorum more dandum exigat, eo ipſo disertè & iuramenti nouitas, & ſi quid aliud antiquæ conſuetudini, vel harum Terrarum iuribus ac libertatibus contrarium ſit, excluditur. Quanq́ itaque intelligunt Ordines, & ex actu Torunenſi apparet, feſtinanter nonnihil ad iuramenti præſtationem deſcenſum, nec vno ab omnibus modo iuratum fuiſſe, priusq́ de patriæ libertatibus, priuilegijs, & contrarijs defectibus ſufficienter caueretur: Tamen certiſſima ſunt Ordines fiducia, totum id quod præter morem maiorum, hac in parte factum fuit, neque Terrarum neque Ciuitatis huius libertatibus, iuribus ac priuilegijs, vlli fore præiudicio, ſed in eam rem potius ſufficienter cautum & prouiſum iri. Porro quanq̃ proponatur, Sereniſſimam Regiam Maieſtatem iuramento ſuo Cracouiæ præſtito, omnibus Regni Prouincijs abundè cauiſſe, easq́ ſingulas eo iuramento comprehendiſſe: Tamen non aſſequuntur Ordines, quo pacto illud ad ſe pertinere poſſit, quod iuratum eſt in ea iura & priuilegia,

quæ

quæ iuribus vtriuſque gentis Polonicæ et Lituanicæ non ſint contraria. Quid enim iuribus, priuilegijs, & libertatibus noſtris magis eſt contrarium, quam Polonorum, aut Lituanorum Conſtitutiones, mores ac leges? Illud potius inde colligendum videretur, eiuſmodi iuramēto, leges ac libertates noſtras planè tolli, ſubuerti, et abrogari: ſic vt Pruteni demū quod DEVS auertat, illius vtriuſque gentis mancipia ſint futuri. Nec alia fermè ratione iura & Priuilegia noſtra quaſi non legitimè obtenta, in dubium reuocari cæperunt, cum & à Sereniſſimis Regibus abundè confirmata ſciamus, & ipſa pacifica poſſeſſio vltra hominum memoriā continuata firmiſſimum certitudinis ſuæ præſtet argumentum. Quibus ſi coniungantur ea, quæ in publicis ſæpè Comitijs contra leges & conſuetudines Prutenicas agitata fuiſſe cōſtat, præſertim quàm iniqua interpretatio præcipuo priuilegiorum capiti, de cauſis notabilibus harum Terrarum, contra expreſſa verba, contra mentem principis, & perpetuum eius capitis vſum adiecta fuerit, nihil aliud his omnibus rebus agi videtur quàm quo modo Status & Ordines Pruſſiæ, quæ æquè ac Lithuania vel alia quæuis incorporatarum prouinciarū, liberum Regni membrum eſt, quæ peculiarem ſuam Rempublicam, peculiares Senatores, Officiales, Ordines habet, olim etiam Cancellarium Germanicum peculiarem habuit, peculiaria iura, Priuilegia, cōſuetudines, peculiare ſigillū, & iuramentum ad Regnum attulit, iiſque legitimè ſemp

vſa fuit, nouo quodam onere premantur, à cōmunibus et ſpecialibus libertatibꝰ deponantur, ac tandem in extremã ſeruitutem redigantur. Quod nō minus, ſed fortè magis etiam in huius Ciuitatis, q̃ cuiuſuis alterius ſtatus præiudicium, iniuriam, & calamitatē, attentatum fuiſſe, neq; nunc etiam attentari deſijſſe, multis rerum argumētis poteſt demonſtrari. Ex quo conſequenter, præter publica, priuata etiam Ciuitatis grauamina longè maxima, ſuperioribus annis in tantum excreuerunt, vt nullus ſit alius vel Regni Poloniæ vel Pruſſiæ Status, qui iuſtiores habeat cauſſas ea de re grauiſsimè conquerendi: eòque magis quod iſthæc grauamina non ſolum ad frequētiſsimas Ordinum preces ne minimò quidem ad meliorem conditionem redacta, ſed inſuper etiam de die in diem quò diutius eò grauius accumulata fuerūt. Cuius rei potiſsimum præter cætera documentum eſt, infelix illa Commiſsio, quæ cum ſumma Ciuitatis infamia, publicæ fidei noxa, & fortunarum detrimento, præteritis annis vſurpata fuit, qua Ciuitas non ſolum concitatis tribubus ac cōtubernijs extremum penè diſcrimen, ex magiſtratu nōnulli citra culpam, exiſtimationis, honoris, bonorum ac vitæ periculum adierunt, Verum etiam publicæ libertates, iura, priuilegia, prouētus, bona terreſtria, adeò impugnata, imminuta, & labefactata ſunt, vt hoc pacto nihil penè quod ad vniuerſæ Ciuitatis perniciem agi potuiſſet, prætermiſſum Ordinibus videatur. Atq; in iiſdem actionibus eoſdem & ac-

cuſatores

accuſatores & iudices ſediſſe, vix vſquam gentium, vbi legibus viuitur, comprobatum eſt.

Eodem modo bona Ciuitatis publica ad executionem Alexandrini Statuti perperam trahi cæperunt, cum neq; hoc neque vllum aliud Regni Statutum, neq; Pruſſiæ terras coniunctim neque Ciuitatem hanc ſeparatim obliget vel cõcernat. Neq; verò æquum eſt Dñis Regni Conſiliarijs cõcedi, vt omnia quæ in noſtri fauorem extra Regnĩ Comitia ſunt introducta, reijciant ac euacuẽt, nihil enim ad nos eiuſmodi Comitia pertinent, & ea ſarta tecta conſeruari benignius eſt, quæ Sereniſſimi Reges vel in terris Pruſſiæ vel extra terras nobis indulſerunt, cũ hac in parte præter Regiam Maieſtatem alios dominos nõ agnoſcamus. Quàm multa etiam in actionibus Executorialibus contra publicas Terrarum libertates, cum maximo Ciuitatum præiudicio fuerint attentata: quinimo quod nõnulli dominorum Cõmiſſariorum eadem Ciuitatis bona ſibi potius dari, quã Ordinibus conſeruari voluerint, id eò grauius Ordinib. accidit, quod bona ſua Ciuitas non à Regno lucrifecit, ſed vnà ſecũ ad Regnũ attulit, eaq; longè antè, q̃ Diuus Alexander regnare cæpiſſet, iuſto & legitimo titulo poſſedit. Sunt inſup alia grauamina plura, neq; his q̃ dicta ſunt multo minora, q̃ Ciuitatẽ premũt, quæq; ſuó loco ſpeciatĩ & exactius recenſeri poterunt, In vniuerſum tñ eius ſunt generis, q̃ niſi tollantur ac emendẽtur, maiorẽ etiam ac duriorẽ, q̃ Mariana fuit, ſeruitutẽ huic Ciuitati, conſequenter etiam cæteris Terrarũ ſtatibus importatura videantur.

 An

An igitur non grauiſſimas & æquiſſimas cauſſas habeāt Ordines, qui pro fide ſua Ciuitatis ius & honorē tueri tenentur, publicis grauaminib. q̄ diligentiſſimè poſſunt cōſulēdi, Ciuitatis iura, priuilegia, libertates ſaluas paciſcēdi, priusq̄ vllo ſe fidelitatis iureiurando cōſtringant, præſertim cum etiam antea multa quidem verbis promiſſa, parum autem reipſa conſecutum fuiſſe meminerint, id Reuerendiſſ: & Magnificæ Dom. veſtris benignè diſpiciendum relinquunt. Equidem cum nullus in Regno Poloniæ ſit etiam ex infimo nobilitatis ordine, qui libertates ſuas infringi æquo animo facile patiatur, eò minus vitio verti poteſt Ordinibus, quod eius Ciuitatis debitam curam gerant, quæ licet nunc quàm olim deſpectior & plurium iniurijs expoſita ſit, eiuſmodi tamē Regni Poloniæ membrum eſt, quod nunquam deterius, quàm quiuis alius Status de regno Poloniæ meritum ſit, cuius etiam vniuerſum Regnum nunq̄ meritò pœnituerit.

Compertum eſt iam antea, cum ſuo iure Pruſsiæ Status & Ciuitates viuerent, & à præſentibus difficultatibus immunes eſſent, ipſorum etiam incolarum Regni fortunas bona cum pace ſimul creuiſſe: quàm primum verò tot oneribus obrui cæperunt, Poloniæ ſimul ac Pruſsiæ conditionem paulatim euaſiſſe deteriorem. Nec aliud profecto ſperandum, niſi res in meliorem adducantur ſtatum, tot oneribus abrogatis, quàm exitium Pruſsiæ Ciuitatumq; non parum ipſi Regno ſimul fore perniicioſum.

 Neque

Neque verò vellent Ordines in eam ſententiam hoc accipi, quaſi coactim & nulla Regiæ ſuperioritatis habita contemplatione, cum temeritate quadam rationes ſuas tam pertinaciter vrgeant, ſed illud humanis æſtimari cuperent, quod libertatum, iurium & priuilegiorum quæ maiores ſatis magno redemerunt, tuendorum neceſſitas, idipſum maximè efflagitet. Etenim Regem & dominum aliquē agnoſcere, cuius poteſtati, fortunas, vitam, dignitatem et famam ſubditus permittat, priuſq̄ iuri & libertati ſuæ proſpectum ſit, præpoſterè agi putant Ordines, neque ſine periculo admitti: cum fieri poſſit, & ſæpe factum ſit, vt Regibus etiam iuratis, variæ nihilominus difficultates iuribus & priuilegijs obijciantur. Præterea exiſtimant Ordines in deteriorē partem trahi minimè poſſe, ſi prouideant, ne ſuperioris Electionis actus Ciuitati damno ſit, quæ periculis, iniurijs, moleſtijs, et hoſtilibus conatibus à Cæſarea Maieſtate & conſortibus, expectandis, omnium prima videtur expoſita. Quæ quo minus alios remotiores attingere videntur, eò ſunt apud eoſdem vilioris momenti. Quamobrem & æquum & neceſſariū cenſent, vt in oēm euentum Ciuitati de indemnitate caueatur. Neq. verò iſthæc eo dicuntur animo, quaſi cōſenſum publicum ſoli Ciuitatis huius Ordines ſequi nolint, vel quod à Poloniæ regno ſecedere ſtudeant; nunq̄ enim hoc ab eis cōgitatum, nedum vt eiuſmodi conatus vel minimum documentum verè proferri queat: neque non intelligunt, maiores

iores ſuos excuſſo Marianæ preſſuræ iugo, prudenti conſilio principatum Regni Poloniæ præ cæteris elegiſſe, ſub cuius tutela iuribus & libertatibus ſuis eo cōmodius fruerentur: Et ſanè nihil nunc etiam iniqui petunt ordines, nihil à iuris ratione diſſonum, nihil à publicis commodis alienum, cum ea quæ maiores honeſtè acquiſiuerunt, & poſteris reliquerunt, intacta conſeruari, & quæ in contrarium obrepſerunt grauamina remoueri cupiunt, quo Ciuitas priſtinæ felicitati reſtituta, quod à maioribus accepit, idem ad poſteros integrum tranſmittere, & ſtatu ſuo tranquillo, cum incolis Regni in perpetua concordia, pace & amicitia conſeneſcere poſsit. Etenim ſi tot incumbentia grauamina conſultò non tollantur, eam res præ ſe ferre poſsit ſpeciem, quaſi hæc Ciuitas à ſocietate Regni data opera repudietur, nec vt eius membrum amplius ſit, digna iudicetur. Rationis enim eſt, vt in vno corpore ſingulis membris, atq; adeò digitos minimo, non ſecus ac maximo, ſi modo corpus vndique ſanum eſſe velit, æquè proſpiciatur.

Ex ſupradictis cauſsis, & ijs q̄ inde conſequuntur, nequaq̄ ex re Ciuitatis Ordines eſſe cenſent, nunc quidem fidelitatis iuramentum, vti requiritur p̄ſtare, quibuscunq; tandem rationib. vt id facerent alij fuerint adducti, priusquam ipſa Regia Mtās exemplo Diuorum Anteceſſorū Poloniæ Regum, Terrarum Pruſsiæ Statibus & huic Ciuitati, iuxta formam in priuilegijs expreſſam, debitum

iuſiuran-

iuſiurandum dederit, Ciuitati de priuilegiorum & libertatum ſuarum indemnitate ſufficiēter cauerit, ac grauamina quæ quouis in contrarium modo irrepſerūt, realiter & emendata, caſſa, & abolita fuerint.

Quod cum rectè præſtitum & confectum erit, viciſſim huius Ciuitatis Ordines, iuramentum, fidem, obedientiam, & ſubiectionem p̄ſtabunt, & alioquin tanq̄ fideles ſubditi nihil in ſe quod officij fideiq̄ ſuæ fuerit, deſiderari patientur: Sic vt clemētiſſimè Regia M̄tās intelligat, hanc Ordinū cūctationem minimè (quod abſit) ad M̄tis eius contemptum, ſed vniuerſæ Ciuitatis ſalutem et incolumitatem ptinuiſſe. Quo magis in eam ſpem arrecti ſunt, atq̄ idipſum diligētiſſimis precib. demiſiſſimè rogant, vt Reg. M̄tās pro innata clementia, & qua paſſim apud oēs homines omnium Regiarum virtutum p̄dicatione celebris & illuſtris habetur, nō has ſolum Ciuitatis æquiſſimas rationes & incumbentia grauamina benigniſſimè ad animum reuocare, nec ad vllā regiæ clementiæ offenſionē interpretari dignetur, ſed illud ſibi potius de Ciuitatis omnib. Ordinibus pſuaſiſſimum habeat, eos in poſterum, iuribus & libertatib. ſuis conſeruatis, grauaminib. autē abolitis, in p̄ſtandis eius Regiæ M̄tī ſubiectionis ſtudijs & obſequijs eò fideliores futuros & longè conſtantiores. Neq̄ certè ꝓpterea tam multis verbis inſtitutū ſuum Ordines explicant, quod de Sereniſſ: Regiæ M̄tis fide, ſynceritate, vel clementia quicq̄ dubitent, quinimò iurium, libertatum, & priuile-

et priuilegiorum ſuorum acceſsionem potius in Maieſtatis eius perſonæ munificentia, certò ſibi repoſitam ſperant, quàm vt imminutionem eorundē timendam exiſtiment: Verum quod non ignorent Ordines, quàm varijs artibus Ciuitas, & hactenus oppugnata, varijsq́; difficultatibus implicita fuerit, & necdum oppugnandi vel implicandi finem videant. Nam quid non ita pridem etiam in Regno Sweciæ in maximam Ciuitatis calamitatem agitatum ſit, publicis paſsim rumoribus non obſcurè demonſtratur. Quocirca non imprudenter maiorem etiam cautionē Ordines adhibent, ad Ciuitatis tranquillitatem tuendam, & libertatum, iurium, ac priuilegiorum rationes fideliter vndique cuſtodiendas.

Poſtremo cum inſuper etiam Reuerendiſsimi, illuſtres, & Magnifici Dñi Conſiliarij, Ciuitatis Ordines benignè hortari voluerint, ne fidei vel officio ſuo deeſſent, ſed operam potiſsimum darent, qua & Ciuitatis & vniuerſæ Pruſsiæ quieti, tranquillitati, commodo & incolumitati quàm maximè conſuleretur: Eoſdem Dominos Conſiliarios viciſsim perquàm reuerenter & diligenter obſecrant Ordines, vt & ipſimet Ciuitatis huius rationes benignè & gratioſè ad animum reuocent, neque committant, vt in poſterum tam iniquis oneribus, quibus hactenus contra maiorum merita, contrà vetuſtiſsimæ cōmunionis neceſsitudinem, penè oppreſſa fuit, diutius prægrauetur, ſed eò potius ſua conſilia, ſuasq́; actiones dirigāt,

vt

vt Ciuitatis nec honori, vel dignitati derogetur, nec iuri vel libertati præiudicetur, nedum vt p̄ter meritum violēta quapiam impreſſione, quæ nec terris Pruſſiæ nec toti Poloniæ regno vtilis aut cōmoda fuerit, perturbetur aut tranquillitatis ſtatu dimoueatur.

Ordines itidem, quatenus ſummo ſtudio, viribus, ope, & diligētia facere poſſunt, in tuenda fide, obſequio, & gratificandi voluntate, quod ad conſeruandam dignitatem, ſalutem, & tranquillitatem Regni Poloniæ, & Terrarum Pruſſiæ p̄tinebit, ne quid pro virili ſua negligatur, nihil omnino prætermittent. In cuius rei fidem Ciuitatis Sigillum ſubappreſſum eſt.

QVanquam autem his in medium adductis humilimè ſperabamus, Sereniſſimam Regiam Maieſtatem, eo clementer expenſo, quod obedientiam, fidem, & officiū minimè detrectaremꝰ, quod nihil noui, nihil iniqui peteremus, eas ex Regia benignitate rationes initurā, quibus ſine detrimento iurium & libertatum, exemplo cæterorum Statuum, in Maieſtatis eius regimen & obſequium tutò concedere iam poſſemus: præter omnium tamen expectationem, his omnibus in partem reiectis, paulò pòſt Citationes quædam inter Ordines ſparſæ ſunt, quibus cū ſumma noſtrorum omnium infamia, hunc in modum qui verbotenus ſequitur, euocabamur.

CITATIO.

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæq; &c. ac Princeps Tranſiluaniæ.

VObis famatis, Burgrabio, Proconſulibus, Conſulibus, Aduocato, Scabinis, Centumuiris, authoribus & capitibus cauſæ præſentis, ex officijs & perſonis, deq; bonis veſtris omnibus, vbicunque locorum poſitis habitis & poſſeſſis, ſeriò præſentibus mandamus, quatenus corã nobis & Conſiliarijs noſtris feria quinta proxima, in Arce noſtra Mariemburgeñ, aut vbicunque protunc cum Curia noſtra feliciter conſtituti fuerimus, legitimè, peremptoriè, & perſonaliter compareatis, & ſinguli veſtrum compareant, ad inſtantiam noſtram, & inſtigationem Inſtigatoris officij noſtri, qui vos hoc vno edicto pro tribus perſonaliter & peremptoriè citat, ſicuti & nos citamus, propterea quod vos immemores fidei & ſubiectionis veſtræ, ad quã vi reintegrationis, reunitionis, incorporationis, & inuiſcerationis perpetuæ, iure diuino & humano, aſtringimini, aliorumq; iuriſiurandi ſacramentorum, diuis prædeceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ, tam in verba illorum, quam eorum ſucceſſorum regni coronatorum ac regni præſtitorũ, obliti, eidem ſubiectioni & obedientiæ, quã omnes alij regni & magni Ducatus Lituaniæ, & Terrarum ijs annexarum ordines & Ciuitates

legitime

legitimè præſtant, & vos præſtare debetis, auſu temerario contrauenitis, rebelleſq́ vos, & ſpernentes Maieſtatem ac ſuperioritatẽ & dominium noſtrum & regni, exhibetis, contra omnia iura, inſtituta, morem & conſuetudinem regni, nouo & pernicioſo exemplo, & vt manifeſtè apparet colore & arte varia, quibus reliquis noſtris ſubditis ciuibus eiuſdem Ciuitatis fucum feciſtis, et ad rebellionem manifeſtam viam ſtrauiſtis, opportunitate & ingenijs veſtris fiſi, non attendẽ vos omnes & ſingulos poſt ſtatuum atque ordinum inclyti regni, magni Ducatus Lithuaniæ, & Terrarum Pruſſiæ, ac aliarum fidei ſubiectioniſq́ legittimam profeſſionem, per nos, Senatores, et Conſiliarios regni noſtri diuerſis temporibus, ac tandem non ita pridem, benignè & paternè cum atteſtatione beneficæ voluntatis noſtræ Regiæ, officij veſtri cõmonefactos eſſe, quin potius cauſſas cõminiſcẽdo, Ciuitatẽ noſtrã muniendo, militem externum contra iura regni & conſtitutiones Terrarum Pruſſiæ conſcribendo & fouendo, fidos noſtros ſubditos, Ciues eiuſdem Ciuitatis noſtræ ad rebellionem non obſcuram concitaſtis, ſicuti adhuc concitatis, & omni genere verſuciæ armatis, Inſuper quietam & pacatam hanc prouinciam belli ſtudijs & armis turbatis, eaq́ omnia audacter cõmiſiſtis, ſicuti adhuc cõmittitis, poſtpoſitis fide, iureiurando, honore, obedientia atq́ reuerentia nobis & regno noſtro debitis, per quæ omnia crimẽ læſæ Maieſtatis noſtræ, manifeſtæ fædæ rebellionis,

 & crimen

& crimen certum ignominioſæ defectionis de facto incurriſtis, Citamini itaque tam noſtro, quam Inſtigatoris noſtri nomine præſentibus, peremptoriè & perſonaliter, ad audiendum & videndũ vos oẽs & ſingulos in pœnas criminis læſæ M̃tis, rebellionis, defectionis, Iure & legibus contra eiuſmodi ſancitas incidiſſe declarari. Adhæc itaque & alia, quæ vobis latius, in præfixo termino obijcientur & declarabuntur, prout vobis pro vrõ intereſſe de iure venerit, iudicialiter reſponſuri. Certificantes vos præſentibus, quod ſiue in prædicto termino cõparueritis ſiue non, nos nihilominus abſentia veſtra ſeu contumacia nõ obſtantibus, ad ea quæ ius publicũ dictauerit, diffinitiue proceſſuros. Datum Mariemburgi ſabbato poſt feſtum Exaltationis S. Crucis proximo, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo ſexto.

QVod eò certè magis dolorẽ noſtrum auxit, quod illud ſaltem agi manifeſtè videbamus ab ijs, qui iampridẽ vos ꝓbris et calumnijs inſectati fuerant, vt ſuo more materiam gliſcenti flammæ ſubminiſtrarent, non ſolùm quicquid pro ſalute & vtilitate Reipublicæ fideliter ſuſcipimus, ad meram rebellionem detorquerent, ſed Regem etiam ipſum ad vim parandam, & arma in Ciuitatis perniciem ſumenda concitarent. Etenim cum dies Edicti nondum ceſſiſſet, à peregrino milite Polonis & Huſſaris peditibus, pagus noſter Pruſtenſis ſubita irruptione

ptione circumuentus, præda abacta, itinera circum circa hoſtiliter obſeſſa, in vicinia milites ab Erneſto quodam VVeiero concitati, eoq́ modo iudicium ab Executione, planè contra iuris ordinem conſtitutum. Quibus inceptis, ad manifeſtam vim ſpectantibus, nec ea quidē iuris gentium nobis ſecuritas relinquebatur, qua vel Internūcios vel Procuratores in rem præſentem mittere potuiſſemus: præſertim cum ad animum exempla reuocaremus, quib. olim etiam in ſimili cauſſa, Lublini VVarſouiæq́, iniurijs, calumnijs, & periculis Internuncij noſtri, cum famæ vitæq́ diſcrimine, fuiſſet expoſiti: quinimò non obſcurè per hæc initia maiorem aliquantò rebus noſtris cautionem adhibere monebamur. Cæterum quid hac de cauſſa cum ad Regiam Maieſtatem, tum ad Conſiliarios perſcriptum, quid itidem reſponſum fuerit, hoc ordine ſubijciemus.

Literæ Gedanenſium ad Regiam Maieſtatem.

Sereniſſime potentiſſimeq́ Rex ac Domine Dn̄e clemētiſſime Sereniſſimæ Regiæ Maieſtati veſtræ obſequiorum noſtrorum ſtudia cum ſumma inſeruiendi alacritate demiſſiſſimè deferimus.

Sereniſsimæ Regiæ Maieſtati veſtræ proximis literis noſtris rationes huius Ciuitatis prolixius expoſuimus, quales hoc ſtatu rerum eſſent, quibus etiam impediti, fidelitatis iuramentum adhuc quidem præſtare non poſſumus. Quæ cum eius ſint generis, vt nec ab officio fideq́ noſtra, nec ab æquitatis norma nobis alienæ videantur, omnino futurum ſperauimus, vt quicquid hactenus ſubiectionis præſtandæ ſtudio difficultatis obſtitiſſet, benignioribus remedijs temperaretur.

Verum præterquàm quod nihil à Maieſtate veſtra nobis literis reſponſum eſt, ea ſpe non mediocriter deiecti ſumus, ijs Citationis literis, quæ nuper inter Ordines ſparſæ ſunt, quibus de læſæ Maieſtatis, et rebellionis criminib' grauiſsimis, cum ſumma noſtrorum omnium infamia, duriſsimis & ignominioſiſsimis ſane verbis euocamur. Idq́ magis eò dolemus, quod eius generis flagitia ne quidē ad cogitationes noſtras vnquā penetrarunt. Aliud longè maiorum noſtrorum exemplo didicimus, aliud etiam in colenda ſubiectionis fide, ſereniſsimis anteceſſoribus debita, ſemper & in hunc vſque diem præſtitimus. Neque verò videmus quo pacto crimen læſæ Maieſtatis impingi nobis poſsit, cum Maieſtati veſtræ iurati nondum ſimus, nedum vt ipſius voluntatem de tuendis iuribus & libertatibus noſtris, & abolendis quæ per contrarium irrepſerunt grauaminibus, perſpectam habeamus. Neque illud rebellionis argumentū eſt, quod iura, libertates, priuilegia

noſtra

noſtra ſarta tecta cupimus, ſed fidelitatis potius indicium; vt quò vigilantiores in tuendis illis ſimus, eò Regia veſtra Maieſtas in comprobãda ſubiectionis fide nos experiatur conſtantiores. Præterea grauiſſimum illud omnium eſt, quod dum de Ciuitatis ac Ordinum rationibus tractamus, dum rerum componẽdarum finem quærimus aliquem, interim hoſtilibus irruptionibus pagi Ciuitatis infeſtantur, colonorum fortunæ diripiuntur, prædæ tanq̃ ex hoſtico abiguntur. Quæ quidem initia, quantorum ſæpe malorum occaſiones pariant, exempla non deſunt: quas nunc etiam calamitates nõ Pruſſiæ ſolum, ſed etiam vniuerſo Poloniæ regno cõciliare poſſint, ominari ſaltẽ abhorrem⁹. Nihil armis opus eſt in eos, qui ſaluis iuribus & libertatibus ſuis ſubiectionem & fidem minimè recuſant.

Nec ignorat Regia veſtra Maieſtas ſtabilius imperium eſſe, quod beneuolentia potius quam vi & armis acquiritur, cuius tota ratio non in terrore, ſed in fide parere volentium, conſiſtit. Quapropter cum nihil iniqui petamus, nihil magis in votis habeamus, quàm vt in libera Regni Poloniæ Republica, noſtris iuribus & libertatibus illæſis vti frui poſſimus, quib⁹ rectè præſtitis nec obedientiam, nec ſubiectionem detrectamus, quàm maximis poſſumus precibus demiſſiſſimè Regiam Maieſtatem veſtram oramus, vt inter cætera totius inclyti corporis mẽbra, Ciuitatis etiam huius clementiorem rationem habere dignetur, quàm vt eam quouis iurium aut libertatum ſu-

arum

arum præiudicio vel poſſeſſio ium detrimento prægrauari velit, nedum vt eius Citationis inſtrumento, maioribus quibuſuis difficultatibus nos omnes implicari patiatur. ſed hoc potius ſuæ clementiæ proprium eſſe benigniſſimè ſtatuat, vt rebus omnib. pacatis, & Citatione iſthac abolita, qua noſtrorum omniū fidei et exiſtimationi vehemēter obtrectatur, honeſtis & legitimis rationibus, nobis ſimul & cæteris Pruſsiæ Statibus, vnà cum regni totius incolumitate, quàm optimè clementiſsimeq; conſulatur: Faciet rem hoc regiarum virtutum prædicatione digniſsimam, & nobis viciſsim perpetuis inſeruiendi ſtudijs ac obſequijs nullo non tempore promerendam &c. Datum Gedani 19. Septembris Anno Domini 1576.

Ad Conſiliarios.

Reuerendiſsimi, illuſtres, magnifici, generoſi &c. Cum Sereniſsima Regia Maieſtas, dominus noſter clementiſsimus, nō ita pridem Legatos ſuos huc miſiſſet, vt coram eis iuramentum fidelitatis maiorum more præſtaremus, vniuerſi Ciuitatis huius Ordines nō quidem fidem & ſubiectionem ſuam detrectare voluerunt, nedum vt quibuſuis modis à vetuſtiſsimæ vnionis & Incorporationis concordia ſecedere ſtuderent, ſed rationes ſuas ſaltem, eo quo decet venerationis ſtudio, prolixius expoſuerunt, quibus nimirum impediti, rebus ita ſtantibus, adhuc

huc quidem ad iuſiurandum accedere non poſſent, cum neque Regia Maieſtas ipſa Diuorum Anteceſſorum exẽplo ſtatibus Terrarum Pruſsiæ iuraſſet, neque Ciuitatis iuribus, priuilegijs, libertatibus, grauaminibus, cautum & conſultum fuiſſet, prout ex ipſius reſponſi exemplo, præſentibus literis adiuncto, fuſius oſtenditur. Quæ rationes cum eius ſint generis, vt nec à fide & officio noſtro, nec ab æquitatis norma nobis alienæ viderẽtur, omnino futurum ſperabamus, vt quicquid hactenus difficultatis ſtudio præſtandæ ſubiectionis obſtitiſſet, benignioribus remedijs temperaretur.

Verum præter expectationem noſtram ijs omnibus in partem reiectis, Citationes literæ quædam inter Ordines ſparſæ ſunt, quibus omnes de læſæ Maieſtatis, & rebellionis criminibus grauiſsimis, cum ſumma noſtrorum omnium infamia, duriſsimis & ignominioſis ſanè verbis euocamur. Quod eò magis dolemus, quod eius generis flagitia ne quidem ad cogitationes noſtras vnquam peruenerunt. Aliud longè maiorum exemplo didicimus, aliud etiam in colenda ſubiectionis fide ſereniſsimis Anteceſſoribus debita, ſumma cum obſequentia, belli pacisq́ tempore, cum impendio ſanguinis etiam & fortunarum in hunc vſque diem conſtanter præſtitimus. Neque verò videmus, qua ratione crimen læſæ Maieſtatis impingi nobis poſsit, cum Maieſtati Regiæ iurati nondum ſimus, nedum vt ipſius voluntatem de tuendis iuribus & liberta-

M tibus

tibus noſtris, & abolendis quæ per contrarium irrepſerūt grauaminibus, perſpectam habeamus.

Neque illud rebellionis argumentum eſt, quod iura, libertates, priuilegia noſtra, ſarta tecta cupimus, ſed fidelitatis potius indicium, quod quò vigilantiores in ijs tuendis ſimus, eò Regia Maieſtas in cōprobanda ſubiectionis fide nos experietur conſtantiores.

Etenim negari non poteſt, ſuperioribus annis, cum vniuerſæ Pruſſiæ, tum huius Ciuitatis iura, et priuilegia, varijs modis interrupta, violata, ac penè non peſſundata: meminimus proh dolor, quibus nos artibus oppugnati, in quas difficultates coniecti, quot grauaminum oneribus tota Ciuitas afflicta fuerit: Quin imo nunc etiam experimur, nos non ſolum ijſdem quibus antea calumnijs premi, quicquid pro ſalute vel vtilitate Reipublicæ ſuſcipimus, in ſiniſtram partem detorqueri: Verum etiam arma in nos parari, nec quicquam fermè prætermitti, quod ad extremam Ciuitatis perniciem pertinere videatur.

Quo minus vitio nobis à quoq; rectè verti poterit, quod maiorem aliquam cautionem rebus noſtris adhibeamus, neque perpetua ſacramenti religione nos illigemus,

mus, priuſquam & iurium indemnitatem, & grauaminum abolitionem exploratam habeamus.

Etenim Regem & dominum agnoſcere, cuius poteſtati fortunas, vitam, dignitatem, & famam quis ſubijciat, priusquam ſibi quoque proſpectum ſit, non ſine periculo committitur, cum fieri poſſit, & ſæpe factum ſit, vt Regibus etiam iuratis, literis & diplomatibus confectis, variæ nihilominus difficultates iuribus & priuilegijs obijciantur.

Præterea maximoperè nos afficit, quod etiam ipſius de qua loquimur Citationis contextum cum ſummo noſtrorum omnium præiudicio coniunctum intelligimus. Non enim euocamur ad tuendam innocentiam noſtram, quæ certè legitimi cuiuſuis iudicij præcipua pars eſt, in tam atroci præſertim crimine, ſed ſaltem ad audiendum & videndum nos in pœnas perperam irrogati criminis declarari. Quaſi iam hoc iuris in nos ſtatutum ſit, vt ad cuiuſuis ſiniſtram delationem, non auditi, nedum conuicti, rationibus noſtris omnibus reiectis, ad ſupplicium depoſcamur, cuius quidem tam ignominioſæ Citationis exemplum antehac Ordines non meminerunt, & vt nunc res ſunt longè fortaſſis atrociora, poſtquam iurati fuerint, vereri coguntur.

M ij *Tandem*

Tandem illud omnium grauiſſimum eſt, quod dum de Ciuitatis rationibus tractamus, dum rerum componendarum finem quærimus aliquem, interim hoſtilibus irruptionibus pagi Ciuitatis infeſtantur, colonorum fortunæ diripiuntur, prædæ tanquam ex hoſtico abiguntur. Quæ quidem initia quantorum ſæpe malorum occaſiones pariant, exempla non deſunt, quas etiam calamitates non Pruſſiæ ſolum, ſed etiam vniuerſo Poloniæ Regno conciliare poſſint, ominari ſaltem abhorremus. Nihil armis opus eſt in eos, qui ſaluis iuribus et libertatibus ſuis, ſubiectionem & fidem minimè recuſant: & longè ſtabilius imperium eſt, quod beneuolentia potius quam vi & armis acquiritur, cuius tota ratio non in terrore bellico, ſed in fide parêre volentium conſiſtit. Omnes certè Ciuitatis huius Ordines nihil magis cupiunt, quàm harum Terrarũ tranquillitatem apprimè conſeruari, nihil aliud in votis habẽt quàm vt in libera vniuerſi Regni Polonici Republica, ſuis etiam iuribus priuilegijs & libertatibus tutò frui poſſint, quibus ſaluis & illæſis nec ſubiectionem nec obedientiam debitam detrectant. Qua in re cum nihil iniqui petamus, nihil quod à Regia dignitate, vel Reipublicæ cõmodo ſit alienum optemus, Reuerendiſſimas Ill. & Mag. Dom. veſtras perquàm reuerenter & diligentiſſimis verbis precamur, benignè dignentur ac velint, pro officio ſuo Senatorio, proq́ perpetua erga nos gratia, fauore, ac beneuolentia, clementer operam dare & intercedere,

vt

vt Sereniſsima Regia Maieſtas, inter cætera totius inclyti corporis membra, pro innata ſua pietate Ciuitatis etiã huius clementiorem rationem habere dignetur, quàm vt eam memoratæ Citationis argumẽto, quouis iurium aut libertatum ſuarum præiudicio, vel poſſeſsionum detrimento velit affici, nedum vt per vim armatam cum Pruſsiæ totius clade, Ciuitatem ad intolerabiles conditiones adigi patiatur, ſed illud potius Regiæ ſuæ clementiæ ꝓprium eſſe benigniſsimè ſtatuat, vt rebus omnibus pacatis, & præſertim Citatione iſthac abolita, quæ noſtrorum omnium fidei & exiſtimationi vehemẽter detrectatur, nobis ſimul & Pruſsiæ ſtatibus, vnà cum regni totius incolumitate, quàm optimè clementiſsimeq́; conſulatur.

Facient Reuerendiſsimæ Illuſt. & Mag. Dom. veſtræ rem non minus ſollicitudini ſuæ Senatoriæ conuenientem, quàm vniuerſæ Reipublicæ comprimis vtilem, & qua non ſolum perpetuam ſuam erga nos & vniuerſam hanc Ciuitatem gratiam fauorem & beneuolentiam magis magisq́; teſtabuntur, ſed nos etiam longè deuinctiores reddent, ad ſumma inſeruiendi & gratificandi obſequia, deinceps quoque maximo quo poſſumus venerationis ſtudio demiſsè reuerenter & diligenter vbique præſtanda. Datum Gedani die xjx. Septembris Anno 1576.

Reſponſum Conſiliariorum.

S*Pectabiles famati, amici chariſsimi, ſalutem. Etſi meritò nos offendere debeant, quæ à vobis, & in Re-*

giam Maieſtatem Dominum noſtrum clementiſsimum & in Rempublicam vniuerſam regni, cōmittuntur, tamen pro munere noſtro Senatorio, quo omnibus regni nō modo terris & Ciuitatibus, verum etiam hominibus obſtricti ſumus, vt eorum ſalutis ac fortunarum paternam curam habeamꝰ, indulgendū adhuc vobis aliquid putauimus Itaque à Regia Maieſtate prorogationem promulgationis contumaciæ veſtræ, quod ad diem vobis ab Inſtigatore dictam non adfueritis, impetrauimus, vt longius ſpatium vobis, ad ſaniora conſilia redeundi daretur. Et cum ad nos litteras dederitis, ad eas vobis reſpondere, & vos de officio veſtro paterne admonere voluimus. Etenim quo in errore verſamini, & quæ vobis tenebræ offundantur, tum ex literis veſtris, tum ex exemplo reſponſi Reuerendiſsimo Domino Epiſcopo Culmenſi, & Magnifico Dn̄o Palatino Breſtenſi dati, animaduertimus.

Cauſſas præcipuas, cur Maieſtatem Sereniſs: Regis noſtri, quam reliq. omnes Reipub. terræ, ciuitates, ac Ordines agnoſcunt, vos culturos ſolenni ceremonia interpoſita profiteri nolitis, has adfertis: vnam quod illi vrbi à Regia Maieſtate prius iureiurando, & literis, de ſeruandis iuribus illius, caueri oporteat, Alteram quod pax & amicitia cum Cæſarea Maieſtate, & eius conſortibus antè componenda & ſancienda ſit, Poſtremam, quod actiones ſuperiorum temporum, quibus illa Ciuitas grauata ſit,

tollere

tollere & abrogare Regia Maieſtas neceſſe habeat. Quæ omnia, quam aliena ſint à priſtina illius Ciuitatis in Regnum Poloniæ fide, & iuribus ac inſtitutis cõmunis Reipublicæ, quamque pernicioſo non modo huic Reipubl: noſtræ, verum & omnis Chriſtianis imperijs, & rebus publicis exemplo inducantur, facile quiuis iudicare poteſt. Vnicam vrbem, ſcorſim, ab omnibus terris regni, ac ab ipſis terris Pruſsiæ in quibus ſita eſt, iuſiurandum à Rege peculiare exigere? Quo iure ciuitas Gedanenſis ad regnum pertineat, nihil neceſſe eſt pluribus commemorare, cum id vos ipſi optime ſciatis. Ad hoc, de quo agimus, ſatis eſt, eam libera Repub: Regni Poloniæ, vt ipſi ſcribitis, contineri. Vtrum vero eius eſt, qui communione eiuſdem regni contineatur, ſeparatim conditiones Regi ferre, ſeparatim iuſiurandum exigere, an potius vicini vel peregrini? Vtrum hæc cõueniunt an non ſponſioni maiorum veſtrorum, qua Regi Caſimiro, eiusq; Succeſſoribus ac regno, ſe vosq; poſteros ſuos obligarunt? Recolite memoria illorum verba, vt qua religione teneamini agnoſcatis. Promittentes, inquiunt, pro nobis hæredibus & ſucceſſoribus noſtris, ſub fide, honore, ac onere præſtiti per nos iuramenti, quod Domino Caſimiro Poloniæ Regi, & eius Succeſſoribus Regibus Poloniæ, velut fideles & Subiecti, quemadmodũ cæteri eiuſdẽ Regni incolæ, parebimus, auſcultabimus, & obediemus perpetuo [illegible] & in

in æuum &c. Et item: In ipſius D. regis & ſuorum Succeſſorum Poloniæ regum, ditione, poteſtate, gubernatione, ſubiectione, imperio & regimine, ab hac hora in ppetuum perdurabimus, & conſiſtemus, nec vllo tempore nos à corona Poloniæ, cuius ſumus corpus indiuiduū, ſcindi, ſequeſtrari, aut alienari permittemus, aut conſentiemus. At, inquiunt, iſti qui vobis hanc caliginem obyciunt, Diuus Sigiſmundus de iureiurando dando terris Pruſſiæ, cauit his verbis Priuilegij ſui: Pollicemur illis ait præſentibus literis, quod quandocunque ipſe Sereniſſimus Filius noſter, poſt mortem noſtram, ad ætatem legitimam, nempe ad annos quindecim completos perueniens, poſſeſſionem regni & dominiorum noſtrorum adire voluerit, tenebitur illis id totum præſtare, quod Anteceſſores noſtri Reges Poloniæ, & nos ipſi præſtitimus, ex debito, ad quod eius Maieſtatem, vt filium & ſucceſſorem noſtrum obligamus, videlicet, quod iurare debebit, omnia iura, libertates, & priuilegia, immunitateſúe Terrarum Prúſſiæ, &c: iuſte & legitime donatas ſeruare &c. Fatemur ſane & D. Sigiſmundum Auguſtum, & alios reges, iuramentum terris Pruſſiæ dare debere, ſed non ſeparatim Ciuitati Gedanenſi, nec ipſis terris Pruſſiæ ſeparatim, ſed coniunctum cum alijs terris regni, cum quib: terræ Pruſſiæ, vt eſt in priuilegio Caſimiri, Cōmunem habent coronationem, & quibus cōmuniter, cum cæteris regni terris iuſiurandum Cracouiæ, qua in vrbe reges coronari debēt,

à regibus

à Regibus datur, quemadmodum et Sereniſsimo Rege noſtro, qui nunc rerum potitur, datum eſt. Ita enim & Sigiſmundus Auguſtus coniunctim terris Pruſsiæ, & alijs omnibus iureiurando cauit. Nam in priuilegio, quod terris Pruſsiæ, de iuramēto Anno 1527. Cracouiæ præſtito, ipſis petentibus, cōceſsit, ſic ſcribit: *Pro liberatione fidei diui parentis noſtri, & ſecuritate terrarum noſtrarum Pruſsiæ, præſentibus declarando, hoc noſtrum iuramentum, bona fide dicimus & affirmamus noſtram intentionem & mentē, tunc cum iurauimus, fuiſſe, nec alio conſenſu à nobis intellectum eſſe, q̃ vt ipſum iuramētum, etiam ad terras Pruſsiæ pertineret, ipſæq́ terræ cum ſuis ſubditis in illo eſſent compræhenſæ, vti & compræhenſos volumus & interpretamur.* Hoc cum vidiſſent Torunij Senatores prudentiſsimi & cæteri ordines Pruſsiæ, quod non adfuiſſent in coronatione, ſimili declaratione à Regia Maieſtate accepta, pro ſuo officio in eius Maieſtatis verba iurarunt. At vero iuramento Regis non modo non proſpicitur, ſed derogatur libertatibus terrarum Pruſsiæ, quod in ea tantū iura & priuilegia iurarit, quæ iuribus vtriuſq; gentis Polonicæ & Lithuanicæ non ſint contraria. Quod nihil magis contrarium ſit iuribus Gedanenſium, vt ſcribitis, q̃ Polonicæ & Lithuanicæ conſtitutiones. Quaſi vero his in verbis agatur de iure priuato ſingularum prouinciarum, non autem de publico, vel, vt verbis iuramenti vtamur, cōmuni, totius imperij Poloni-

ci & Lithuanici. Quæ vero gens vnquã fuit, quæ aliter de iure priuato legem inſſerit, quàm, vt ſi quid in qua contra rempub: eiusq́; Maieſtatem rogatum foret, eius rei nihil rogatum fuiſſe iudicaretur? aut quod imperium, quæue res publica coaleſcere, aut tempus aliquod vel breuiſſimum conſiſtere potuit, in qua in legibus de iure municipali ferundis, ius imperij, ac reipub. non fuerit exceptum. Recognoſcite Terrarum Pruſsiæ priuilegia, videbitis, an illis Diui Reges noſtri iuri publico derogare voluerint. Sed dicent aliqui, cõmunis eſt Reſpub. Pruſsis cum Polonis & Lithuanis, cur ergo Pruſſorum ius cõmune non nominatur, ſed Polonorum tantum & Lituanorũ in iuriſiurandi formula? Quod non ita pridem bina imperia, binæq́; Reſp. fuerint, Polonica & Lithuanica, & modo ante aliquot annos, in vnum imperij vim ac ius contulerint. Id vero iam longo ante interuallo, Pruſsia cum Polonia communicatum habuit, ꝑptereaq́; terrarum & gentium Poloniæ appellatione veniat. Hoc maiores veſtri in illa ſponſione, de qua diximus, profitentur, nos & terras prædictas, in ius, ſortem, proprietatem, & titulum coronæ Polonicæ reintegramus, reunimus, &c.

Verum enimuero, ne cui res nouas mollienti obtentui hoc eſſe poſſet, iam ſatis proſpectum eſſe videtur, declaratione Regiæ Maieſtatis publice Torunij facta, quod ius cõmmune Polonorum & Lithuanorum intelligat, illud cuius terræ omnes coniunctæ cum Polonia & Lituania,

 in qui-

in quibus eſt Pruſſia, participes ſint. Iam vero quid illud eſt, quæſo, de pace cum Cæſarea Maieſtate, & eius conſortibus? Scimus quidem Regiam Maieſtatem, tanquam Principem Chriſtianum inprimis cupere, vt cum omnibus principibus Chriſtianis pacem habere poſsit. Sed quæ hæc eſt indignitas, vnicam Vrbē Regi, & vniuerſo regno ſolam, belli & pacis modum præſcribere, nec niſi eius præſcriptum ſeruetur, fidelitatem velle præſtare? an hoc vnq̄ non modo vni Ciuitati, verum & alicui prouinciæ licuit? an hac in re non ſumma autoritas et ius imperij conſiſtit, quam qui ſibi arrogat, an non Maieſtatem Regis & regni ſpernit? Nec vero etiam querela de grauaminibus ſatis vos excuſat; quod non ſtatim officio veſtro, erga Regiam Maieſtatem ac regnum ſatisfeceritis. Prius enim ſolenni profeſſione declarandum, quod à cōmunione Reip. non recedatis eſt, deinde in cōmuni repub. ac eius cōmuni conſilio more maiorum de iniurijs agendum. Etenim iureiurandi regij formula, ſatis indicat, poſt fidē Regiæ Maieſtati datam, ſemper Ordinibus tempus ſuperfore, libere coram Regia Maieſtate de iuribus violatis cōquerendi, nec quo minus id preſſi iniurijs faciāt, ac per ordines Regiam Mtēm admoneant, iuſiurandum Regiæ Mtī datum illos impediturum. Nam certe de iniurijs quorūuis, Reg. Mtās iure cognoſcere, non de facto conſtituere debet. Cognitionē autem & decreti interpoſitionem, quomodo quis ab eius Maieſtate requirere & poſtulare poteſt, qui illam pro Rege non agnoſcat. Atque hoc quidem eſt, quod in Pruſſiæ,

ac cæterarum terrarũ regni priuilegijs de obedientia Regi pſtãda adſcribitur, Saluis iuribus. *Quam vero hæc à Regia Maieſtate non modo intẽpeſtiuè ſed ſeditioſè flagitãtur, nec tam flagitatur, q̃ à quibuſdã ſua fortuna non contentis, omnia turbantur, & optimi ac fideles ciues ſeducuntur? Primum enim, quæ legatio ad Regiam Maieſtatem petendæ confirmationis iurium cauſa, & conquerendi de grauaminibus, poſt coronationẽ Regiæ Maieſtatis miſſa eſt? Imo contra cum externis principibus cõmunicata conſilia, non modo iniuſſu Regiæ Maieſtatis, ſed contra Regiam Maieſtatem, exercitus ex milite externo comparatus, portæ clauſæ, tormẽta ac præſidia diſpoſita, extra vrbem miles collocatus, ad cõiurationẽ boni viri dolo malo inducti & coacti, Cõmiſſariorum Regiæ Maieſtatis ac Senatorum regni familiares, homines nobili loco orti, violati. Quæ ſi non ſunt crimina læſæ Maieſtatis, quæ ratio, qua lædatur Maieſtas Regis & Reipub: reperietur? vt hæc quæ in vrbe illa facta ſunt, non tam noſtris, quam legum de crimine læſæ Maieſtatis ſancitarum, ac præceptorum veterum iuriſconſultorum fere verbis cõcepta omnia videri poſſint. Quo in rerum ſtatu, quid poteſtatis habuerit Regia Maieſtas, quam facultatem ab ordinib. conceſſam, non neceſſe eſt vobis declarare. Scitis quid antiquitus de ijs, qui habendi ſint pro rebellibus ſit ſancitum. Eſt enim lex non nunc excogitata, ſed antè multis ſeculis lata, eos eſſe iudicatos criminis Maieſtatis, non qui ſententia Imperatoris,*

peratoris, aut regis condẽnati ſint, ſed qui læſerint Regis & Reipub. Maieſtatẽ. An enim ſeditio, tumultus, portarum occluſio, militis externi in vrbem ingreſſus, eductæ ex vrbe copiæ, obſcuræ eſſe poſſunt. Tacemus de alijs indicijs, quæ ſuo tempore poſſunt demonſtrari. Quid vero interim Regia Maieſtas? vt clemens & benignus princeps non vi, ſed iure vobiſcum agere voluit. Authoribus & capitibus iſtius ſeditionis dicere diem iuſsit. Interim vero quid actum eſt? Certe non magis erga Regiam Maieſtatem & Rempub: pietas ac fides à vobis declarata eſt. Nemo comparuit. Contumatia iam per ſcribam annotata, vix ſero per manus literæ miſſæ. Nec tamen à nobis beneuolentiæ finis factus. Dilatio promulgationis decreti Regiæ Maieſtatis, ab ipſius Maieſtate in craſtinũ, & acceptis literis veſtris, longior ad diem Lunæ impetrata. Itaque cum omnia humanitatis officia, pro cõmunione Reipub: iam vobis præſtiterimus, hortamur vos & obteſtamur, quod nobis poſtea facere, pro noſtra erga Regiam Maieſtatem ac patriam fide, non licebit, ne vos ipſi vobis deſitis, & die dominico ad Regiam Maieſtatem, viros aliquot inſigniores, conciues veſtros mittatis, per quos ſubiectionem Regiæ Maieſtatis, vt debetis, ſolenniter profiteamini. Alia ratio abolendæ iſtius Citationis nulla eſt. At nondum iurauimus, dicitis, Reg. Maieſtati. Quomodo igitur criminis offenſæ illius Maieſtatis condemnabimur? Quaſi vero non tantundẽ ſit, imminuere Ius Reip.

aut vni tantum Regi viuenti, non etiam futuris Regibus Poloniæ, ſe ſubiectam fore Ciuitas hæc vigore priuilegij, cuius ſuprà verba adſcripſimus, iurare conſueuiſſet. Mementote à quibus Gedanum conditum ſit, deinceps vero q̃ durum iugum hæc Ciuitas ab exteris, occupato alijs bellis Vladiſlao Rege, per ſpeciem auxilij intercepta pertulerit, à qua tempeſtate, quæ illi ac eius ciuibus, eorumq́; vxoribus & liberis impendebat, per Caſimirũ Regem erepta, & liberata, vt mercibus Polonicis amplificata, beneficijs ac immunitatibus à Regib. noſtris aucta ſit. Cognouerit autem aliorum imperium magis ſperando fortaſſe, q̃ experiundo, ſuaue eſſe. Ne quis vero & hoc fingere poſſit, non eſſe ſecurum aditum ad Regiam Maieſtatem, obtinuimus inſup à Regia Maieſtate, pro nuncijs veſtris literas Salui conductus, quas ad vos mittimus. Etſi vero Regia Maieſtas, cum aduerſum ſe & regnum concitatam ciuitatem arma ſumpſiſſe videret, iure optimo, ſtatim armis vti aduerſus illam potuiſſet, tamen pro ſua benignitate id ſuis ꝓhibuerat. Si quæ vero damna alicui illius pago data eſſe liquebit, quod ſi accidit, certe inſcia Regia Maieſtate accidit, ea vt ſarciãtur, operam dabimus, modo vtrum vos pro Subditis Regiæ Maieſtatis ac Regni, vt tenemini, geratis, ſciamus, Id quod, vt declaretis, nuncios veſtros ad Regiam Maieſtatem mittatis. Qui die dominico in regiã veniant. Nam ne nos quidem diutius Regiam Maieſtatem morabimur, quo minus ius ſuum ac regni deinceps,

alia

alia etiam ratione tueatur. De Legatione in Sueciam, ad ſollicitanda contra vos auxilia miſſa, ſane ab incerto authore audiuiſtis. Et valde miramur vobis id perſuaſum eſſe, cum nemo antè de tanta obfirmatione animorū veſtrorum ſuſpicari potuiſſet, quæ ſi cognita fuiſſet Regiæ Maieſtati & Ordinibus, illos etiam certe quæ ſint totius Regni, quæ vnius vrbis vires non latuiſſet. Valete, Ex arce Mariemburgē die xxj. Septembris Anno Dñi M. D. Lxxvj.

beneuoli

Conſiliarij & Officiales Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, cæterarumq́ terrarum ijs coniunctarum.

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, &c. Dominus. necnon Tranſyluaniæ Princeps.

Significamus tenore præſentium quorum intereſt vniuerſis & ſingulis. Cum pro clementia & officio noſtro Regali, iura & priuilegia Regni Poloniæ, magniq́

Ducatus Lithuaniæ & terrarum iis coniunctarum, Cracouiæ, in felici Coronatione noſtra iuramento ſanxiſſemus, iuxta formam eiuſdem iuramẽti in Comitijs dictæ Coronationis noſtræ editam, accidit, vt Conſiliarij et Ordines Terrarum noſtrarum Pruſsiæ circa illud noſtrum iuſiurandum, ac Coronationẽ noſtram non adeſſent, vnde de iure Coronationum Regum, quod cõmune cum alijs Regnicolis habent, periclitari videbantur, atque etiam cum in dicto iuramento ſpecifice & nominatim dictarum Terrarum Pruſsiæ mentio facta non eſſet, verebantur ijdem Conſiliarij & Status dictarum Terrarum, ne qua dubitatio inde oriretur, quo minus dicto iuramento terris quoque Pruſsiæ obſtricti videremur. Itaque cum ad dictas terras veniſſemus, ſupplicatum nobis ab ijs eſt, vt hanc dubitationem declaratione noſtra tolleremus. Cui quidem ſupplicationi benigne annuẽ, de conſilio & conſenſu Conſiliariorum noſtrorum, primum viua voce in facie Senatus, & aliorum multorum noſtrorum ſubditorum declarauim⁹ et interpretati ſumus hoc iuramẽto, quod Cracouiæ fecimus, terris quoque dictis Pruſsiæ, ac eorum hominibus, cuiuſcunque Status & cõditionis nos aſtringi. Deinde vero pro maiori eius rei euidentia hiſce quoq; literis noſtris, hoc idem noſtrum iuramentum declarando, bona fide dicimus & affirmamus, noſtram intentionem & mentem tunc cum iurauimus, eam fuiſſe, nec alio ſenſu à nobis intellectum eſſe, quàm vt ipſum iuramentum

etiam

etiam ad Terras Pruſſiæ pertineret, ipſæq; terræ cum ſuis Subditis, in illo eſſent comprehenſæ, vti & comprehenſas volumus & interpretamur. Hoc item illis cauimus cauemusq; per præſeñ, quod iuxta Priuilegium Diui Anteceſſoris noſtri Caſimiri Regis, debent habere cum reliquis Regnicolis cōmunē electionē & Coronationē Regum futurorum, eoq; iure ſaluo & illæſo vtentur temporibus perpetuis. In cuius rei fidem & teſtimonium Sigillum noſtrum preſeñ literis eſt appenſum & manu noſtra ſubſcriptū. Datum Thoruny penultima die Auguſti Anno Domini M. D. Lxxvj. Regni vero noſtri primo.

Stephanus Rex.

LITERÆ SALVI-conductus.

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ &c. necnon Princeps Tranſiluaniæ &c.

SIgnificamus præſentibus literis noſtris, ad quos pertinet vniuerſis & ſingulis harum notitiam habituris: Quia nos ex gratia noſtra Regia & ad interceſſionem Cōſiliariorum noſtrorum, ne quis ſeueritatem noſtram nimiam cōtra quoſuis ſubditos noſtros aliqua ex parte forte

O pretendere

prætendere poſſit, Nuntijs Gedaneñ ad nos in certis negotijs Reipub. ipſius Ciuitatis proficiſceñ, Saluum Conductũ noſtrum Regium plenamq́ & omnimodam ſecuritatem ad nos veniendi & rurſus ad ſuos redeundi dare & concedere annuimus. Prout damus & concedimus harum ſerie literarum, ita vt hoc Saluo Conductu freti ipſi Nuntij Mariemburgum cum ſuo comitatu ad nos venire & negotia ſibi cõmiſſa diſponere, illisq́ diſpoſitis vel non diſpoſitis rurſus Gedanum redire liberè, ſecurè, quietè, pacificè & abſque cuiuſuis impedimẽto poſſint & valeant, Perſonis, equis & rebus eorum ac famulorum ipſorũ per omnia ſaluis. Quos quidem Nuntios nõ debebimus apud nos retinere vltra duos dies, diem Dominicum & feriam ſecundam proxime inſtantẽ, à die aduentus ad nos computando. Quocirca vniuerſis & ſingulis ſubditis noſtris in Regno & dominijs noſtris conſtitutis, cuiuſcunq́ dignitatis, præeminẽtiæ ſtatus & conditionis exiſtant mandamus & ſeuerius præcipimus, quatenus hunc noſtrum Regium Saluum Conductum firmiter teneatis & obſeruetis, teneriq́ & obſeruari ab omnibus quorum intereſt per omnia faciatis, Nihilq́ contra eiuſmodi Nuntios Ciuitatis noſtræ Gedaneñ aut eorum famulos committere aut facere directè vel indirectè per ſe aut ſubmiſſas perſonas, nec vim aliquam illis vel rebus ipſorum inferre audeatis nec aliquis veſtrum audeat. Aliter itaque non facturi pro gratia noſtra & pæna contra violatores Salui Con-

ductus

ductus noſtri Regij legibus ſancita. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum præſentibus eſt ſubimpreſſum: Datum Mariemburgi vigeſima prima die menſis Septẽbris. Anno Domini 1576. Regni noſtri primo.

Stephanus Rex.

HIs quidem literis hortabantur Dñi Couſiliarij, vt nos officij faciendi gratia ſiſteremus: Verum an iſthoc biduo, res adeo difficilis, ex omnium Ordinum ſententia tractari, concludi, nedum Internuncij, quibus alioquin iter vnius diei conficiendũ eſſet, cum idoneis aut ſufficientibus mandatis expediri potuerint, ex rerum & locorum conditionibus facilè fuerat colligendum. Vnde verosimili⁹ videbatur, omnes iſtas difficultates ab aduerſarijs obiectas, quo magis nos feſtinatione præuerterent, quàm vt rem cõtrouerſam æquis rationibus componi cuperent. Nobis autem in ea temporis anguſtia nihil aliud integrum erat, quàm Regiam Maieſtatem his ſupplicibus votis humilimè deprecari, Dominos autem Conſiliarios de rei ſumma perquàm reuerenter admonere.

Literæ ad Sacram Regiam Maieſtatem.

SErenißimæ potẽtißimæq́ Rex ac Dñe, dñe clemẽtiß: &c. Nihil nobis hactenus maiori curæ fuit vnquã, neque nunc aliud ſummo quo fieri debet, agimus ſtudio, quàm quo pacto cum Regiæ veſtræ Maieſtatis clementia Ciuitatis huius rationes quàm optimè conſtantißimeq́ cõciliare poßimus: Et eam ob cauſam, quicquid huc vſque

O ij difficultatis

difficultates obſtiterit, non ſemel tam verbis quàm literis demiſſiſſimè conteſtatum fecimus. Abſit enim, vt quicq̃ hac in parte à fide vel officio noſtro alienum cōmittere, nedum nos à vetuſtiſſima noſtrorum maiorum incorporatione ſeiungere velimus. Interim autem cum ſummo noſtrorum omnium dolore experimur, nos non ſolum duriſſimis edictis euocari, & eiuſmodi criminibus onerari, à quibus cogitationes noſtræ ſemper abhoruerunt: Verum etiam poſthabitis æquiſſimis excuſationibus noſtris, adeò feſtinanter in ea cauſa procedi, vt vix facultas circumſpiciendi res neceſſarias, nedum alijs modis aut rationibus rem tractandi ꝓpter itinerum obſidiones, & vicinorum agrorum direptiones, ſecuritas hactenus relicta videatur. Quod cum per ſe in his terris inauditum, et a Regiæ Maieſtatis veſtræ tantopere p̄dicata clementia pietateq́; longè ſit alieniſſimum, humilimis precibus oramus, dignetur clemētiſſimè Regia vr̃a Maieſtas, in hac cauſa, qua de iurib. libertatibus publicis, de honore, fama, vita, & fortunis noſtris agitur, eam adhibere benigniſſimam moderationē, vt clementioribus modis Ciuitati conſulatur, ac de rationibus eius maturius ac tutius deinceps tractari poſſit, neúe nos vel temporis anguſtia, vel cuiuſuis contumaciæ q̃ longè à nobis abeſt prætextu, prægrauari patiatur. Faciet rem perpetua ſua clementia maximè dignam, nobis autē omnibus quibus debemus ac poſſumus fidei & obſequij generibus humilimè ꝓmerendam. Datum Gedani die 23. Septembris Anno 1576.

Ad

REuerendiſſimi, illuſtres, magnifici, generoſi &c. Ex literis Reuerendiſſimarũ Illuſt. & Mag. Dom: veſtrarum abundè perſpeximus, in quam partem ea quæ de rationibus noſtris nuper ad Eaſdem prolixè perſcipſimus acceperint.

Nobis ſanè liquidò conſcij ſumus, nihil nos neque cogitare neque petere, quod non optimo iure Ciuitatis huius rationes deſiderent: aliter autem ac in ſiniſtram fermè partem pleraque accipi, vehementer dolemus, præſertim quod toties tam verbis quàm literis officij noſtri rationes declarauimus, neque nunc quidquam à fide officioq́ noſtro alienum cogitamus.

Cæterum quo minus vel ad ſingulas partes literarum Reuerendiſſimis Illuſt. & Mag. Dom. veſtris reſpondeamus, vel etiam tantæ nunc rei tractationem inſtituamus, ipſa temporis anguſtia nos excludit. Etenim heri cum iam adueſperaſceret, literæ nobis redditæ ſunt (nec enim propter Ordinũ abſentiã prius fieri potuit) quæ cum præter morem, omnibus Ciuibus & incolis inſcriptæ ſint, cum ijs cõſultandi longè amplius ſpaciũ requiritur, quàm vt tam feſtinanter cum Ordinibus in eam ſententiam, qua rebus hiſce conſultum ſit, conueniamus.

Præterea vehementer illud nobis obſtat, atque his ipſis rebus maximum impedimentum affert, quod interim dum Legati, literæ, citationes mittuntur, nuper pagus

Pruſtenſis, nunc etiam villa noſtra VVarzenſis, necnon pagus Burggrabij Regij Labiſchaw, hoſtiliter diſpoliātur ac deuaſtantur, non ſolum equis, bobus, pecorib. abactis, frumento & cōmeatu ex horreis & agris deportatis, cæteris rebus confractis, diuulſis, perditis, ſed nouo crudelitatis etiam genere homines inauditis tormētorum inſtrumentis & cratibus excruciantur. Peruaſit iſthæc licentia ad poſſeſſiones etiam Xenodochiorum & Hoſpitalium, quorū agros ab hoſpitibus iſtis defendi magis æquum erat quàm deuaſtari.

Scribunt Reuerendiſſimæ Illuſt. & Mag. Dom. veſtræ, iſthæc inſcia Regia Maieſtate fieri, quod ſi ita eſt, ad Regiæ Maieſtatis auctoritatem pertinet, eiuſmodi facinora coërcere: Quapropter cum hæ res ampliorem omnino deliberationem expoſcant, quantò poſſumus diligentiſſimis verbis perquàm reuerenter oramus, vt Reuerendiſſimæ Illuſt. & Mag. Dom. veſtræ prolixius temporis ſpacium, nec non pro hominibus noſtris pleniorem vltrò citroq; cōmeandi ſecuritatē nobis impetrare dignētur, quo cum cæteris quorū intereſt, ac ſine quorū ſcitu & conſenſu nihil in hoc difficilimo negotio peragere valem⁹, pro rei ipſius grauitate, maturius deliberare poſſimus, ac interim benignè prouidere velint, ne prætextu Citationis editæ, Ciuitatis huius rationes publicè priuatimúe vel iniuria, vel detrimento, nedum aliqua grauiori calamitate vel infamia afficiantur. Intereſt hoc ipſum totius Regni, vt

pacifice

paciſice potius ex æquo & bono componantur omnia, q̃ vt his initijs ad maioris (quod abſit) mali cuiuſuis occaſionem procedatur. Cuius rei benignè conficiendæ quemadmodum in Reuerendiſſimis Illuſt. & Mag. Dom. veſtris maximam ſpem repoſitam habemus, ita nos omnes iſthoc paternæ propenſionis beneficio, ad omnem quæ noſtræ facultatis erunt obſequiorum ſtudia longè ſibi reddent deuinctiſſimos. &c. Datum Gedani die xxiij. Septembris Anno Dñi M. D. Lxxvj.

VErum, licet his eo quo p̃miſſum eſt modo ſcriptis, tamen præter opinionem ipſo die Lunæ 24. Septẽbris, qui bidui fide comprehenſus erat, rumore allatũ eſt, Ciuitatem palàm proſcriptionis Decreto perduellem iudicatam: neque diu pòſt Regij milites, in poſſeſſiones Ciuitatis, in minorem Inſulam armati irrumpunt, Stationarios aliquod noſtros, qui præſidio ruſticis ad prohibendas rapinas, iam ante dies aliquot cæptas, collocati fuerant, vnà cum ruſticis deprehenſis, partim trucidant, diſſecant, partim captiuos abducunt, & diuendunt, agros, pagos, templa, villas, domos, tanq̃ in hoſtico depopulantur, diripiunt, prædas abigunt, homines miſerè trucidãt, multaq́ paſſim inſolenter admittunt: cuius generis rapinarum & incendiorum in hunc vſque diem nullum fermè neque finem neque modum experimur. Cæterum qualis hic ordo iudicij fuerit, in euocandis & proſcribendis

nobis,

nobis, quatenus legibus ac moribus Regni & Pruſſiæ cõgruat, iuriſperitorum ſit arbitrium. Nullus equidem eſt ex Ordine nobilitatis Polonorum, qui principis ſui priuato iudicio honorem, famam, vitam, fortunasq́ ſuas, ſine Regni Conſiliariorum præſentia, ſine legitima cognitione iuris, expoſitas velit: nedum vt Ordinis Senatorij Status aliquis Regni vel prouinciarum, cuius inter cæteros conditionis hæc etiam Ciuitas cenſetur, ad meras calumnias perpetuorum aduerſariorum, ipſis fermè ſolis præſentibus ac vrgentibus, adeò leuiter, indicta cauſa, iure debuerit proſcribi, mox etiam rapinis, cædibus, & incendijs hoſtiliter affligi: præſertim, quod magis eſt, abſentibus & non conſentiētibus harum Terrarum Conſiliarijs, quibus cum Regia Maieſtás, expreſſo cõmunis priuilegij præſcripto, cauſſas eiuſmodi notabiles, quæ non ſolum Ciuitatis huius, ſed totius etiam prouinciæ, ſalutem & perniciem concernunt, tractare, definire, determinare tenetur. Quanquam autem rebus tam inique comparatis, promiſcua ciuium multitudine tam indignis modis vehementer exacerbata, nec cauſæ nobis deeſſent, nec iuris naturalis ratio, vim maiorem, quoad facere poſſemus, à nobis propulſandi, & aduerſariorum noſtrorum, qui calamitatis huius auctores eſſent, expenſis iam ex plurimarum rationum calculo paria faciendi: Tamen atrociora vitantes, & cauſſam maioris calamitatis à nobis teſtatò remouere cupientes, vt omnibus conſtaret hominibus nos pacificam,

Regiæ

Regiæ Maieſtatis gratiam & clementiam, quàm inimicitias experiri malle, Ciues & milites, quantum humana fieri potuit opera, prohibuimus (quãquam ne ſic quidem tot iniurijs extimulata multitudo coërceri potuit) ne cui damnum facerent, neúe cum Regijs militibus, qui nihilominus prædatum ad foſſas fermè Ciuitatis excurrebant, manum confererent. Die verò menſis Septembris vigeſima ſeptima, Tubicen quidam in vrbem aduenit, cum ſchedula germanicè, ſed malè ſcripta, cuius tenorem in vicis & plateis omnibus proclamare debuerat: nec aliud quidq̃ indicio penes eum erat, a quo vel quibus cum mandatis fuiſſet ablegatus. Non abnuit Senatus, quo minus ille mandatum exequeretur, veruntamen cum non abſque periculo futurum eſſet, multis hominum milibus, ob incendia minoris Inſulæ, & vicinarum villarum, quæ etiamnum oculis conſpici poterant exacerbatis, ipſius tubicinis arbitrio rem cõmittit. Ille periculum facile colligens, & incepto deſiſtere cõmodiſſimum ratus, cum literis quæ ſequuntur ex Ciuitate deducitur.

Schedula Tubicinis ex idiomate Germanico, quantum intelligi potuit, tranſlata.

N*Ouit Sacra Regia Mtãs Dominus noſter clementiſſimus incolas huius vrbis eſſe fideles Regni Subditos, ſed quoſdam ſuo priuato compendio ſtudentes, eos*

falſis dictis ſeducere, Quaſi Maieſtas Regia Priuilegÿs huius Ciuitatis detractum ac derogatum cupiat, quod nũquam in animum induxit, Sed ſi quiſquam ius infringere velit, eſſe muneris Regÿ vnum quemlibet penes iura ſua conſeruare ac tueri. Quare cum animaduerteritis quam fortunam illi experti ſint, qui vi Maieſtati Regiæ reſiſtere voluerunt & prohibere ne cum ſuo exercitu ingrederetur: Monet vt petant ac cupiant ipſius Maieſtatis gratiam, nec permittant bona ſua vaſtari, vxores, liberos & ſeipſos trucidari, Si vero id non feceritis, dabit operam R. Maieſtas, vt pauco poſt tempore omnes in illius manus incidatis, nec mentem eius ad lenitatem aut miſericordiam reuocare poßitis, ſed miſeranda morte omnes cum extrema internetione atque excidio pereatis. Si vero gratiam eius Maieſtatis aucupaueritis, Maieſtas Regia vobis iuſtam ac debitam gratiam referet, & libertates, Priuilegia ac iura veſtra inuiolatè ſeruabit.

Literæ Senatus ad Regiam Maieſtatem Tubicini datæ.

SEreniſsime potentiſsimeq́ Rex ac Dñe, Domine clementiſsime &c. Venit ad nos hodie præſentium exhibitor, cum Schedula quadã, quam publicè volebat proclamare, in eam fermè ſententiam ſcripta, vt Sereniſsimæ Regiæ Maieſtatis veſtræ nomine vniuerſos Cives ad Regiam clementiam eius complectendam, rebellionem verò

ſeponendam,

ſeponendam adhortaretur. Quod an citra periculum eius futurum eſſet, vniuerſa plebe, propter publicas poſſeſsiones in omnium conſpectu nuper deuaſtatas, nunc etiam hoſtiliter concrematas, vehementiſsimè cõmota, ipſiusmet arbitrio cõmiſimus: qui rebus aliquanto propius inſpectis, proclamationem eam vtilius cenſuit intermitti. Nos verò non mediocri dolore conficimur, nos & vniuerſam Ciuitatem, præter innocẽtiam noſtram, hoſtilibus ſanè modis affligi, non à Regia Maieſtate veſtra (quod cogitari nefas exiſtimamus) ſed per eos, qui iam compluribus annis penè nihil magis quam Ciuitatis pernitiem exoptant ac moliuntur. Etenim quænam alia cauſa ſit, non intelligimus, præter culpam noſtram iſthæc fieri Deum et conſcientiam teſtes locupletiſsimos habemus.

Nam nec fidem & ſubiectionem noſtram detrectamus, nec à cæteris Ordinibus Regni nos ſeiungimus, modò noſtris etiam iuribus, priuilegijs, libertatibus, & tot incumbentibus grauaminibus, more maiorum, rectè prouideatur ac conſulatur. Id quod iam antea pluribus literis, reſponſis, tractationibus abundè ſuperq; tam diſertè declarauim⁹, vt minimè nunc opus ſit denuo cõmemorare.

Cæteri plærunque ſubditi, cùm nouus princeps inauguratur, eò ſunt ad officium ſuum alacriores, quod libertates ſuas nouis immunitatibus auctum iri ſperant, ſoli nos tam infelici fato conflictamur, vt nec eorum q̃ nunc ſunt incolumitatem ſatis habeamus exploratam, quinimo

inauditis hactenus cladibus, interim dum nobiſcum vltrò citroq; tractatur, pluſquam hoſtiliter affligamur. Idque magis eò dolet, quod ne quidem Internuncios ad Regiam veſtram Maieſtatem tutò mittendi, deq; rebus noſtris cum ipſamet ſufficienter agendi, propter itinerum obſidiones, & publicè nunc vſurpatas direptiones, eo quo neceſſum eſt temporis ſpacio, facultas nobis relicta fuerit. Neque certè dubitamus, ſi nunc etiam Maieſtas veſtra Ciuitatis cauſam clementius attendere, remq; omnem ex Internuncijs noſtris maiore cum ſecuritate cognoſcere dignabitur, quin deinceps æquiori erga nos omnes animo ſit futura: Nam quæ iura, quaſq; libertates maiores noſtri ſuo ſanguine comparatas nobis tradiderunt, ea poſteris intacta non relinquere, perpetua cum infamia noſtra dubio procul, ipſa Maieſtate veſtra iudice, cōmitteremus. Quapropter iterum ac iterum humilimis precibus ſupplicamus, dignetur benigniſsimè Sacra Regia veſtra Maieſtas rebus his omnibus maturè tractandis & ex æquo bonoq; componendis, clementiorem aliquem modum adhibere, quàm vt haſce terras cum fidelium ſubditorum irrecuperabili detrimento ſpoliari, vri, deuaſtari patiatur. Faciet rem benignitati ſuæ Regiæ planè conſentaneam &c. Datum Gedani die 27. Septembris Anno 1576.

EOdem etiam die Regiæ Maieſtatis nomine literæ, inter ruſticos & colonos Inſulæ minoris iam antea

ſpoliatos

ſpoliatos & eiectos, ſparſæ ſunt, quibus iubebantur ad lares ſuos promiſſa ſecuritate reuerti. Quorum nõnulli reuerſi ſunt, verum nec ea quæ iam amiſerant receperunt, & quod reliquum erat ſubſtantiæ, pecorum, vel peculij, ereptum, mactatum, vel abductum.

Literæ Regiæ ex Polonico idiomate tranſlatæ.

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ &c.

VNiuerſis & ſingulis Subditis noſtris omnium inſulæ villarum, ex quib. hoc tempore ſubditi noſtri ceſſerunt, Significamus hanc eſſe voluntatem & mandatum noſtrum, vt quilibet ſine mora ad ædes, agrum & facultates ſuas quantocyus cum vxore, liberis & vniuerſa ſubſtãtia reuertatur. Id ſi feceritis, rebus veſtris, ſicuti antehac, ſecurè vti poteritis. Si vero aliter facere & cum rebellibus habitare, & vos illis permiſcere præſumpſeritis, non tantum domos & facultates veſtras amittetis, ſed etiam vitæ periculum ſuſtinebitis.

Quare abſque mora ad veſtra reuertimini, certi, quamprimum reuerſi fueritis, vos ijs ſecurè vſuros, & ſub protectione noſtra ita futuros, ne vos etiam minimũ malum offendat, ſub graui indignatione noſtra aliter non facturi. Datum Grebini die 17. Septembris Anno Dñi 1576. Regni noſtri Anno primo.

Stephanus Rex.

INterim cum Grebinum, in Ciuitatis villam, Regia Maieſtas proceſsiſſet, Internuncios eò noſtros, accepta fide publica, bonaq́ʒ ſpe difficultates adhuc enatas honeſtis conditionibus componi poſſe, cum ijs quæ ſequuntur mandatis, ablegauimus.

INSTRVCTIO EORVM

quę Sereniſsimæ Regię Mtī Poloniæ &c. Dn̄o noſtro clemētiſsimo Ciuitatis Gedanenſis ex omnibus Ordinibus Internuncij, Spectabiles clariſsimi & famati Dn̄s Petrus Behm Burgrabius, Tidemānus Giſius Iuris V. Doctor, Conradus Lemke Scabinus, et Ciriacus à Vechteld Centumuir, humilimo venerationis ſtudio proponent.

SErenißimæ Regiæ Maieſtati Domino noſtro clemētißimo, primum omnium Internuncij nomine totius Ciuitatis humilima obſequiorum ſtudia, cum ſumma venerationis obſeruantia, & inſeruiendi promptitudinem ab Ordinibus demißißimè offerent. Simul Eidem Maieſtatis Regalis dignitatem ac euectionē ad inclytum Poloniæ Regnum, verbis & animis humilimè congratulabuntur, Votis

Votis omnibus Deum omnium imperiorum diſpēſatorem religioſiſſimè comprecantes, vt feliciſſimum hoc regimen cum ipſius Maieſtatis perpetua & immortali gloria, totiusq; Regni ſalute, cōmodo & tranquillitate coniunctum ſit, ac inter cætera laudatiſſimi Regni membra hæc quoq; Ciuitas clementiorem Maieſtatis eius animum, quàm hactenus ſenſerunt Ordines, cum promptiſſimo ſubiectionis & fidei ſtudio poſſit experiri.

Deinde verbis quàm diligentiſſimis factum excuſabunt, cur hactenus ad Regiam Maieſtatem nomine Ciuitatis Internuncij miſſi non fuerint. Nam præter alias difficultates, quibus publicè Ciuitatis rationes non vno modo premuntur, illud Ordines magnopere diſtulit, quod ſtatim circa Maieſtatis eius aduentum in Terras Pruſſiæ, Ciuitatis Legati vix etiam in conſilio Terrarum publico ſecuritate ſua vti potuerint, interim autem impedimenta longè maiora ſuperuenerunt, vijs omnibus obſeſſis, & belli terrore in agris vndique circumulato, ſic vt ad Regiam eius Maieſtatem omnis ferme nobis aditus fuerit pclnſus. Quapropter humilimè petendum & obſecrandum, ne Regia Maieſtas hanc moram ad vllum (quod ſemper abſit) ſui deſpectum, nedum ea quæ ſtudio conſeruandorum iurium, priuilegiorum ac libertatum ſuarum ab Ordinibus neceſſario ſuſcepta ſunt, ad rebellionis aliquod crimen interpretari dignetur.

Huic illud etiam addent Internuncij, grauiſſimo

cum

cum omnium mœrore ad Ordines referri, contumaciæ decretum nuper aduerſus Ciuitatem eſſe promulgatum, poſthabitis & æquiſſimis rationibus, & declarationibus Ordinum de ſubiectionis & fidei ſtudio non ſemel in mediũ adductis: præſertim cum ea temporis anguſtia ne quidem Internuncij, cum eorum quorum intereſt conſilio tam celeriter potuerint expediri. Quamobrem humilimis precibus orabunt, vt Regia Maieſtas pro innata ſua pietate, quam perpetuam nobis eſſe percupimus, clemẽtiſſimè prouidere dignetur, ne Decretum iſtud Ciuitati damno vel præiudicio ſit, neúe per illud ea quæ deinceps tractanda ſunt vel impediantur, vel eius reſpectu grauius quicquam vel acerbius in Ciuitatem conſulatur.

Præterea, quod ad ſubiectionis profeſſionem attinet, quanq̃ Ordines æquum ſe petere iampridem exiſtimauerint, vt Regia Maieſtas, more diuorum Anteceſſorum, Terris Pruſſiæ peculiare iuſiurandum daret: tamen cum animaduertant, Eam neutique ſuæ dignitatis id ducere, quod præſertim cæteri Pruſſiæ ſtatus hoc amplius nõ vrgeant, illud ſaltem & Regiam Maieſtatem clementiſſimè facturam humilimè confidunt, vt publico diplomate caueat, quod per iuramentum Cracouiæ præſtitum iuribus, priuilegijs, & libertatibus Ciuitatis, nihil debeat derogari.

De confirmatione porrò immunitatum & priuilegiorum ſuorum, exemplo Diuorum Regum Anteceſſorũ ſolennib. literis edenda, minus eò dubitant Ordines, quod

eandem

eandem Regia Maieſtas cæteris Terrarum Pruſſiæ ſtatibus partim clementiſsimè præſtitit, partim etiam liberaliſsimè cum augmento promiſit. Petunt autem humilimè, vt eo præ cæteris exemplo quo Diuus Sigiſmundus fecit, Confirmatio perſcribatur.

Tandem cum plurima ſint grauamina ſuperioribus annis cōtra Ciuitatis iura, priuilegia, libertates, antiquiſſimas conſuetudines ingeſta, quæ ſunt eius fermè generis, vt niſi cùm abrogentur tùm emendentur, Ciuitatis ſtatus incolumis conſeruari minimè valeat, quàm poſſunt Ordines humilimis precibus, et ſummo quo debent ſubiectionis ſtudio petunt, obſecrant, orant, ſupplicant, ac obteſtātur, vt Sacra Regia Maieſtas in conſeruando vniuerſæ Reipublicæ ſtatu tranquillo & felici, Ciuitatem hanc etiā ſaluam & incolumem permanere, offenſiones omnes & quicquid inde difficultatis ſecutum eſt, penitus aboleri, quodq́ maximum eſt ijs grauaminibus exonerari eò clementius velit, quo fidem eius in poſterum experiri conſtantiorem exoptet.

Vellent quidem Ordines, atque id maximè ſe decere non ignorant, & ſæpe quidem illud cogitarunt, & nunc cogitant, cum Regia Maieſtate tot grauaminum incumbentium rationes, & quicquid iiſdem adhæret difficultatis, per Internuncios ſuos in eam rem mittendos, humilimo cum obſequendi ſtudio tractare, iiſdem remedium aliquod oportunum inuenire, ac ſi fieri poſſet, etiam ſimul

Q   & ſemel

& ſemel, cum eius Maieſtatis benigniſsima æquitate, & Ciuitatis vniuerſæ cõmodo eaſdem terminare atque componere: Verum eiuſmodi res ſunt, vt nec tam anguſto ſpacio confici poſſint, nec Ordinibus integrum ſit, Internuncijs quibuſuis aliò mittendis rei ſummam committere, nec omnino niſi præſentibus Ordinibus commodè valeant expediri.

Proinde ſi Regiæ Maieſtati clementiſsimè videretur, hac in parte Ciuitati quidpiam indulgere, eiuſdem benigniſsimo ſubijciunt Ordines arbitrio, num ex Maieſtatis ſuæ Conſiliarijs quoſdam, Ciuitatis huius rationum nõ imperitos, neque ſuſpectos, ſed pacis & reipublicæ amantes, deligere velit, qui cum ordinibus pacatè omnibus de rebus ſufficienter tractent, & vnà cum ipſis rerum harũ finem commodiſsimum diſpiciant, priuſquam Ordines ad iuſiurandum adigãtur. Sperant Ordines ſi benignius & pacatius aliquantum agatur, non difficulter alijs etiam remedijs, & ad Regiæ Mũs voluntatem, & totius Regni tranquillitatem, ſimul & Ciuitatis huius incolumitatem poſſe bona cum gratia perueniri. Sic etiam, Ordinibus in ipſa re qua de agitur præſentibus, dubio procul appareret, ea quæ nunc fiunt, non quorũdam priuato ſtudio componi, ſed publico omnium decreto ſuſcipi.

Hoc pacto Regia Mtãs vltrò ſeſe moleſtijs hiſce liberauerit, nec opus ſit maiori quopiam incõmodo, quàm hactenus eius ſatis ſuperque fuit, Ciuitatem & viciniam

omnem

omnem aggrauari, ſed hoc potius Regalis eſſe clementiæ maximè proprium benigniſsimè ſtatuere dignabitur, quo modo rebus omnibus tranquillis, benignioribus & honeſtis rationibus huic Ciuitati æquè ac cæteris Pruſsiæ Statibus, quàm optimè clementiſsimeq́ conſulatur.

Ordines huius Ciuitatis vniuerſi viciſsim nec fidem nec ſubiectionem Regiæ Maieſtati præſtandam, nec quicquam aliud in æquitate poſitum detrectant vel recuſant, nedum vt à vetuſtiſsima ſuorum maiorum incorporatione vel latum vnguem diſcedere concupiſcant, ſaltem illis & de iurium indemnitate, & grauaminum abolitione, maiorum more rectè ſinceréq́ prouideatur.

Quod poſtremò ſupereſt, Sereniſsimæ Regiæ Maieſtati, ſubiectionis & inſeruiendi cupiditatem, cum humilimo gratificandi ſtudio, Ciuitatis huius omnes Ordines pro ſummis ſuis facultatibus exoptant eſſe ſemper & vbique perſpectiſsimam. In cuius rei &c. Datum Gedani die xxjx. menſis Septẽbris Anno Dñi M. D. Lxxvj.

HIs expoſitis, Magnifici & generoſi Dñi Palatin⁹ Cracouiẽſis & Regni Procãcellarius delegati ſunt, qui de rebus p̃ſentib⁹ multa cum Internuncijs vltrò citroq́ priuatim verba facerẽt: neq́ ſpes in eo colloquio videbatur deeſſe, quo min⁹ res oĩs pacificè & honeſtè tranſigeretur:

tandē autem die poſtero p̄ter expectationem, coram Regia Maieſtate conditiones quædam Internuncijs ꝓpoſitæ ſunt in vrbem referendæ, his nimirum verbis conſcriptæ:

1 Militem dimittant,

2 Iuramentum præſtent,

3 Extraneos eijciant, qui iurati nō fuerīt,

4 Priuilegiorum confirmatio dabitur & miles ex Prouincia à nobis educetur,

5 Ad Comitia Regni veniant,

6 Supplices veniam deprecentur,

7 Decretum ſubleuabitur ſuis modis,

8 Grauamina quæ iuſta videbuntur auferentur.

AD haſce conditiones neceſſarium videbatur reſpondere, & Regiæ Maieſtati, quid hac in parte Ciuitatis rationes paterentur, humilimo ſtudio demonſtrare. Quapropter Internuncij denuò miſsi, cum eo reſponſo, & vlterioribus mandatis quæ ſequuntur.

Reſponſum Ordinum ad Articulos Ser: *Regiæ Maieſtatis nomine, Ciuitatis Internuncijs nuper propoſitos. Datum die 4. Octobris Anno Domini M. D. Lxxvj.*

Quid

QVid Sereniſs. Regia Maieſtas ad proximam legationem Internuncijs huius Ciuitatis reſpondere dignata fuerit, Ordines ex illorum relatu, quo par eſt humilimo venerationis ſtudio, ſed non abſque ingenti animorum mœrore cognouerunt. Quod eo vehementius omnibus dolet, quò maiori non modò cum difficultate, ſed etiam ſummo cum iurium, priuilegiorum, ac libertatum præiudicio, famæ, fortunarum & vitæ periculo, conditiones eas quæ ſcripto propoſitæ ſunt coniunctas videmus.

1. *Ac primum quidem militis conſcribendi non ea fuit Ordinum intentio, quod quempiam offendere vel iniurijs afficere, nedum rebellionis ſpeciem præ ſe ferre vellent. Sed quod Ciuitatem in hoc periculoſiſſimo ſtatu rerum ab hoſtili inuaſione defendere cuperent, quod & antea factum, & à Sereniſſimis Regibus approbatum eſt. Varij primũ ex Germania, Dania, & Suecia, ſparſi ſunt rumores, de bellicis apparatibus, & nunc etiam ſparguntur, quibus improuiſo Ciuitatem opprimi, nec ex Ciuium vſu, nec ex totius Poloniæ Regni cõmodo fuiſſet futurum. Deinde ab alijs etiam, à quibus minimè debuit, non horrendæ ſolum cõminationes, de cædibus, rapinis, & vaſtationib. in Ciuitatem factæ, verum etiam armata manu publicæ priuatæq́; poſſeſſiones direptæ: nec obſcurum eſt, quàm atrocia nunc etiam Ciuitati & incolis minitentur. Quare re vim & iniuriam à corpore ſuo, ab vxoribus, liberis, & fortunis impunè ꝓpulſare naturalis etiã ratio ꝑmittit.*

Enimuerò ſi vis metuenda non eſſet, ſi more maiorum ageretur, & res omnes benignius aliquantò quam nunc apparet tractarentur, ad militis etiam dimiſſionem facilius poſſet perueniri.

2. *Ad iuramentum præſtandum quod attinet, nunquam illud recuſarunt Ordines nec adhuc recuſant, modò viciſſim illis de iurium ac libertatum indemnitate, déque grauaminum abolitione proſpiceretur. Quod vti per ſe æquiſſimum eſt, ita nihil nouum vel peculiare præ cæteris petere videntur, cum & Lithuanis & reliquis Pruſsiæ Statibus ita cautum audiant, eo diſertè addito, vt niſi illa inuiolata ſeruarentur, nec ipſi quidem iureiurando ſuo tenerentur. Hunc in modũ ſi Ciuitatis etiã Ordinibus re integra, rectè caueretur, omnium incolarum animi, quibus alioquin iſthæc actiones plurimum ſuſpectæ ſunt, ad præſtanda quæ ſuæ eſſent fidei officijq́, longè eſſent futuri propenſiores. Interim illud etiam æquiſſimum putant Ordines, vt antequam iuramentum præſtent, contumaciæ Decretum, & offenſæ cæteræ ex ſuperioribus actionibus ortæ ſic aboleantur, ne cui publicè priuatimúe ſint fraudi, periculo, vel detrimento.*

3. *Quod ad extraneos nõ iuratos attinet, vt eos vrbe pellamus, quantæ difficultatis, atq; adeò quàm impoſsibile iam antea fuerit, in ſuperioris Cõmiſſionis negocio nõ nos ſolum ſatis experti ſumus, ſed ipſi quoq; Dñi Cõmiſſarij luculenter teſtabuntur. Non incognitum eſt tam mercatores*

tores q̄ opifices manuarios, libertatem plerunq; ſectari, Ciuitates vbi liberè ſuis legibus ac moribus viuant frequentare, cæteras vbi quouis grauamine premantur deſerere ſolere. Quod hîc etiam vſu venit, in negocio Cōmiſſionis, cum ab opificum ſeruis iuſiurandum exigebatur, vt non ſolum ſinguli magiſtrorū operas relinquerēt, ſed agminatim etiā ex Ciuitate, nō ſine publicæ trāquillitatis periculo diſcedere properarēt. Quapꝑter cum hoc iam antea & periculoſum & impoſsibile factu inuētum fuerit, humilimè petūt Ordinesq; ꝓuideri, ne inuſitato iſthoc exigendi ſacramēti gn̄e, cum extraneis quorū operis & cōmercijs Ciuitas minimè carere poteſt, maior aliqua difficultas excitetur. Non ſolum enim hoc modo à Ciuitate abigētur, ſed etiam alibi noſtrates eodem exemplo ſimili onere grauabuntur.

4. Priuilegiorum confirmationem, vti ſemper petiuerunt, ita nunc etiam petunt Ordines, non verbotenus ſolum edi, ſed multò magis reipſa benigniſsimè præſtari.

5. Ad Regni Comitia quod attinet, cū Terrarū Pruſsiæ priuilegio diſertè cautū ſit, vt oēs cauſſæ notabiles Terras Pruſsiæ cōcernentes, cum conſilio Conſiliariorum Pruſsiæ terminentur ac definiantur: exiſtimant Ordines hunc in modum Ciuitatis etiam huius rationes & grauamina idoneè poſſe tractari, componi, & terminari.

6. Vt autē ſupplices, cū exiſtimationis infamia, veniā deprecemur, nulli⁹ nobis facinoris conſcij ſum⁹: quinimò Sereniſs. Reg. Mtī demiſſè ſupplicam⁹, vt ſi quàm de nobis ſini-

ſiniſtram concepit ſuſpicionem, eam ex animo clementiſſimè amouere, & vicißim quicquid ſuperioribus actionibus contra libertates & priuilegia, vel in Ciuitatis detrimentum attentatum fuit,

7. *Inprimis autem, quicquid ex memorato Contumaciæ decreto præiudicij exſtitit, non ſuis tantum modis ſubleuare, ſed etiã penitus abolere clementiſſimè dignetur.*

8. *Grauamina certè tanta ſunt, partim iuribus, priuilegijs, & perpetuis conſuetudinibus apertè cõtraria, partim etiam alijs quibuſdam medijs iniquè admodum ingeſta, vt niſi æquior quam hactenus illorum ratio habeatur, Ordines nihil omnino præſidij vel in ipſis priuilegijs vel in illorum Confirmatione ſibi relictum eſſe videant. Maiores noſtri qui Ciuitatem hanc condiderunt, libertates ſuo ſanguine comparatas per manus nobis tradiderunt, eas quod poſteris etiam intactas conſeruare ſtudemus, nemo certè meritò reprehendere poteſt. Quinimò ſi neglexerimus eaſdem, ſi vitam vel fortunas cariorem illis habuerimus, ſummæ nobis apud poſteros infamiæ loco ſit futurum. Nullus hic eſt Regiæ Maieſtatis contemptus, nulla dignitatis Regalis imminutio, nullum rebellionis argumẽtum. Id demum in votis ſolum habemus, vt ſaluis & illæſis iuribus ac libertatibus, abolitis grauaminibus, ſub protectione, auctoritate, & dominio Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis, æquè vt cætera Regni membra, tuto pacificeq́ degere poßimus.*

Quapropter

Quapropter cum petitiones noſtræ ſumma nitantur æquitate, iterum ac iterum humilimis precibus Ordines ſupplicãt, vt Sereniſſima Regia Maieſtas deinceps etiam clementioribus rationib⁹ nobiſcum agere dignetur, quàm vt nos in manifeſtum iurium, libertatum, priuilegiorum, vitæ, & fortunarum diſcrimen conijci patiatur.

Hoc pacto noſtrorum omnium tranquillitati rectius conſuluerit, & feliciſſimi regiminis auſpicium cum ſumma ſua laude, cum vniuerſi regni commodo, cumque Subditorum incolumitate ſtabiliuerit, omnes autem Ciuitatis huius Ordines & incolas ad præſtanda ſubiectionis officia debita, perpetuo ac fideliſſimo inſeruiendi ſtudio, Diuorum Regum Anteceſſorum exemplo, longè ſibi reddiderit deuinctiſſimos. In cuius rei fidem &c.

Inſtructio eorum quæ ad Ser: Regiam Mtẽm Poloniæ etc. noĩe Ciuitatis Gedanenſis, omniũ Ordinũ Internuncij Spectabiles clariſsimi & famati D. Petrus Behm Burggrabius, Heinricus Lemke Iuris Doctor Syndicus, Conradus Lẽke Scabinus, & Ciriacus à Vechteld Centumuir, denuo referẽt. Data die 4. menſis Octobris Anno Dñi 1576.

R Sereniſſ:

SEreniſsimæ Regiæ Maieſtati Ciuitatis Internuncij quanta fieri debet venerationis obſeruantia, poſt delata obſequiorum paratiſsima ſtudia, iterum ac iterum diligenter ad animum reuocabunt, quàm variæ & difficiles ſint Ciuitatis huius rationes ex ſuperiorib. actionibus oriundæ, ſic vt neceſſario rerum omnium tractationes vltrò citroq; intra Ciuitatem ſuſcipi iamdudum Ordines petiuerint, ac eandem ob cauſam fidelitatis iuramentũ tantiſper protulerint, quoad de iureiurando Regio, de confirmatione priuilegiorum, ac demum de grauaminum abolitione rectè fuiſſet prouiſum.

Cæterum cum animaduertant Ordines Sereniſsimã Regiam Maieſtatem ab omnibus tractationibus prorſus alienam eſſe, priuſquam iuramentum præſtetur, Ciuitatis autem rationes non patiantur, vt ſine cautione de iuribus, priuilegijs & libertatibus illæſis, ad iuramenti vinculum Ordines procedãt, ideo vellent Ordines vt media quadam via, ſine Regiæ Maieſtatis, & abſque iurium noſtrorum detrimento de reipſa conueniatur.

Quod hoc maximè modo fieri poſſe exiſtimant, ſi conſentire dignetur Regia Maieſtas, vt literarm exempla, quibus declarationem iuramenti Regij, nec non formam confirmationis priuilegiorum, & abolitionis grauaminum, edere velit, Ordinibus exhibeantur.

Quibus, ſi verbo Regio, idoneè ſibi cautum eſſe videbunt, tum demum Ordines iuramẽtum more maiorum, & ſubie-

& ſubiectionis fidem nõ detrectabunt, ſic tamen vt iuxta præſtitum iuramentum ea diplomata in forma Originali ſimul concedantur.

Illud autem in primis Internuncij cauere curabunt, vt pace Religionis promiſſa, iſthæc etiam clauſula confirmationi Priuilegiorũ inſeratur: Niſi illa ſalua & illæſa conſeruentur, ne Ciuitatis quidem Ordines iureiurando ſuo teneantur. Deinde, vt contumaciæ decretum, ac omnes offenſæ ex ſuperiorib. actionibus exortæ penitus aboleantur, nec cuiuis publicè priuatimue ſint fraudi, periculo, vel detrimento.

His ita Conuentis non recuſant Ordines quo minus in verba Reg. Maieſtatis iurent, & ſubiectionis ac fidei debitum præſtent. In cuius rei fidem &c.

QVæ cum non candidè minus quàm fideliter à nobis proponerẽtur, in alienum tamen ſenſum, maxima cum indignatione, perperam ſuſcepta fuiſſe, reſponſum Internũcijs in eam rem datum, manifeſtius oſtendit. Vt ex eo facile fuerit intellectu, non ab ijs iſthæc concinnari, qui pacificam aliquam tranſactionem optent, ſed ad Ciuitatis potius perniciẽ ac euerſionem conſilia inſtituant. Nec enim vel æquiſſimas petitiones noſtras admittunt, nec rationibus æquabiliter reiectis cõmodiora proponunt, ſed repetitis ſaltem ſuperioribus conditionibus, multas inſuper criminationes, & contumelias, verbis ignominiæ

plenis accumulat, quibus Ciuitatis exiſtimationem, libertates, & iura ſubuertere conantur, quod ex ipſius Reſponſi contextu liquidius apparebit.

RESPONSVM NOMINE Sacræ Regiæ Maieſtatis datum nuncijs Gedaneñ Grebini die vj. Octobris Anno Domini 1576.

QVod à Deo optimo maximo Sacra Regia Mtās ſummis precibus flagitabat, ne ciuilibus armis implicaretur, ſed tantum aduerſus externos & perpetuos nominis Polonici hoſtes, operam ſuam Reipub. nauaret, eius voti ſe iam non fore compotem, Ciuitatis Gedanenſis ſuperbia & temeritate impeditum videt, atque hanc ſibi felicitatem ereptam eſſe vehementer dolet.

Ac inprimis teſtatur, huius quæ ſequetur calamitatis, ipſos ſibi Gedanenſes cauſam fore, qui non ſolum ipſius Sereniſſimi Regis ac Regni Mtēm, temere lædere in animum induxerint, verumetiam ſæpius à Regia Maieſtate plane paterne admoniti, ad officium redire noluerint, clementiaq; Regiæ Maieſtatis, ac patientia, quæ omnino iuſtum dolorem exuperarent, abuſi, eo magis magisq; inſoleſcerent.

Quod eo clarius liquebit, ſi ſpatium proximè p̄teriti temporis memoria repetere, & ea quæ ab ipſis indies committebantur,

mittebantur, & à Regia Mtē miti & patienti animo ferebantur, recognoſcere, & ſecum adhibito recto iudicio reputare voluerint. Conſtabit certe Regiam Maieſtatem paterno prorſus erga illos affectu, magis de ipſis errore leuandis, quam ſeueritate exercenda, cogitaſſe, nec tam illorum opprimendorum occaſionem, cum ſæpe & tantum temporis illis, vt ad meliora & ſaniora conſilia redire poſſent, impertiuerit, quam conſeruandorum, vt diutius florere, & beneficijs Regni ſui, ac ſuis frui poſſent, modum ac viam quæſiuiſſe.

Principio Sacra Regia Maieſtas, Ordinibus Terrarum Pruſſiæ conuētum cōmunem permiſerat, vt de communi conſilio, legatos legere, ac per ipſos à Regia Mtē, ea, quæ ex vſu ipſorum forent, petere poſſent. Conuentu illo habito, legati ſunt lecti, qui vna cum Conſiliarijs ipſarum Terrarum, profeſſionem ſolennem ſubiectionis Regiæ Maieſtati facerent, confirmationem iurium peterent, Cæteri omnes Torunium venerunt, confirmationem iurium à Regia Mtē obtinuerunt, ipſi quoq; iuſiurandum illi dederunt. Illuſtriſſimus item in Pruſſia Dux, Regni Poloniæ beneficiarius, ſub idem tempus, literis ad Regiā Mtēm Breſtam miſſis, fidem ſuam erga Regiam Mtēm teſtatus eſt. Sola vrbs Gedanenſis ſe non modo à Regno, ſed & ab ipſa Pruſſia, in qua ſita eſt, ſeiunxit. Cùm vnà cum alijs Pruſſiæ ordinibus cōuentum obiuiſſet, nō modo officio ſuo non ſatisfecit, verum ne legatos quidem ad Regiam Mtēm miſit.

 Hoc

Hoc inſigni faſtu & temeritate, nihil cõmota Regia Maieſtas, vltro Gedanum miſit Reuerendum Dom. Epiſcopum Culmenſem, & Magnificum Palatinum Breſteñ, primarios Regni Senatores, illos ipſorum fidei ac officij admonuit, iuſiurandum requiſiuit, confirmationem priuilegiorum ac immunitatum promiſit. Nihil hoc apud illos valuit, imo fortaſſe maioribus aucti ſpiritibus, eo contumeliarum proceſſerunt, vt familiares Magnifici Palatini Breſtenſis, viros nobilibus familijs ortos, violarent.

Cum Regia Maieſtas Mariemburgum progreſſa eſſet, & eò Senatores illi, ad ipſius Maieſtatem Gedano rediſſent, legationemq́ renunciaſſent, etſi Maieſtas ipſius, ob contemptum & regni & ſui, indoluerit, nihil tamen, pro inſita ſibi à natura benignitate, & altitudine animi, vi agere voluit, cum ſubditis regni non armis ſed legibus ac iudicio certandum putauit. Itaque ab Inſtigatore Regiæ Maieſtatis in iudicium vocati ſunt. Ab illis vero interim miles, maioribus etiã bombardis inſtructus, vrbe eductus, ad aliquot milliaria, propeq́ oppidum Dirſauiam, in quo Regiæ Maieſtati Toruniun redituro commeatus apparabatur, loco flumine, foſſa, ac aggere munito, oppoſitus Literis Regijs, quibus dies iudicij dicebatur, Gedanum delatis, non plus profectum eſt, quam vt litteras, quæ ſerò & contumatia iam à ſcriba cum citati non reſponderent annotata, allatæ ſunt, mitterent, vnas ad Regiam Maieſtatem, alteras ad Senatores regni, qui illius

Maieſtati

Maieſtati adeſſent, quibus non modo delictum ſuum eleuarent, ſed quæ molirentur, optimo iure ac conſilio ſe facere, propegloriarentur.

Ea tamen & tum humanitas ac benignitas Regiæ Maieſtatis fuit, vt diem promulgandi decreti prorogaret, & Senatoribus regni permitteret, vt illis reſponderent, cauillationes factioſorum quorundam, ſua fortuna nimime contentorum aſtu inuentas, refutarent, deterſaq́ ab oculis miſeræ multitudinis caligine, ad quietiora & ſalubriora conſilia Ciuitatem hortarentur.

Cauſas has cur Maieſtatem Sereniſsimi Regis & regni, quam reliquæ omnes cõmunis Reipub: terræ, Ciuitates, ac ordines colerent, ſe culturos ſolenni interpoſita cæremonia profiteri nollent, has adferebant. Vnam, quod illi vrbi, à Regia Maieſtate iureiurando de ſeruandis iuribus illius prius caueri oporteret. Alteram quod pax & amicitia, cum Cæſarea Romanorum Maieſtate, & eius conſortibus, antè componenda & ſancienda eſſet. Tertiam quod actiones ſuperiorum tẽporum, quibus illa Ciuitas grauata ſit, tollere & abrogare Regia Maieſtas prius itidem neceſſe haberet.

Quæ omnia quàm aliena eſſent, à priſtina Ciuitatis iſtius, in regnum ac reges Poloniæ fide, & iuribus ac inſtitutis communis Reipub. quamq́ pernicioſo, non modo Poloniæ regno, verum & omnibus Chriſtianis imperijs, & rebus publicis exemplo inducerentur, illis regni conſiliary demonſtrarunt. *Vnicam*

Vnicam ſcilicet vrbē ſeorſim ab omnib. terris Regni, & ipſis Terris Pruſſiæ iuſiurandum à Rege peculiare exigere, ſcripſiſſe ipſos, Ciuitatem Gedanū, libera repub. Regni Poloniæ contineri. At vero ſeparatim conditiones Regi ferre, ſeparatim iuſiurandum exigere, non eius eſſe, qui cōmunione eiuſdem Regni contineatur, ſed potius vicini, aut peregrini. Non cōuenire hæc ſponſioni, qua Regi Caſimiro eiusq́; ſucceſſoribus, ac Regno, à maioribus ſuis obſtricti eſſēt, ſe cum poſteris ſuis in perpetuum, ipſi ac eius ſucceſſoribus, fideles & ſubiectos, vt cæteri eiuſdē Regni incolæ eſſent, fore, nec ſe vnquam à Regno Poloniæ, cuius corpus indiuiduum eſſent, ſeiūncturos. Quod vero cauillarentur Sigiſmundum Regem de iureiurando ſeparatim terris Pruſſiæ à filio dando cauiſſe, id in priuilegio Sigiſmundi nou reperiri. Teneri quidem Reges ad iuſiurandum Terris Pruſſiæ dandum, ſed cōiunctim cum alijs terris Regni. Non teneri vero ad dandum ſeparatim terris Pruſſiæ, & multo minus vni Gedano, Iuriſiurandi exigēdi tempus eſſe circa coronationem quam cum Regno Terræ Pruſſiæ, vt eſt in priuilegio Caſimiri, cōmunem haberēt. Ita Reges, ac ipſum Sigiſmundi filium Auguſtū, ſe iuramento cōmuniter Terris Pruſſiæ, ac reliquis omnibus obſtrinxiſſe, nec ad peculiare iuſiurandum, ſed tantū ad declarationem, quæ extat, quod illius iuſiurādum Cracouiæ omnib. terris ac ordinibus Regni datum, ad Pruſſos ptineat, adactum. Eodem modo Sereniſſimū Regem,

qui

qui nunc rerum potiatur, Cracouiæ iuraſſe, & ſimilem declarationem Conſiliarÿs & Ordinib. Pruſsiæ, quod coronationi non adfuerint, Toruny dediſſe, qua accepta, illos in verba Regiæ Maieſtatis iuraſſe. Cæterum leue & putidum eſſe, quo quidam Ciuitatem terrerent: iuriſiurandi Regÿ formula, illis tantum priuilegÿs caueri, quæ iuri communi Polonico & Lithuanico non eſſent contraria: Itaque iureiurando regio iura Gedaneñ, quod illis nihil magis ſit contrarium Iuribus Polonicis & Lithuanicis abrogari. Etenim hoc manifeſte pertinere, non ad ius peculiare & priuatum Poloniæ & Lithuaniæ, ſed ad ius cõmune (quod verbum eſt in formula iuramenti) totius Imperÿ Polonici & Lithuanici. Nullam gentem vnquã fuiſſe, quæ aliter de iure priuato leges ſciuerit, quã vt niſi quid in aliqua, cõtra rempub: eiusq; Maieſtatem rogatum foret, eius rei nihil rogatum fuiſſe iudicaretur, nullumq; imperium, ac nullam rempub. coaleſcere, aut tempus aliquod vel breuiſsimum conſiſtere potuiſſe, in qua in legib. de iure priuato ferundis, ius imperÿ ac Reipub. non fuerit exceptum. Recognoſcerent ſua priuilegia, cognituros, an in illis D. Reges Poloniæ iuri publico derogare voluerĩt? Cõmune vero hoc ius ac publicum totius Reipub. eſſe, ac non ſolum Poloniæ & Lithuaniæ, verum & cæterarum omniũ eius Terrarũ, in quibus ſunt Terræ Pruſsiæ. Non ita pridem bina imperia, binasq; respub. fuiſſe, Poloniam & Lithuaniam, & modo ante ſeptennium in vnum im-

S perÿ

perij vim ac ius contuliſſe. Quod longo ante interuallo, Pruſſia cum Polonia cõmunicatum habuerit, proptereaq; Terrarum & gentis Polonicæ appellatione veniat, vt in illa ſponſione, de qua diximus, ipſi Pruſſi profitentur, Terras ſcilicet Pruſſiæ, in ius ac titulum Regni Poloniæ conceſſiſſe.

Quam vero illam alteram conditionem eſſe, quam Regiæ Maieſtati, de pace cum Cæſarea Romanorum Maieſtate, eiusq; conſortibus cõſtituenda ferrent? Regiã quidem Maieſtatem, tanq; Principem Chriſtianum cupere, vt cum omnibus principib. chriſtianis pacem habere poſſit, ſed ſummam indignitatem eſſe, vnicam vrbem, Regi & vniuerſo regno belli & pacis modum præſcribere, nec niſi illius præſcriptum ſeruetur, officio ſuo fungi velle. Nunquam hoc non modo vni vrbi, ſed ne prouinciæ quidem licuiſſe. Hac in re ſummam auctoritatem & vim imperij conſiſtere, quam qui ſibi arrogaret, eum Maieſtatem Regni non modo lædere, ſed euertere.

Nec poſtremum caput de grauaminibus, ſatis illos excuſare, quod non ſtatim officio ſuo ſatisfecerint. Prius enim ſolenni profeſſione ab illis declarandum, quod à communione Reipub. non recedant, deinde in cõmuni concilio Reipub. ac eius terrarum, de iniurijs agendum eſſe. Etenim Regij iureiurandi formulam ſatis demonſtrare, poſt iuſiurandum Regiæ Maieſtati datum, ſemper & Gedanenſibus, & cæteris tempus ſuperfore, de grauaminibus

libere

liberè conquerendi, ac per Ordines admonendi Reg. Maieſtatem. Certe Regiam Maieſtatem de ſubditorum ſuorũ iniurijs iure cognoſcere, non de facto conſtituere debere. Cognitionem autem quomodo à Regia Maieſtate, illos, qui eam pro Rege non agnoſcerẽt, requirere & poſcere poſſe?

Addebant præterea Senatores: Hæc non modo intempeſtiuè, ſed etiam ſeditioſè flagitari, vel potius à quibuſdam res nouas molientibus omnia turbari, & cæteros ciues ſeduci. Etenim nullam Legationẽ ad Regiam Maieſtatem poſt illius coronationem à Gedanenſibus miſſam eſſe. Imò contra cum exteris communicata conſilia, non modo iniuſſu Regiæ Maieſtatis & regni, ſed contra Regiam Maieſtatem & regnum exercitum ex milite externo comparatum, portas clauſas, tormenta, ac præſidia diſpoſita, extra vrbem militem collocatum, Legatorũ Reg. Mtis, & Senatorũ regni familiares, homines nobiles violatos. Quæ ſi non eſſent crimina læſæ Maieſtatis, nullam certe rationem lædendæ Maieſtatis Regiæ et regni reperiri poſſe. Etſi nondum iurarint Regiæ Maieſtati, tamen illos iam iureiurando teneri, quo ſe illius Anteceſſoribus, eorumq́ ſucceſſoribus, ac regno in perpetuum obligarint.

Regiam tamen Mtẽm interim toties laceſsitam, vt clementem & benignũ principẽ, non vi ſed admonitionib. primũ, deinde legib. agere voluiſſe. Cõtumatia iã adnotata, cũ ſerò vix litteræ ab illis allatæ eſſẽt, ſe pro officio Senatorio, quo tenerẽtur omniũ regni hominũ ſalutis et for-

tunarum curam habere, ipſius Maieſtatem, vt promulgationem decreti in perendinum differret, oraſſe, idq́ à pientiſſimo & benigniſſimo principe impetraſſe. Cum ipſis omnibus humanitatis officijs, pro cõmunione Reipub. ſatisfactum ſit, monere & obteſtari, ne ſibi ipſi deeſſent.

In memoriam reuocarent, à quibus Gedanum conditum ſit, deinde vero quam durum iugum, ab exteris, per ſpeciem auxilij ciuilibus bellis occupato Vladiſlao Rege, interceptum, pertulerit, à qua tempeſtate, quæ illi ac eius ciuibus impendebat, per Caſimirum Regem ereptum & liberatum fuerit, vt mercibus Polonicis ditatum, beneficijs ac immunitatibus à Regibus Poloniæ auctum ſit.

In hanc ferme ſententiam literæ Senatorum ſcriptæ erant, quibus alteræ etiam Salui conductus Regiæ Maieſtatis, ne quis fingere poſſet, non fuiſſe ſecurum aditum ad Regiam Maieſtatem, adiunctæ.

Quibus Gedanum per familiarem Magnifici regni Marſchalci, iuuenem nobili ac clara familia natum delatis, & Magiſtratui vrbano redditis, nihilominus in priſtina animorum obſtinatione permanſerunt, vix ab illis paucis verbis ampliſſimis regni Senatoribus prope contemptim reſponſum eſt, in familiarem Marſchalci regni, dum vrbe exiret, lapides iacti.

Quid igitur in hac tanta indignitate Regiæ Maieſtati faciẽdum fuit? Eos qui iam iudicio comperendinato venire contempſerant, rebelles promulgauit. At enim vel

in obſcuro

in obſcuro crimine citatum non reſpondentem cōdemnare non licet? Tanto vero magis in re manifeſta. Num enim tumultus, ſeditio, portarũ occluſio, militis externi in vrbem ingreſſus, eductæ ex vrbe copiæ obſcuræ eſſe poſſunt? aut num rebellio quæuis latere poteſt? Propterea& antiquitus lata lex, non nuper excogitata ſit, eos eſſe damnatos rebellionis, non qui ſententia principis condemnati eſſent, ſed qui illi rebellarint.

Inde Regia Maieſtas Dirſauiam profecta, non modo oppoſitas Gedanenſium copias, munimentumq́, haud procul ab oppido reperit, verum etiam ſuos ab illis laceſſitos cognouit.

Fecit quod Regem dignitatis ſuæ memorem facere decebat, ne perduelles damnatos vires oſtentare, ac ſibi inſultare, impune pateretur. Immiſsis aliquot exercitus ſui equitum turmis, ac coborte peditum, ex munitione illos eiecit, conciditq́, & quicquid peditum equitumq́ vrbanorum in agris fuit in vrbem compulit, deſertaq́ à perterritis metu loca, occupauit.

Ac ne hoc quidem rerum ſtatu optimus Rex, clemētiæ, ac benignitatis oblitus tubicinem in vrbem miſit, per quem illos vt redirent ad ſaniorem mentem, poſtquã iam incōmoda belli ſenſiſſent, hortabatur, ſi ſtatim reſipiſcerent, eos ſe in gratiam recepturum, nec quidq̃ de priſtinis illorum immunitatibus detracturum.

Progredienti ad vrbem Regiæ Mti, obuius ſub vr-

 beſit

be ſit tubicen cum literis Gedanenſium, ſupplicabant, vt illis Regia Maieſtas ſecuritatē mittendorum nunciorum concederet. Senatores qui aderant, eos iam reſipuiſſe exiſtimantes, quod ſatis humili, & Maieſtati Regis conuenienti verborum genere in literis vterentur, à Regia Maieſtate, id vt faceret, contenderunt. Nec grauatim Reg. Mtās, ijs aſſenſa eſt, quod caſtigata externorum militum, qui in regnum alienum temere venerant, audacia, ſubditorū ſuorum ſanguini parcendum putaret.

Litteræ igitur ſecuritatis nunciorum in quatriduum, xxviij. Septembris die mane in vrbem illatæ, dies ſequens primo illorum aduentui deſignata. Quam nō ſeruārunt excuſatione, quod breuis eſſet, vſi. Altera dicta eſt deinceps dies xxx.

Qua cum legati ad Regiam Maieſtatem veniſſetis, meminiſtis vos, ita verba feciſſe. Vt primum Regiæ Mtī acceſsionem regni gratularemini, votaq́ pro eius ſalute ac felicitate faceretis, deinde vero non miſſorum poſt aduentum Regiæ Maieſtatis in Pruſsiam ad illud vſque tempus legatorū, culpam, in metum periculi, ac terrorem belli, & obſeſſa itinera conferretis, de verbis de iure cōmuni in iuriſiurandi formula eadem, quæ in litteris ad Senatores perſcripta ante erant, repeteretis; diploma confirmationis immunitatum & priuilegiorum eo exemplo, quo à D. Sigiſmūdo editum erat, poſceretis, ac item ab illius Maieſtate peteretis, vt decretum contra vos latum, aboleretur, &

alij qui ex Senatû mitterentur, qui grauamina, quibus Ciuitatem oppreſſam eſſe diceretis, tollerent.

Quibus in rebus à vobis expoſitis, etſi cauſa legatorum non miſſorũ in pericula itineris fruſtra conferretur, & Gedanenſes, nondum cognita ſua conditione, leges tranſigendi negotij Regiæ Maieſtati ferre non accipere viderentur, tamen iam à priſtina ferocia longe receſſiſſe iudicabantur, quod nec iuramẽtum peculiare amplius exigerent, nec contumaci ac inflato genere dicendi vterentur. Ita moderationi verborum, moderatos illorum animos reſpondere exiſtimãs, faciles admodum, & quibus integris rebus, nec Maieſtate ſua læſa teuerentur, conditiones illis ferendas Regia Maieſtas exiſtimauit.

Itaque poſtridie vobis nomine illius Maieſtatis reſponſum eſt, ciuibus veſtris renunciaretis, vt militem dimitterent, iuſiurandum darent; externos qui iurare nollent, vrbe ſubmouerent, Regiam Maieſtatem exercitum ſuum ab vrbe, & ex prouincia abducturam, ac cõfirmationem iurium daturam. Venirent item ad cõcilium commune regni Torunium indictum, ſupplices veniam deprecarentur. Quod vbi fecerint, decretum ſuis rationibus tolleretur, grauamina, quæ liquebit iniuſte fuiſſe irrogata, abrogarentur.

Quibus conditionibus, quid aut æquius, aut clemẽtius requiri potuit? militem ab ijs exauctorari, qui non modo contra regni huius, verum etiam omnium gentiũ ac

populorum

populorum inſtituta & leges illum conſcripſerint? & cõ-ſcripſerint in externis prouincijs, ac in pacatum regnum adduxerint, adduxerint vero ad euertendum in vrbe Regia, ius & poteſtatem Regis ac Regni? Exauctorare autem hac lege, vt & ipſa Regia Maieſtas ſuum educat ex prouincia? Quæ alia vnquam conditio de dimittendo exercitu, vel infenſiſſimis hoſtibus proponi poterit, ſi hæc apud ſubditos locum non habuit?

Iurare autem eos, qui ſine periculo infamiæ, iuſiurandum refugere nõ poſſent, cum Sereniſſimi Regis Maieſtatem omnes terræ, Ciuitate,s ac ordines colant, à quib. illi ſe, ſi ſuæ ac maiorum ſuorum fidei & exiſtimationis rationem habent, ſeparare non poſſunt. Id enim maiores illorum, vt ſupradictũ eſt, iurati ſpoponderunt. Nec vero ſolum illa religione maiorum teneantur, ſed etiam ea, qua ſe ipſi obſtrinxerunt. Maximam enim ciuium partem, ac in ijs præcipuos quoſque viuere, qui ſe Sigiſmundo Auguſto, ac eius ſucceſſoribus, fideles fore verbis conceptis iurarint. Num igitur ſine manifeſto periurio, ſolennem profeſſionem fidei erga Regiam Maieſtatem, quã omnes terræ, Ciuitates reliquæ, ac Ordines omnes Regni fecerunt, detractare poſſunt?

Peregrinos eos, qui res nouas, in alieno regno & repub. moliri velint, nec ſummum magiſtratum agnoſcere, cui iniquum videri debeat, ad iuſiurandum adigi, aut ſi eo alligari noluerint, ex vrbe ſubmoueri, cum hoc iam

ante

ante conſtitutionibus Pruſsicis, Sigiſmundo regnante, ſancitum ſit?

Diploma autem confirmationis iurium, quid aliud eſt, quam profeſsio iureiurandi dati de priuilegijs ac legibus tuendis, in quo ſi nominatim, quod Regia Maieſtas voluit, perſcriberetur, vt eſt in illo Cracouienſi, vniuerſo regno dato perſcriptum, ſanxiſſe ſe iuramento, priuilegia à Principib. & Magiſtris Terrarum Pruſsiæ edita, quid eſt quæſo quod amplius, niſi prætextus ad rem aliquam aliam quæratur, hoc in genere deſiderari queat?

Regi vero ſupplicare, cum certiſsima ſpe veniæ, cui indignum videbitur, niſi ei, qui prorſus moderatione animi abiecta, regium ſpernat imperium, & in poſterum Maieſtatem eius, ſine vllo metu pœnæ, temere ſibi lædendam proponat. Faciunt hoc pares inter ſe, dignitate, opibus, poteſtate, vt qui læſerint læſos deprecentur. Factum etiam à Principibus, tum in Germania, tum alibi eſt.

De abrogatione vero decreti ac grauaminum, ſi quæ iniuſta apparerent, vt clementiſsime, ita candide & ingenue cum Ciuitate egit, quod vtrunque hoc negotium in generali concilio regni curãdum & tractandum ſuſceperit. Cum certum eſſet, ea haud ſatis firma fore, quæ ſine omnium ordinum regni conſenſu, in rebus tam grauibus, & ad ius ac dignitatem Regiam, & Reipub. ſpectantibus, ſtatuerentur.

Hoc igitur tam benigno reſponſo dato à Regia

Maieſtate in vrbem dimiſſi eſtis, ſupplicatum eſt deinde Regiæ Maieſtati à Gedanēſibus Secretario miſſo, de prorogando Saluo conductu. Ne tum quidem Regia Maieſtas humanitati ac clementiæ ſuæ finem impoſuit, Saluū conductum prorogauit.

Magna ſpes iam Regiam Maieſtatem & Senatores regni tenebat, illos errore ſuo cognito, ac tam facili ratione recuperandi fauoris Regij ꝓpoſita, ſerio de officio ſuo cogitaturos, & ipſi ſatisfacturos eſſe. Ipſa vero Regia Mtās inprimis gratulabatur, ſe liberatam ab effundendi ſanguinis ſubditorū ſuorū neceſſitate, & lætabatur, ſibi oblatam eſſe occaſionem declarandæ benignitatis, & altitudinis animi, eosq́ conſeruandi & beneficijs afficiendi.

Heſterna tandem die iterum ad Mtēm Regiam veniſtis, obtuliſtis Regiæ Maieſtati ſcriptum noīe Ciuitatis, præter expectationē omnem, arrogantiæ, inſolentiæ plenū.

Quid enim illud eſt quæſo? ne Regia quidē Maieſtate exercitum inde abducente, militem Gedanenſes dimittere velle? quem nulli in hac cōmuni repub. priuato conſilio conſcribere, alereúe liceat. Nemo non videt eos, qui ſibi hoc præfractè arrogent, non de conſeruandis libertatibus, de quibus illis ſatis caueatur, laborare, ſed aliud quiduis diuerſum à priſtina ſua conditione moliri. An igitur hæc temeritas coërcēda non eſt, an exemplum pernitioſum ſine publica auctoritate exercitus colligendi, & inuito Rege ac repub. retinendi, contra oēs leges, ac mores

omnium

omnium populorū proponendum? Quid opus eſt argumē- tis & teſtibus, ad conuincendos illos criminis læſæ Mtīs? an non ipſi eius ſe manifeſte hoc ſcripto condemnant?

Peregrinos vero, qui Regiā dignitatē & poteſtatē proſcindant & oppugnent in vrbem aſciſcere? ac inuito rege in vrbe retinere, vtrum hoc eſt cōmodis vrbis proſpi- cere, an regium ex illa ius ac nomen ipſum exterminare?

Quid deinde? vt grauamina quæ nec dum ſigillatim recenſent, & decretum à Regia Mtē latum, illis arma ge- rentibus non ſupplicantibus, aboleantur? vt non tam illo- rum abrogatio impetrata, quam vi extorta videatur.

Nec ſatis habent Regiæ Maieſtatis imperium repudi- aſſe, niſi regno quoque, extremum velut vale dicerent, & ſe nihil cum illo cōmune habere velle declararent, cum ne- gotia Terrarum Pruſsiæ, non cum ordinibus Regni, ſed cum Conſiliarijs Pruſsiæ tractanda, proptereaq́ poſtulata ſua nō eſſe ad generale conciliū regni differenda ſcribunt.

Ad ea quæ ſcripto comprehenſa erant, viua voce adieciſtis, daret Regia Maieſtas exēplum declarationis de iureiurandi verbis, aliud item exemplum cautionis de gra- uaminibus tollendis, vt delata à populo in vrbe cognoſcā- tur & emendentur. Quæ ſuo tēpore ꝓfeſsione ſubiectionis facta, petenda, nō rebellione exprimēda eſſent. Quis vero Gedanēſes ſurſum ac deorſum oīa miſcere voletes, rite ac legitime conceptis formulis, cōtentos fore exiſtimet, & nō videat eos hoc agere, vt ad alias contumelias hæc noua ac- cedat, vt Regiæ literæ iudicio concitatæ plebis ſubiectæ, ac vnà regiū nomen ꝓſcindatur?

T ij Nam

Nam quod ad libertatem Auguſtanæ religionis ſpectat, an in Regno Poloniæ, ſola Ciuitas Gedanum eam profitetur? An non etiam alij plurimi? Nonne Regia Maieſtas Craconiæ iurauit, pacem & concordiam inter diſſidentes de religione ſeruare, nec in quenquam religionis cauſa animaduertere? Nonne libere ſequi Auguſtanam doctrinam de DEO, eiusq; cultu, tum alijs, tum vero Elbingenſi, Torunenſi, & Mariemburgeñ. Ciuitatib. nominatim permiſit? In vrbe vero Gedano, quid interim, & qua moderatione in religionis negotio factum? Templa ritus Catholici in vrbe ſpoliata, ſacerdotes vulnerati, villa ac ſuburbium ditionis Epī. Vladiſlauieñ, incenſum.

Cæterum poſtremum illud, quod addidiſtis, atrox ſane etiam relatu eſt, vt Regia Maieſtas teſtetur ſcripto, vos poſt iuramentum factum, liberos à fide, illi debita, fore, ſi aduerſus iura veſtra aliqua ex parte cõmitteret. An non hic ſummus faſtus eſt? an nõ omnis diuini ac humani iuris cõtemptus? Permiſſum eſt ſane regni ordinibus, de legibus violatis in cõmuni regni concilio Regem admonere, & ſi ne admonitioni quidem Senatus, & aliorum Ordinum loco dato, per contemptum & potentiam, aliquis regum Rempub. opprimere aliquando perſeuerare velit, pro repub. ſtare. At quæ porta ſceleratis & inſolentibus hominib. aperiretur ad turbandam Rempub. ſi vni vrbi, aut paucis ſeparatim inire conſilia contra reges liceret? Hoc ſi ſibi vſurpant Gedanenſes, vt ſuprema digni-

tate

tate, quem vellent regem exuere poſſint, poſcant etiam, vt nullum Regem Polonia ſibi aſciſcat, præter illum, quem Gedanenſes dixerint, An vllus in orbe terrarum Rex, nō modo imbellis, ſed iam armis victus reperietur, qui pau- cis ſubditis tantam poteſtatem ſui in ordinem redigendi permittere, & ſummum imperij ius & dignitatem prodere velit?

Iam igitur res ipſa docet Gedanenſes, non modo ante offendiſſe grauiſſime Regiam Maieſtatem, ſed nunc etiam pergere offendere, vel potius aperte iam ab illius au- ctoritate, & regni cōmunione recedere, hocq́ vnum, peti- tis toties & impetratis ſecuritatis literis egiſſe, vt tempus extraherent, quo poſt acceptam cladem reſpirare, & res ſuas confirmare, ac ſtabilire poſſent. Nihil tamen eo Re- gia Maieſtas mouetur, aderit contra rebelles, à ſe conſtitu- to ſummo magiſtratui, Deus, violati ab illis, ſui ac ma- iorum ſuorum iuſiurandi, ſupplicium exiget.

Cum verò non modo ſanctiſſimum apud omnes, al- ligandæ ſolenni ceremonia fidei vinculum nefariè rupe- rint, ſed præterea æquiſſimas & honeſtiſſimas conditio- nes contempſerint, videt Sacra Regia Maieſtas illos fa- tum vrgere.

Proindeq́ iterum atque iterum DEVM & homi- nes teſtatur, ſe ipſorum ſanguinem non expetiuiſſe; ſed, pro officio ſuo, ac iureiurandi Ordinibus dati religione, inuitam ſe, ad hanc iuris ſui ac regni, armis proſequendi,

ratione denuo adigi & compelli. Qua deinceps ſe vſurã, niſi illico profeſsionẽ fidei, quam ipſius Mtĩ debent, interpoſito iureiurando fecerint, & militem dimiſerint, denunciat.

CÆterũ cum in hoc reſponſo diſertè additum eſſet, Regiam Maieſtatem armis deinceps Ciuitatem perſequi ſtatuiſſe, niſi ilicò mandata faceremus, eoq́ propoſito Torunium ad Comitia diſcederetur, ſic vt nulla reliqua fuerit occaſio, Maieſtatem eius vel de Ciuitatis conditione plenius edocendi, vel à propoſito ſupplicibus precibus reuocandi: nihilominus ne quid ad pacem conciliandam intentatum relinqueretur, ſcripſimus ad Regni Poloniæ, Magni Lituaniæ Ducatus, & Terrarum Pruſsiæ Conſiliarios ac Ordines Toruny agentes, illis rem omnem, vti geſta tractataq́ hactenus fuiſſet expoſuimus, eosq́ coniunctim & ſigillatim obſecrauimus, vt pro officio Senatorio, proq́ conſeruanda publica tranquillitate, benignè darent operam, & in medium conſulerent, quo pacto Regiæ Mtĩs animus ad clementiores conditiones pmoueri poſſet.

Eas literas, cum fermè nihil aliud quam ſuperiorum actionum repetitionem ſatis prolixam contineant, haud ſanè operæprecium duximus inſerendas, ſed in commodiorem fortaſsis locum quatenus neceſſum videbitur, reyciendas. Supplicauimus etiam Regiæ Maieſtati, vt ſaltem Internuncys noſtris Saluum conductum,

ctum, ad eius Maieſtatem veniendi, & tuto redeundi concedere dignaretur: necnon Sereniſſimæ Principi ac dominæ Annæ Reginæ Poloniæ, vt ad Regiam Maieſtatem benigniſſimè intercederet, quod ex ſequentibus patet.

Literæ ad Regiam Maieſtatem pro Saluoconductu impetrando.

SEreniſſime potentiſſimeq́; Rex ac Domine, Domine clementiſſime &c. Nihil nobis vnquam accidere potuit acerbius eo reſponſo, quod nomine Sereniſſimæ Regiæ veſtræ Maieſtatis nuper Internuncijs noſtris Grebini datum eſt: quod in eo nimirum omnes actiones noſtras, non ſolum ad faſtum, contumaciam, & temeritatem, ſed etiam ad rebellionis & periurij conſilia, quæ ſemper à nobis abfuerunt longiſſimè ab aduerſarijs noſtris detorqueri videmus, quicquid tandem quibuſcunque verbis ſincero animo, humilimoq́ue ſubiectionis ſtudio cogitatum, dicimus, ſcribimus, vel ſupplicamus. Nec enim fidem & iuſiurandum vnquam detrectauimus neque nunc detrectamus, modò viciſſim iurium & libertatum indemnitati proſpiceretur: neque militem dimittere, rebus pacatis recuſamus.*

Verum

Verum hæc eò maiori cum noſtrorum omnium dolore cõiuncta ſunt, quod nec ad ipſam Regiam Maieſtatem veſtram priuatim aditum habemus, nec intermedium quempiam, qui partes etiam noſtras iuſtis rationibus tueretur. Vtinam illud impetrare iam antea potuiſſemus, vel nunc etiam Regia veſtra Maieſtas dignaretur (quod & omnibus votis optamus, & humilimis precibus obſecramus) vnum vel alterum ex Conſiliarijs ſuis huc mittere, qui ſaltem rationes noſtras liquidò cognoſcerent, mentem & intẽtionem Ordinum experirẽtur, & ſubiectionis voluntatem teſtari poſſent: dubio procul viderent, ac intelligerent, eã omnia, quæ tam indignis modis in nos ingeruntur crimina longè à nobis eſſe alieniſſima, neque nos eſſemus officio defuturi, quò cõmodius, & cum Regiæ Maieſtatis dignitate, et abſq; noſtrorũ detrimẽto iurium omnia componerentur: quibus cognitis etiam ipſa Regia veſtra Maieſtas pro eximia ſua æquitate, alteram aurem regalẽ nobis eſſet clementiſſimè reſeruatura. Quod ſi ne hoc quidẽ impetrare felicitatis noſtræ futurum eſt, illud tandem humilimè petimus, dignetur clementiſſimè Reg. veſtra Maieſtas Saluum conductum Internuncijs noſtris concedere, in ſufficiens aliquod tempus data ſecuritate ad Regiam Maieſtatem veſtram quoties opus ſit vltrò citroq; commeandi, & Ciuitatis rationes tractãdi, cæteraq; q̃ tum in mãdatis habebunt peragendi, ac inde liberè domum reuertẽdi, neque dubitamus, Regiam veſtram Maieſtatem etiam

hoc

hoc modo de rebus ad Ciuitatem pertinentibus plenius & benignius cognituram. Quam præterea humilimo ſubiectionis ſtudio demiſsiſsimis verbis ſupplices obſecramus, vt interim militem ſuum ab incendijs & deuaſtationibus vicinorum agrorum, inter quas & homines miſerè trucidantur, & templa paſsim exuruntur, inhibere clementiſsimè dignetur, cum illudipſum nec ex Regiæ veſtræ Maieſtatis, nec ex Reipublicæ cōmodo ſit, Quinimò clemētioribus quibuſdam rationibus rem omnem pacificè componi ſinat, quàm armis vel ferro terras ſuas ſubditosq́ nunquam de Regno malè meritos deuaſtari, vel ad extremam calamitatem adigi patiatur. Faciet rem perpetuæ ſuæ clementiæ maximopere conſentaneam, nobis autem omnib. quibus debemus ac poſſumus fidei ac obſequij generibus humilimè promerendam &c. Datum Gedanj die xij. iterum die xjx. menſis Octobris Anno 1576.

Ad Reginam.

SEreniſsima potentiſsimaq́ Regina ac Domina, Dn̄a clementiſsima. Sereniſsimæ Reginali Maieſtati veſtræ humilima ſubiectionis obſequia ſummo quo debem⁹ inſeruiendi ſtudio demiſsiſsimè deferimus, Eidem Regalis Maieſtatis dignitatem humilimè congratulantes, & votis omnibus, vt cum perpetua & immortali ſua gloria, cum totius Regni, harum Terrarum, & quod maximè nunc optamus, Ciuitatis huius ſalute & incolumitate con-

iuncta ſit, Deum comprecantes. Quod ad Sereniſſimam Reginalem Maieſtatem veſtram hoc potiſſimum tempore ſcribimus, nō eo ſolum adducti ſumus, quod Ciuitatis huius ſtatus longè nunc, quàm vnquam antea triſtior eſt et periculoſior, ſed multò magis etiam quod ad ſubleuandas præſentes difficultates, in Reginalis veſtræ Maieſtatis interceſſione & patrocinio clementiſſimo permagnam ſpem humilimè repoſitam habemus.

Enimuerò nihil acerbius vnquam nobis potuit accidere, quàm, quod minimè ſperaueramus, vt in feliciſſimo Sereniſſ: Regiæ Mtis, Dñi noſtri clemētiſſimi, regiminis auſpicio, cū ſumma eius offenſione, de iuribus, libertatib⁹, vita, fortuniſq; noſtris periclitari cogeremur. Longū eſſet ſingula recenſere, q̄ iampridē vltrò citroq; de Ciuitatis rationibus acta ſunt, in eo breuiter res oīs fermè cōſiſtit, vt quod cæteri Status harum Terrarū fecerunt, nos etiā præſtito iureiurando ſubiectionis fidem ꝓfiteamur. Hoc neq; iam antea detrectauimus, neq; nunc etiā detrectamus, ſaltem vt viciſſim nobis de iurium ac libertatum indemnitate rectè proſpiciatur. Quod quamuis æquiſſimum ſit, nec ab vllo Diuorum Regum Anteceſſorū maioribus noſtris denegatum, nūc tn̄ adeò non obtineri potuit, vt poſthabitis humilimis precibus noſtris, & proſcriptionis ſtylo ſimus perculſi, & poſſeſſiones circa vrbem publicæ priuatæq; deuaſtatæ, direptæ, incenſæ, tandem etiam extrema quæque nobis intentari videntur. Quæ tamen oīa non ex volūtate

vel

vel propoſito Regiæ M^tis proficiſci credimus, de cuius paterna clemētia et benignitate longè meliora ſperamus, ſed quorūdam ſaltem impulſu fieri, qui iamdudū varijs modis hanc Ciuitatem oppugnarunt, quod ipſamet Reginalis M^tas veſtra non ignorat, & nunc etiam ad extremā vſq; calamitatem oppugnare non deſiſtunt. Teſtantur annales ad poſteritatē celebratiſsimi, quibus beneficijs Sereniſsimi Reges, ex generoſiſsima Iagellonum familia, Pruſsiæ terras & hanc Ciuitatē, quaſi patrimonium ſuum liberaliſsimè exornarīt, quò maiori fiducia nitimur clementiſsimā eius familiæ propenſionem, ne nunc quidem in Reginali veſtra M^tē deſituram: quam nos etiam non minus ac maiores noſtri, humilimò ſubiectionis obſequio Deo volente promereri ꝑpetuò conabimur. Proinde cum nemo ſit, qui Reginali veſtra M^tē cōmodius, Sereniſsimæ Regiæ M^tis animum his actionibus ꝑter meritum noſtrum vehemēter exulceratum emollire, vel rebus etiā noſtris benignius conſulere poſsit, Eandē humilimis & demiſsiſsimis precibus obſecramus, clemētiſsimè dignetur apud Ser. Reg. M^tēm intercedere, vt benignioribus quibuſdā rationibus, quicquid eſt offenſionum, per intermedias perſonas, cum conſenſu Ciuitatis Ordinum pacificè componatur, quàm vt ipſamet armis vel ferro terras ſuas, & ſubditos innoxios nunq̄ de regno malè meritos cum totius Regni detrimento deuaſtari, vel ad extremā adigi calamitatē patiatur: cū nihil armis opus ſit in eos, qui ſaluis iurib. et libertatib. ſuis ſpontè fidē & ſubiectionē minimè recuſant, Hac

Hac vna re, quæ alioquin cum tranquillitate totius Regni coniuncta eſt, Reginalis veſtra Maieſtas initium feliciſsimi ſui regiminis apud omnes ſubditos faciet celeberrimum, & nos ad omnia fidelitatis & ſubiectionis obſequia ſemper & vbique præſtanda longè reddet deuinctiſſimos &c. Datum Gedani die xvj. menſis Octobris Anno Domini M. D. Lxxvj.

SCripſimus in eandem ſententiam ad pleroſque Regni Senatores, quorundam etiam opera Syndicum noſtrum pro impetrandis publicæ fidei literis Torunium miſimus. Is autem ſic exceptus eſt, vt literæ quas ad Regiam Maieſtatem perſcripſeramus, prius reſignarentur quàm eius Maieſtati redderentur, cæteras quominus Conſiliarijs ſingulis redderet ſed domum potius reportaret, grauiſsimo coactus fuit interdicto.

Tandem tamen Saluum conductum qualemqualem impetrauimus, & Internuncios miſimus, cum mandatis quæ ſequuntur.

SALVVS CONDVCTVS.

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ Liuoniæq; &c. Dñs & Tranſyluaniæ Princeps.

Significamus

SIgnificamus tenore præſentium quorum intereſt vniuerſis & ſingulis. Nos ad interceſſionem conſiliariorum noſtrorum in præſenti generali cõuentu Regni noſtri nobiſcum exiſteñ, Saluum conductum noſtrum ciuibus Gedaneñ in duodecim dies à data præſentium continue & immediate ſequeñ, mittendorum Nunciorum ſuorum ad nos cauſa, hoc eſt ad diem vigeſimam octauam menſis Nouembris nunc curreñ incluſiuè damus & concedimus hiſce literis noſtris, vt ſecurè vltrò citroq; cõmeare & ad nos venire ac redire poſſint, ſub hac tamen conditione, vt pacati, milite dimiſſo intra dictum tempus, ſupplices ad deprecandum nos veniant. Quod omnibus quorum intereſt, ac inprimis exercitus noſtri Generali, cæteriſq; Præfectis ac Militibus noſtris denunciamus, Mandãtes ne dictis Nuncijs Gedaneñ vim aut damnum faciant. Pro gratia noſtra & ſub pœnis in violatores Salui conductus ſancitis. Datũ Torunij in cõuentu generali Regni die decima ſeptima menſis Nouembris Anno Dñi Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo Sexto, Regni vero noſtri Anno Primo.

Stephanus Rex.

Inſtructio

Hac vna re, quæ alioquin cum tranquillitate totius Regni coniuncta eſt, Regmalis veſtra Maieſtas initium feliciſsimi ſui regiminis apud omnes ſubditos faciet celeberrimum, & nos ad omnia fidelitatis & ſubiectionis obſequia ſemper & vbique præſtanda longè reddet deuinctisſimos &c. Datum Gedani die xvj. menſis Octobris Anno Domini M. D. Lxxvj.

SCripſimus in eandem ſententiam ad plerosque Regni Senatores, quorundam etiam opera Syndicum noſtrum pro impetrandis publicæ fidei literis Torunium miſimus. Is autem ſic exceptus eſt, vt literæ quas ad Regiam Maieſtatem perſcripſeramus, prius reſignarentur quàm eius Maieſtati redderentur, cæteras quominus Conſiliarijs ſingulis redderet ſed domum potius reportaret, grauiſsimo coactus fuit interdicto.

Tandem tamen Saluum conductum qualemqualem impetrauimus, & Internuncios miſimus, cum mandatis quæ ſequuntur.

SALVVS CONDVCTVS.

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ Liuoniæq; &c. Dn̄s & Tranſyluaniæ Princeps.

Significamus

SIgnificamus tenore præſentium quorum intereſt vniuerſis & ſingulis. Nos ad interceſſionem conſiliariorum noſtrorum in præſenti generali cõuentu Regni noſtri nobiſcum exiſteñ, Saluum conductum noſtrum ciuibus Gedaneñ in duodecim dies à data præſentium continue & immediate ſequeñ, mittendorum Nunciorum ſuorum ad nos cauſa, hoc eſt ad diem vigeſimam octauam menſis Nouembris nunc curreñ incluſiuè damus & concedimus hiſce literis noſtris, vt ſecurè vltrò citroq́ cõmeare & ad nos venire ac redire poſſint, ſub hac tamen conditione, vt pacati, milite dimiſſo intra dictum tempus, ſupplices ad deprecandum nos veniant. Quod omnibus quorum intereſt, ac inprimis exercitus noſtri Generali, cæteriſq́ Præfectis ac Militibus noſtris denunciamus, Mandãtes ne dictis Nuncijs Gedaneñ vim aut damnum faciant. Pro gratia noſtra & ſub pœnis in violatores Salui conductus ſancitis. Datũ Toruny in cõuentu generali Regni die decima ſeptima menſis Nouembris Anno Dñi Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo Sexto, Regni vero noſtri Anno Primo.

Stephanus Rex.

Inſtructio

INSTRVCTIO EORVM
quæ in publicis Regni Comitijs Thorunij apud Sacram Maieſtatem Regiam, & reliquos Ordines ibidem præſentes, nomine omniũ Ordinum Ciuitatis Gedanenſis, Senatus, Scabinorum, & totius cõmunitatis, Internuncij dictæ Ciuitatis Spectabiles, Clariſsimi & Famati Domini Conſtantinus Ferberus Preconſul, Georgius Roſenberg Conſul, & Henricus Lembke Iuris vtriuſque Doctor & Syndicus exponere debebunt.

INprimis Regiæ Maieſtati Internuncij noſtri fidem et ſubiectionem noſtram, reliquis vero Statibus & Ordinibus paratiſsima ſtudia obſequia et ſeruitia noſtra ſecũdum vniuscuiuſque conditionem, debito modo deferent.

Deinde cum Sacra Regia Maieſtas eam gratiam Ordinibus huius ciuitatis clementiſsimè facere dignata fuerit, vt ad ſupplices illorum preces Saluum conductum ſuum Regium illis conceſſerit, Internuncij pro ea Regia gratiæ & clementiæ ſuæ ſignificatione immortales agent gratias. Et quamuis eam ſpem conceperant Ordines fore

vt iſtæ

vt iſtæ publicæ fidei literæ ad ſufficiens aliquod tẽpus concederentur, quemadmodum aliquoties humillimis precibus rogauerant, vt de rebus tam arduis maturam deliberationem inſtituere, & pro earum magnitudine illas cõmodius explicare potuiſſent: Vident tamen eas ſecuritatis literas tam anguſto eſſe circumſcriptas temporis ſpatio, quod vix Internuncijs ad eundum & redeundum ſufficiat. Quare Internuncij ante omnia, vbi feliciter aduenerint, & ipſorum ſecuritatis gratia, humillimè rogabunt, vt illæ ſecuritatis literæ ad ſufficiens tẽpus ꝓrogentur, vt tantò commodiꝰ vltrò citroq; cõmeare, de rebus omniũ difficillimis, in quib. Ciuitatis ſalus vertitur, cõſtituere, & eas ad optatũ finem ꝑducere poſſimus. Si vero ꝓrogatio illa obtineri nõ poſſit, dabunt oẽm operam, vt durãte ſecuritatis tempore ad nos reuertantur. Præterea dicent, impoſſibile fuiſſe, vt Ordines in tam anguſto tẽporis ſpatio de rebꝰ tam arduis, cum omnibus illis quos cõſilijs intereſſe oportet, conſtituerent, Atque iterum demiſſiſſimis verbis rogabunt, dignetur Sac. Reg. Mtãs, quoſdã è medio Senatꝰ minimè ſuſpectos delegare, qui oĩa incõmoda atq; difficultates, quib. Ciuitas maximè premitur, in præſentia Ordinũ Ciuitatis et & priuilegiorũ diligenter excutiant, & debito fine terminãdas Mtĩ Regiæ referãt. Si vero id obtineri non poſſit, ſed cõditiones in literis ſecuritatis expreſſas vrgeri cõtingat, quod nimirum ſupplices deprecari & militem mittere debeamus, Internuncij dicent ciuitatis Ordines non exiſti-

mare, ſe vllam Maieſtati Regiæ offenſionis cauſam ita prębuiſſe, vt cum publica Ciuitatis infamia ac ignominiæ labe culpam ab ſeſe deprecari cogantur. Cum nihil aliud in hiſce negotÿs commiſerint, quam quod viros bonos & conſtantes decuit, quodq́ ipſa Maieſtas Regia, ſi initio ipſius electioni ſua ſuffragatione acceſsiſſet, ſibi præſtitum voluiſſet. Atque hîc Domini Internuncÿ cõmemorabunt, quid ab initio penes illam electionum actum fuerit, quomodo maior pars Regni Poloniæ, vnà cum Statibus Magni Ducatus Lithuaniæ & harum Terrarum Pruſsiæ ſua ſuffragia in Auguſtiſsimum Romanorum Imperatorem contulerint, qui etiam propoſitas conditiones acceptarit, iureiurando confirmarit, & ita ſe per omnia geſſerit, quaſi is qui ad huius Reip. gubernacula poſt legitimam nominationem atq. publicationem accedere conſtituiſſet. Qua etiam nos re animaduerſa eius Maieſtati vnà cum reliquis Ordinibus ſubiectionem & obedientiam noſtram ſcripto detuliſſe, & id feciſſe, quod fidem & cõſtantiam noſtram exigere exiſtimauerimus, eaq́ in ſententia tantiſper perſtitiſſe, donec cum multis bonis viris palàm perſpexerimus, eam eſſe DEI immortalis, per quem Reges regnant, voluntatem, vt Sacra Regia Maieſtas in hiſce regionibus ſceptro potiretur. Ibi nos cum reliquis, imò & ante reliquos fidem et obedientiam noſtram ipſius Maieſtati deferre conſtituiſſe, niſi ab ÿs, qui iam pridem famæ, exiſtimationi & omnibus fortunis noſtris inſidiantur,

antur,

antur, præpediti fuiſſemus. Quî enim fieret, quod ipſorũ inſtinctu Sacra Regia Maieſtas ante felicē in has Terras aduentum ſuum militem immitteret, quodq́; hoſtilia quæq́; nobis intentarentur, facilè coniectura aſſequi potuimus, vt non immeritò nos etiam manum aliquam cogeremus, qua nos & facultates noſtras à vi & iniuria tueremur, Quod vero poſtea maiorem militum numeruu conſcripſerimus, metu factum eſſe, cum iam manifeſta nobis vis illata, bona Ciuitatis tam publica quam priuata occupata incenſa, direpta, homines trucidati, pueri in perpetuam captiuitatē abducti & venundati eſſent, & nobis poſtea Grebini bellum publicè denunciatum fuiſſet. Non vero in eum finem, quemadmodum poſtea de nobis fama vulgata fuit, quaſi Maieſtati Regiæ vel Regno rebellare, & quod nunquam ad cogitationes noſtras penetrauit, rationes noſtras à Regni & harum Terrarum rationibus ſeiungere propoſuiſſemus, ſed vt iniuſtam vim à nobis propelleremus, & conſtantiam noſtram vniuerſis mortalibus probaremus: præſertim quod Sacra Cæſarea Maieſtas non tantum adhuc inter homines eſſet, ſed etiam huius Regni & harum Terrarum gubernacula accedere in animo haberet: denique, cum eius Maieſtatis partes multi Reges, Principes ac Duces ſuſciperent, vt omne periculum atque detrimentum, quod abiecta conſtantia imminere videbatur, à nobis propulſaremus. Si igitur ea re Maieſtatem Regiam ad indignationē adduxiſſe videri poſſimus, Ma-

X *ieſtatem*

ieſtatem eius omniũ ciuitatis Ordinum nomine Internun- cij humillimè & demiſſiſſimè deprecabuntur, dignetur id totum quicquid eſt ex innata Regia clementia & munificentia illis clementiſſimè condonare & omnem indignationem benigniſſimè remittere, atque illos in gratiam ſuam Regiam, ſublato omnium grauiſſimo ꝓſcriptionis Decreto, ita recipere, ne quid eorum, quæ vel in electionis acciderunt negotio, vel diſſidiũ illud ſubſecuta ſunt, neq; ciuitati publicè neque priuatim cuiquam fraudi, periculo vel detrimento ſit, neúe quiſquam cuiuſcunq; Status aut conditionis ab ea reconciliatione excludatur, cum ante eam reconciliationem neque iuſiurandum dare, nec ſubiectionem cōmodè profiteri poſſimus, Ac vt denique eam illis clementiſſimè ſinat patêre gratiam, quam multis alijs, qui ſua ſuffragatione eidem electioni æquè ac nos acceſſerant, clementiſſimè dare dignata fuit, & ne nos in maiori culpa & ſuſpitione quam omnes reliquos ponere velit, qui nō ex compoſito ſed errore quodam eò dilapſi ſumus, quēadmodum id inter mortales quibus de futuris contingentibus non eſt determinata veritas, facilè cōtingere poteſt; vt ea pro veris accipiant, quæ euentus docet eſſe falſiſſima, & nobis hoc caſu quoque, præter omnem expectationem noſtram accidit, Sacra Cæſarea Maieſtate non modo è rebus humanis exempta, ſed nobis etiam inſperato quodam infortunio implicatis. Quare Internuncij humillimis precibus enixè rogabunt, ne Sacra Maieſtas

Regia

Regiæ in fortuitis iſtis caſibus, quos nullum humanum conſilium prouidere poteſt, tantopere æmulari, Quin potius omnem conceptam indignationem clementiſſimè abijcere, & nos fidelium ſuorum ſubditorum loco & numero habere dignetur, Cum parat ſimus non tantum omnes fortunas & facultates noſtras, ſed ſanguinẽ etiam & vitam ipſam pro Sacræ Regiæ Maieſtatis et inclyti Regni incolumitate, in omnibus licitis & libertates noſtras non lædentibus rebus profundere, Et vt ipſius Maieſtas eam conſtantiam, quam alteri parti pro bonorũ virorum officio exhibuimus, à nobis etiam iuratis benigniſſimè expectet. Si vero Internuncijs eiuſmodi deprecatio extorqueri cæpta fuerit, quæ non tantum cum omnium Ordinum, ſed publicæ etiam Ciuitatis ignominia, & Priuilegiorum ac libertatum derogatione coniuncta ſit: demiſſiſſimè rogabunt, vt alia quædam ineatur ratio, qua eiuſmodi deprecatio aboleatur, Sin autem id obtineri non poſſit, eiuſcemodi deprecationi nullatenus conſenſum præbeant, ſed dicant ſe in mandatis non habere vt eò modo deprecentur, & noſtrum atque adeò omnium Ordinum Ciuitatis, à quibus ablegati ſunt, conſenſum & ſententiam requirant.

Secundum articulum literarum ſecuritatis quod attinet, vt pacati, milite miſſo, veniamus, Internuncij ſuprà dictas cauſas, cur militem conſcribere coacti fuerimus,

breuiter repetent,& dicent, non primum eſſe, quod tanto in nos impetu aduerſarij ferantur, ſed antehac quoq; poſt electionẽ Henrici Regis eadem arte vſos fuiſſe, cum coacto milite nos improuiſos opprimere ſtatuiſſent, & ad faciendos min⁹ neceſſarios ſumptus impuliſſent, quos neceſſario ad propulſandam iniuſtam vim & alendum per aliquot menſes militem impendere coacti fuerimus. Deinde nõ eſſe huic ciuitati nouum vt militem conſcribat, vtpote quæ in ipſo quaſi limine poſita, quibuſuis inſultibus terra mariq́; expoſita ſit, & tam ex Regno Daniæ quam Sueciæ etiam nihil non pertimeſcere, præſertim Interregni tempore, coacta fuerit. Quamuis ſæpius antehac tempore Ducis Brunſuicenſis Erici, & durantibus bellis Liuonicis Ordines militem conſcripſerint, & hoc illorum factum Sereniſſimi Poloniæ Reges nõ tantum approbarint & collaudarint, ſed Ciuitatem etiam nouis libertatibus eo nomine exornarint.

Ac licet militem mittere nos quidem in animo habeamus, Regiæ Maieſtati tamen Internuncij humillimè exponent, rem eſſe omninò arduam & impoſsibilem fermè id tam ſubito in actum deducere, quod ad colligendam & corradendam pecuniam, conferendas rationes, & integrã ſolutionem pſtandam multum temporis requiratur, eamq́; ob cauſam in tam anguſto tẽporis ſpatio miles mitti neutiquam poſsit, Nos tamen nullam prætermiſſuros occaſionem, qua ei rei ſupremam manum imponamus, præſertim ſi

tim ſi animaduerterimus, populationum, incendiorum & rapinarum, modum aliquem fieri, & ex prouĩcia in priſtinum tranquillitatis ſtatum repoſita, militem abduci.

Et cum neque cõmuni prouinciæ neque nobis etiam (noſtro quidem iuditio) de Priuilegiorum & libertatum indemnitate ſufficienter cautum ſit, Internuncij ante oĩa cum reliquis Statibus & Ordinibus harum Terrarum reuerẽter orabunt, vt iuramẽtum Maieſtatis Regiæ, ab initio tam in Trãſyluania quam poſtea etiam Cracouiæ præſtitum, quo in Polonorum tantum & Lithuanorum libertates & prærogatiuas iuratum eſt, eò clemẽtiſsimè extendatur, ne Priuilegijs & libertatibus harum Terrarum, quæ cum dictorum populorum iurib: & libertatibus ferme ex diametro pugnãt, quidq̃ detrahatur aut derogetur. Et vt omnes notabiles cauſæ, quæ has Terras & earum incolas concernunt, ex præſcripto cõmunis Priuilegij cum communi conſilio Conſiliariorum harum Terrarum tractentur, terminentur & diffiniantur. Noſtro vero & cõmunis Ciuitatis nomine diligenter & humillimè rogabunt, vt penes Auguſtanæ Confeſsionis Religionem pacificè ſine cuiuſquam interpellatione conſeruemur. Deinde vt Sacra Regia Maieſtas Ciuitatis Priuilegia ab omnibus Anteceſſoribus D. Poloniæ Regibus abſque aliqua controuerſia roborata & confirmata, nobis etiam confirmare clementiſsime dignetur, & vt omnes præiudiciales clauſulæ nuper admodum excogitatæ & non ſine periculo liber-

 tatum

tatum noſtrarum introductæ de legitima & illegitima Priuilegiorum obtentione omittantur, cum in eorum pacifica poſſeſſione ſupra centum annorum ſpatium, ſine einſcemodi clauſularum adinuentione, & libero ac quieto corundẽ vſu, ſine cuiusq; interpellatione fuerimus.

Ab hæc Internuncij diligenter & demiſſiſſimis precibus rogabunt, vt omnia & ſingula incõmoda atq; difficultates, per hoſce aliquot annos próximos, contra iura, Priuilegia, libertates, & antiquas benè receptas conſuetudines ingeſta, abrogentur & aboleantur, cum ſine earundem abrogatione Ciuitatis ſtatus ſaluus & incolumis eſſe nulla ratione poſsit aut valeat.

Denique oblata occaſione Internuncij querentur, quod non tantum nos, ſed ſpectabilis etiam Senatus ſeorſim aliquoties literas noſtras cum ad Sacrám Regiã Maieſtatem, tum ad reliquos Status & Ordines vniuerſos et ſingulos dederimus, ſed nullo nos reſpõſo dignatos fuiſſe. Et quod poſtremo etiã Syndicum noſtrum cum literis & mãdatis eò ablegauerimus, qui in hoſpitio ita cõcluſus fuerit, vt neque Mtĩ Regiæ, neq; Dñis Senatorib. vel Terreſtrib. Nuncijs mãdata noſtra exponere potuerit, ſed dati Saluicõductus anguſti admodũ tẽporis ſpatio circumſcriptis literis ad nos remiſſus fuerit, Quaſi indigni iam eſſemus, qui negotia noſtra publicè proponeremus, & ea ita perageremus, quemadmodum eorum ratio exigere videtur.

Poſtremo Internuncij etiam cõmemorabunt, quam

deploranda

deplorāda nunc ſit Inſulæ minoris, quæ Stubelouieñ vocatur, ratio, quæ poſt non multum temporis, in totius ciuitatis exitium, quod Deus auertat, vergere poſſit, cum eius aggeres non tantū ſæpius eundo & equitando deiecti, ſed etiam propter tormētorum bellicorum vſum perforati & ad nihilum redacti ſint. Qui, Vere nunc appropinquāte, propter aquarum inūdationem & magnam glaciei vim, quæ omnino pertimeſcenda eſt, non tantum in extremum adducentur periculum, ſed à nemine etiam cuſtodientur & reparabuntur, cum coloni omnes profligati, equi & cætera armenta abacta, omnibus denique fortunis & facultatibus exuti ſint.

Si quid his mandatis noſtris cōtrarium ab Internuncÿs noſtris poſtulabitur, illi contrariam aliquam conditionem nulla ratione accipient, ſed in omnibus noſtrum conſenſum requirent & ſe ad nos conferent. In quorum omnium fidem Sigillum Ciuitatis cōmune præſentibus eſt ſubappreſſū. Datū Gedani die 23. Nouēb. Anno 1576.

CVm his mandatis Internuncÿ non ſolum in Regiæ Maieſtatis conſpectū admiſſi non ſunt, verum etiā in domeſtica grauiter habiti cuſtodia, ſic vt neq; conuenire quempiam, neque negocia Ciuitatis, eo quo modo commiſſum illis fuerat, expedire potuerint, vt apud Regiam Maieſtatem non immeritò literis, quas ſubiunximus, hac de re conqueſti fuerimus.

Literæ

Literæ ad Regiam Maieſtatem de Internuncijs in cuſtodia habitis.

SEreniſſime potentiſſimeq́; Rex ac Domine, Dn̄e clementiſſime. Sacræ Regiæ Maieſtati veſtræ obſequiorum & ſubiectionis ſtudia, ſumma qua debemus inſeruiendi alacritate perquàm humilimè deferimus. Sereniſſime Rex ac Dn̄e, dn̄e clemētiſſ. Quemadmodū nihil magis vnq̄ ſummo cum noſtrorum omnium dolore coniunctum fuit, quàm vt ijs implicaremur actionibus, quibus res vniuerſæ Ciuitatis non mediocriter etiamnum affligitur: Ita cum Regiæ veſtræ Maieſtatis literas, Internuncijs noſtris fidem & ſecuritatem publicam pollicentes accepiſſemus, in eam omnino ſpem erecti fuimus, vt cum eiuſdem Maieſtatis veſtræ gratia & clementia, quicquid hactenus offenſionum interceſſit, bonis æquiſq́; rationibus tranſactū iri, confideremus. Quod quò magis omnes exoptauimus, & adhuc votis maximis optamus, eo cum acerbiori dolore noſtro comperimus, Internuucios Torunium miſſos, nō ſolum adhuc non auditos, ſed etiam in hoſpitij quaſi cuſtodia teneri, ſic vt neque Regiæ Maieſtati veſtræ legationem publicam exponere, neque Dominos Regni Conſiliarios nomine noſtro priuatim conuenire poſſint. Equidem non adeo ſumus irreligioſi, contra morem fidelium ſubditorum, vt ex voluntate Regiæ Maieſtatis veſtræ, iuris gentiū vſui publicis Internuncijs interdictū exiſtimemus: quinimò,

quinimò, ſi non illorum qui malè nobis volunt conſilijs, at horum ſaltem infelicitati temporum, quicquid præter meritum nobis euenit, tribuimus. Verum & antea comperti ſumus, res noſtras non eo quo per ſe ſunt modo ſemper ad Regiã Maieſtatem veſtram pferri, ſed varijs nos interdum præiudicijs hactenus fuiſſe dubio procul oneratos. Itaque nihil acerbius nobis accidere poteſt, quam preces noſtras, quæ nihil iniqui, nihil à dignitate clementiſſimi principis alienum deſiderant, à Regiæ veſtræ Maieſtatis auribus excludi. Cuius tantam apud omnes comperimus æquitatis & clementiæ cõmendationem, vt eandem nos etiam non ſolum in audiendis & expediẽdis Internuncijs noſtris, verum etiam in poſterum ſemper ac perpetuò, rebus omnib. pacatè compoſitis, experiri humilimè cupiamus.

Eſt quidem hæc Ciuitas membrum inclyti Poloniæ Regni non minimum, ſed in qua clementiſſimè conſeruanda, Regia veſtra Maieſtas longè maiorem laudem quàm in opprimenda vel affligenda fructum, & ſibi comparabit, & poſteris ad perpetuæ commendationis memoriam relinquet.

Neque nos certè minorem fiduciam in demerenda Reg. veſtræ Mtis clementia ac pietate, pro humilimo ſubiectionis ſtudio repoſitã habemus, quàm in Sereniſſimis Re-

Y

mis Regibus Anteceſſoribus experti ſumus, nec vt eam integram perpetuò conſeruemus quicq̃ in nobis fidei, virium, vel facultatum meritò deſiderari patiemur.

Quapropter humilimis precibus iterum atque iterum ſupplicamus, dignetur Regia veſtra Maieſtas offenſionis ſuæ modum aliquem clementiſſimè facere, & Internuncios noſtros exponēdæ cauſa legationis admittere, & ijſdē quod æquitati Regiæ maximè conuenit alteram aurem accōmodare, neque Ciuitatis negotia per aduerſarios eius qui per ſe ſatis noti ſunt tractari patiatur. Neque enim dubitamus, quin ex illorum relatu promptiſſimum ſubiectionis noſtræ ſtudium, & perpetuæ fidei teſtationem clementiſſimè ſit cognitura. Neque nos in poſterum etiam ab ijs conſilijs ac medijs alieni futuri ſumus, quibus, cum Regiæ veſtræ Maieſtatis clementia & dignitate, Ciuitatis huius rationes quàm optimè conſtantiſſimeq́ poſſint conciliari. Quo quidem benignitatis genere Regia veſtra Maieſtas clementiæ ſuæ regali, & in ſubditos omnes pientiſſimæ propenſioni cumulum eum adijciet, vt nos omnes cum poſteris noſtris, hoc iam ſemel beneficio deuinctos, ad oĩa de cætero fideliſſimæ ſubiectionis & fidei obſequia gratiſſima, cum impenſa ſanguinis & vitæ, longè reddituros ſit deuinctiores. Datum Gedani Calendis Decembribus Anno Domini M. D. Lxxvj.

Rebus

REbus in aula qualitercunque tractatis, nouæ paulò pòst conditiones nomine Regiæ Maieſtatis, per Magnificos Dominos Curiæ Marſcalcum & Palatinum Breſtenſem, hac ferè verborum forma ſunt propoſitæ:

I.

Eam partem muri, quam contra nos tempore rebellionis erexerunt, ſtatim in ſignum deditionis demoliantur.

II.

Laternam ſeu propugnaculum portus nobis & Reipub: tradant.

III.

Octo bombardas maiores, quatuor Carthaun & quatuor Singers cum quingentis globis & puluere ad eaſdē neceſſario nobis aſsignent.

IIII.

Centum florenorum millia ratione expenſarum & nomine placantiarum exoluant.

V.

Retentas Interregni, debitaq; Sereniſsimi defuncti Regis perſoluant.

VI.

Vt militibus eorum conductitijs ad bellum Liuonicum ſex menſium ſtipendium exoluant.

His compoſitis de Deprecatione facilè conſtituetur.

HArum conditionum illi, quæ loco quinto ponitur, quadruplex inſuper adiecta fuit interpretatio:

I.

Quinquaginta florenorum millia in ſingulos annos oblata à tempore retentionis, & in poſterum quoque exoluent.

II.

Centum millia florenorum Regiæ Maieſtati per Dominos Commiſſarios promiſſa perſoluent.

III.

Trium Contributionum in Polonia laudatarum reſtantias perſoluent.

IIII.

Redditus quatuor millium florenorum vſitatorum tempore Interregni retentorum ſoluent.

His

His de rebus & cæteris quæ fuerant Internuncijs commiſſæ, quanquam vltro citroq́ verba ſæpius commutarentur, cum ijs, quibus Regia Maieſtas negocium id demandaſſe dicebatur, rerum illarum fermè omnium difficultates docerentur, & impoſsibiles planè conditiones ab Ordinibus Ciuitatis minimè admiſſum iri, multis argumentis demonſtraretur: nihilominus tamen faciundum erat Internuncijs, vt prorogatis publicæ fidei literis, cum propoſitis conditionibus, & ordine rei geſtæ, Syndicum ad nos remitterent, & reſponſum noſtrum interim expectarent. Quibus cognitis, quæ eſſet animi noſtri ſententia, per eundem Syndicum Internuncijs reſcripſimus, literas ad Regiam Maieſtatem, & deſcriptionem grauaminum, quorum toties mentio fit, addidimus, vti ex ijs quæ ſubijciemus fuſius intelligi poterit.

PROROGATIO SALui conductus.

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ Liuoniæq; &c. Dominus & Tranſyluaniæ Princeps.

SIgnificamus tenore praeſentium, quorum intereſt vniuerſis & ſingulis, Quod cum non ita pridem Ciuibus Gedaneñ Saluum conductum noſtrum mittendorũ Nunciorum ad nos cauſa, ad diem vigeſimam octauam praeteriti menſis Nouembris incluſiuè dediſſemus, eundemq́ per Thoruneñ & Elbingeñ Ciuitatum Internuncios, quos eò ad interceſſionem quorundam Conſiliariorum noſtrorum ablegaueramus, ad hodiernam diem, ac denique maioris ſecuritatis gratia in aliud octiduum prorogaſſemus, Et illi interea temporis Nũcios ſuos ad componendas enatas controuerſias ad nos miſerint, qui per Conſiliarios noſtros denuò nobis ſupplicarunt, vt Saluum conductum noſtrum vlterius progare dignaremur: Nos Conſiliariorum noſtrorum interceſſioni, & ipſorũ Nunciorum ſupplicibus precibus clementer annueñ, Saluum conductum noſtrum iterum prorogandum duximus, quēadmodum & prorogamus praeſentibus ad illud temporis ſpatium, quo ſuſcepta haec tractatio atque compoſitio durauerit, vt interea temporis ſecurè vltrò citroq́ cōmeare, & denique ad ſuos domum redire poſſint. Quod omnibus quorum intereſt, ac inprimis Exercitus noſtri generali, caeteriſq́ Praefectis ac Militibus noſtris denũciamus: Mandantes ne dictis Nuncijs Gedanenſibus, aut illis qui in eorum comitatu ſunt, quoſúe vltrò citroq́ interea miſerint, vim aut damnum in perſonis aut rebus ipſorum faciant, Pro gratia noſtra, & ſub paenis in violatores

Salui

Salui conductus ſancitis. Datum Thorunij in conuentu generali Regni die prima menſis Decembris, Anno Dñi M. D. Lxxvj. Regni vero noſtri Anno primo.

Stephanus Rex.

Inſtructionis literæ ad Internuncios datæ.

SAlute præmiſſa, &c. Quibus modis Torunij poſt felicem aduentum veſtrum Ciuitatis negocia tractari cœperint, quæ conditiones ad ea componenda propſitæ, quid hac de re vobis viſum, & ad ampliorē Ordinum deliberationem reiectum fuerit: cum ex relatione Syndici noſtri, tum ex literis veſtris q̄ paulò pòſt ſubſecutæ ſunt, planè ſatis ac prolixè cognouimus. Ac primum videmus, ex parte Regiæ Maieſtatis rem omnem ſaltem præſcriptis ijs conditionibus terminari, quæ ſunt eius generis, vt non ſolum maximam partem ex ijs grauaminibus, quæ maximè Ciuitatem premunt, quorum releuationem ſæpius humilimè flagitauimus, ad onerum illorum cumulos augendos, de compoſito ſint excerptæ: verum etiam publicæ exiſtimationi, iuribus, libertatibus, & priuilegijs perniciosæ, & extra vires ac facultates noſtras protenſæ. Sic vt inde nobis ſuccurrat, eas conditiones non à Regia Maieſtate propriè proficiſci, cui neque Ciuitatis rationes omnes, neque Cōmiſſionis negotia ſatis adhuc explorata, nec in ſuperioribus Tractatibus eorum aliqua mentio facta

ſit,

ſit, ſed ab ijs potius, qui iam ab initio tot difficultatibus Ciuitatem implicuerunt, & nunc etiam magis & magis irretire non deſinunt. Cæterum vti nos omnes nihil magis in votis habemus, quàm rebus hiſce pacificè compoſitis, iuribus & libertatibus ſaluis, more maiorum, ad eius Maieſtatis imperium accedere: ita ſpem humilimè concepimus, Maieſtatem illius, membrum hoc Regni Poloniæ non poſtremum, clementioribus rationibus benigniſsimè proſecuturam, quàm vt impoßibilibus conditionibus & ad extremam noſtrorum omniũ calamitatem compoſitis, illud peſſundari patiatur. Quod ipſum vos iterum ac iterum humilimis precibus & indefeſſo ſtudio volumus deprecari.

Nam quod primum caput earundem conditionum attinet, nullius ſanè rebellionis conſcij nobis ſumus, nec vnquam cogitauimus ab inclyto Poloniæ Regno ſeceßionem facere. Quo verò pacto ad bellicos hoſce motus pertracti fuerimus, vobis iuxtà cum omni penè Prußia ſatis conſtat. Nam & priuſquam Regia Maieſtas in Prußiã pedem tuliſſet, in vicinia contra nos bellum apparatum, & variæ machinationes tentatæ, & paulò pòſt dum de rebus præſentibus tractatur, datis etiam publicæ fidei literis, tam publicæ quàm priuatæ Ciuium poſſeßiones deuaſtatæ, itinera obſeſſa, cõmeatus interceptus, & ſiquidem in aduerſariorum viribus fuiſſet, omnibus etiam fortunis, ac ipſa vita nos exuere, voluntatem vtique non abfuiſſe,

iſſe, varijs & apertis ipſorum cõminationibus palàm factum eſt. Non igitur ad rebellionem aliquam pertinet; quod aduerſariorum hoſtilibus impetitionibus coacti, ad conſeruanda Ciuitatis iura & priuilegia, ad propulſandã à ceruicibus, vxoribus, liberis, ac fortunis noſtris vim iniuſtam, quod etiam naturalis ratio permittit, Ciuitatem noſtris priuatis ſumptibus muris & præſidijs neceſſariò communiuimus.

Enimuerò cum clementer intelligat Regia Maieſtas, quid nos tum temporis ratione ſuperioris Electionis facere decuerit, dubiò procul fidei noſtræ ſtudium, eius conſtantiæ potius argumẽto quam ipſamet à fideliſſimis ſubditis experiri vellet, quàm cuiuſuis rebellionis propoſito; cenſere benigniſſimè dignabitur.

Ciuitatis muri & propugnacula, non iam primum ædificari cæperunt, complures iam annos Ciuium impenſis & opera conſtruuntur, cum totius Regni & harum terrarum emolumento, Diuis Regibus Anteceſſoribus ad hoc ipſum ſæpe clementer exhortantibus. Non ſemel iam antea Ciuitas hoſtilibus incurſionibus tentata fuit, quas tamen adiuuãte Deo, ſuis ſumptibus, ſua Ciuiumq́ opera, quatenus fieri potuit, auertit, nec in eam rem vel Regiæ Maieſtati vel Regno maiorem moleſtiam exhibuit. Poſſent eiuſmodi nunc etiam, in hoc mundi ſenio, & varijs multorum Regnorum exemplis, incidere tempora, quib. optarit Regia Maieſtas pro ſuo & vniuerſi Regni

 præſidio,

præſidio, vrbem hanc etiam multò quàm nunc eſt munitiorem. Quapropter iterum humilimis precibus Regiam Maieſtatem exorabitis, ne diruendis muris, quos inſtaurare longè fuerat æquius, hanc Ciuitati maculam, quaſi rebellionis notam, cum ſummo noſtrorum omnium dedecore, inuri patiatur.

Deinde quod ad propugnaculum portus attinet, nobis & maioribus noſtris à Diuo Caſimiro ſuo & ſucceſſorum Regum nomine, ius maris, gubernatio littorum Pruſſiæ, adminiſtratio nauigationis, ex priuilegij præſcripto, luculenter & pleniſsimè data conceſſaq́ ſunt, ad quæ ritè conſeruanda portus propugnaculo vehementer opus eſt. Quocirca, quod Regia Maieſtas ſolenni iuramento, de tuendis ſingulorum ſtatuum iuribus & priuilegijs, publicè priuatimq́ profeſſa eſt, idem ſibi quoque citra quoduis impedimentum, ſincerè præſtitum iri, Ciuitatis Ordines & omnino ſperant, & humilimis votis obteſtantur.

Tertium caput tale eſt, vt ipſimet non ignoratis, non eſſe nobis eam maiorum tormentorum neque pulueris tormentarij copiam, vt Regiæ Maieſtatis voluntati ſatisfacere poſsimus. Pleraq́ ſunt minora & fermè naualia tormenta, quibus vrbs munitur. Ac ſi (quod abſit) belli neceſsitas aliqua nobis incumberet, de augendo potius inſtrumento vel ſuppellectili bellica, nobis propediem eſſet cogitandum, quàm vt vixdum neceſſarijs p̄ſidijs vrbē denudemus.

Sequen-

Sequentia duo capita ex ſuperioris Cōmiſsionis huc deriuari negocio, ſatis oſtendit adiuncta Declaratio, qua nihil iamdudum eſt Ciuitati moleſtius, quaq́ de re velut extra rationis conditionem poſita, cum in viuis eſſet Diuus Sigiſmundus Auguſtus, diu multumq́ diſceptatum fuit. Meminimus quo pacto cum Commiſſarijs ad recuperandam gratiam Regiam, ad conſeruandam iurium & priuilegiorum indemnitatem, denique ad tollendos, qui per contrarium irrepſiſſent abuſus, tranſactum fuerit. Nimirum vt ex auctoritate principis portorium augeretur, eaq́ auctionis portio Regiæ Maieſtati cederet. Quæ quidem auctio cum effectum non habuerit, nec eo nomine quicquam ad Ciuitatem redierit, haud æquum fuerit idipſum tanquam æris alieni reſiduum à nobis poſtulari. Centena verò florenorum millia, ex præſcripto Placationis ipſi Regiæ Maieſtati conceſſa, ſolius ipſius perſonæ contemplatione habita, quemadmodum auctio portorij, ad vitam eius ſolummodò pertinebat, nec in hoc toto negocio, quicquam vel de Regno, vel Maieſtatis eius ſucceſſoribus, actum, dictum, vel tranſactionis lege conſtitutum. Quinimò conditionem abolendorum grauaminum expreſſè receperunt Ordines, adeò nimirum, vt niſi ijs abolitis, nec ſibi quidem eius quod recepiſſent præſtandi facultatem fore prædicerent. Sanè Domini Commiſſarij iſthæc omnia haud alio ſenſu

acceptum iri, luculenter promittebant, ideoq; auctores erant, ne tam diſtrictè conditionibus, ſed humiliter precibus à Rege ſuo, exigerentur. Cæterum vbi poſtea Dñi Cõmiſſarij conſenſum Ordinum longè quàm actum fuerat latius extendere vellent, adijcerent inſuper Conſtitutiones quaſdam, de iure Regio, de dominio maris, & alias à priuilegiorum mente & conſuetudine longè diuerſas, Ordines tam publicè quàm priuatim ſolennes interpoſuerunt teſtationes, de conditionibus præter illorum intentionem diſtractis, ac rem integram Maieſtati Regiæ proponendam condixerunt. Actum deinde cum eius Maieſtate non ſemel fuit, nec ipſa non clementiſſimè ad animum reuocauit, quanta difficultas augendi portorij futura fuiſſet, nec ab alijs quibuſdam tranſigendi rationibus (quæ tamen eius morte p̃uentæ ſunt) alienam ſe clementer oſtendit. Neque verò de certa quapiam ſumma, quantum ex auctione portorij ad Maieſtatem Regiam rediret, vnquam cõuentum fuit, quicquid tandem de collegis noſtris, qui nunc rem humanam agere deſierunt, audimus adferri: nec in obſcuro eſt, quid Legatis Regijs Executionem pacti conuenti poſtulantibus, reſponſum fuerit, quod alio loco cõmodius perſequemur. Grauamina verò conditionib. adiecta, non ſolum ex pacto nõ abrogata, verum etiã accumulata, publicæ poſſeſſiones diuexatæ, partim ab ipſis etiam Cõmiſſarijs in rem ſuam optatæ, ſpeculatores maris non exauctorati, ſed propter illorũ rapinas

inſigni

inſigni detrimento Ciuitas fuit afflicta: ſic vt totius effe-ctus negocij ſaltem ex parte Regiæ Maieſtatis pientiſsimæ recordationis defecerit, nec vnquam interim Ordines eorum præſtationem, de quibus nominatim actum erat, cõſequi potuerint. Quapropter iterum ac iterum humilimis precibus Sereniſsimæ Regiæ Maieſtati ſupplicant, ne iſtius negocij cauſſa, quod cum ſolo principe defuncto, certis conditionibus actum eſt, nec ad alium quemuis pertinuit, de nouo moleſtiam nobis creari patiatur, ſed id, quo ſemel defuncti ſumus, perpetuò ſopitum eſſe velit.

Ex penſionibus annuis, quas debemus, in ſummam Septuaginta florenorum millium, quæ Diuo Sigiſmundo Auguſto mutuà dedimus, ſecundum Regiam eius inſcriptionem, vſuras ſeptunces retinere: quod autem excurrit, in theſaurum Regium inferre conſueuimus. Proinde cum cæteri Status penſiones Interregni neutiquam inferant, eodem nos etiam vti iure Maieſtas Regia benigniſsimè concedere dignabitur. Maioribus autem precibus obſecramus eam nobis fieri gratiam, vt ea debita, quæ nobis ex Poloniæ regno competunt, quorum nomine in exoluendis vſuris alibi quotannis laboramus, aliquando refundantur.

Ad Contributiones in Regno publicè laudatas quod attinet, eorum cõmunicatio cum ad nos minimè pertineat, non immeritò Terrarum Pruſsiæ priuilegijs & moribus perpetuis innitimur, ac quoties cõmuni Statuum con-

 ſenſu

ſenſu Contributio quæpiam in vſum Regni vel Prouinciæ decreta fuerit, nos antea partibus noſtris haud defuiſſe, nec in poſterum defuturos teſtamur.

Vltimo capite quo poſtulatur, vt militibus noſtris conductitÿs ad bellum Liuonicum ſex menſium ſtipendium exoluamus, ſatis vobis conſtat, mlites certorum menſium ſtipendio conductos, ÿs exactis, amplius in poteſtate noſtra non eſſe, neque Ciuium facultates ferunt, vt vltrà, quàm in Ciuitatis vſum, militem alant.

Ex quibus Regia Maieſtas clementiſſimè intelliget, quàm omnino facultatum noſtrarum non ſint cōditiones propoſitæ, præſertim hoc rerum ſtatu, quo cōmerciorum nulli penè ſunt prouentus, poſſeſſiones autem publicæ ad nullum fructum redactæ, ſumptus interim in hiſce perturbationibus haud mediocres impendendi, præterquàm quod alioquin æris alieni abundè eſt.

Quapropter Regiæ Maieſtati ſupplicant Ordines humilimis precibus, vt æqua harum difficultatum omnium admiſſa ratione, Ciuitati ſuæ pacem & tranquillitatem reſtituere, proſcriptionis decretum & quicquid inde præiudicÿ natum eſt abolere, & cum benigniſſima declaratione iuramenti ſui Regÿ, Saluis iuribus & priuilegÿs noſtris, grauaminibus ſublatis, ita controuerſias omnes æquis conditionibus componere clementiſſimè dignetur, vt in poſterum etiam Ordines ad omnia quantum in illis

eſt,

eſt, fideliſsimæ ſubiectionis obſequia ſint longè magis magisq́ deuinctiores.

Hoc ſi quid amplius à nobis honeſtè fortaſsis deſideretur, prout nullum obſequij genus, retinendæ pacis ergò, pro modo facultatum recuſamus, diligenter ab ijs qui participes horum conſiliorum ſunt exquirite, quibuſnam tandem modis ad concordiam, tranquillitatem, & fortunam ſereniorem, rebus in omnibus pacificè compoſitis, peruenire poſsimus. Quo cognito, quid ex Ordinum ſententia faciundum nobis, deliberabimus, & quid animi vel facultatis noſtræ futurum ſit, reſcribemus. &c. Datum Gedani die quarta menſis Decembris Anno Domini M. D. LXXVJ.

Literæ ad Regiam Maieſtatem.

SEreniſsime &c. Ex Internunciorum noſtrorum literis & relatu non ita pridem cognouimus, quibus modis apud Sac: Reg. Mtis veſtræ deputatos Cōmiſſarios Ciuitatis huius negotia tractari cæperint, quæq́ Sac. Reg. Mtis veſtræ voluntas in illis expediendis fuerit. Qua in re cōprimis Reg. Mtis veſtræ clementiſsimam erga nos propenſionē in cōcedendo Saluo conductu experti ſumus. Eidemq́ Sacræ Reg: Mti immortales & quam poſſumus

maximas

maximas agimus gratias, quod eam ſecuritatem Nunciјs noſtris clementiſsime concedere dignata eſt, ac vt in poſterum etiam vſque ad rerum harum compoſitionem clementiſsime dignetur conſeruare, iterum ac iterum humilimis precibus obſecramus. Conditiones autem propoſitæ (quod vehementer ſane dolemus) eius ſunt generis, vt eas non ſolum perpetuis libertatibus ac Priuilegijs noſtris aduerſari, verum etiam cum noſtrorum omnium qui nunc in rebus humanis ſumus & poſterorũ qui nos ſecuturi ſunt, ignominiæ nota planè deteſtabili coniuncta intelligamus: Præſertim quod videamus maiorem earum partem ex negotijs cõmiſſorialibus, quæ cum ſola ipſius Diui Sigiſmundi Auguſti perſona, certis legibus ac conditionibus tractata nec ad aliquem effectum ipſo viuẽte deducta ſunt, propterea quia perſonam illius ſolam concernebant, & id quidem adhuc certis Conditionibus non ſubſecutis, ſperabamus ea, cum Diui Sigiſmundi perſona mortua ac ſepulta fuiſſe, nihilominus eas ipſas neſcimus quorum conatibus denuo produci. Nihil ſanè magis in votis habemus, quam vt Sacræ Regiæ Maieſtatis veſtræ gratiam & clementiã ſummo cum humilitatis ſtudio demereri, & ſub eiuſdem feliciſsimo regimine res & fortunas noſtras pacificè tueri, et ſine iurium ac libertatum detrimento, ſalua Ciuitatis exiſtimatione, res omnis tranſigi & componi poſsit. Quod vti maximè optamus, ita quantum in nobis eſt nihil merito noſtro deſiderari

ſiderari patiemur, atque Regiæ veſtræ Maieſtati quam poſſumus ac debemus humilimis precibus ſupplicamus, clementiſſime dignetur Commiſſionis eius actionibus, in quibus tractandis ad extremam Ciuitatis pernitiem nihil penè prætermiſſum fuit, reiectis, vel potius extra memoriam hominum ſepoſitis, Internuncios noſtros ad priuatam audientiam admittere, & cum ijs Ciuitatis rationes, benigniori quodam modo pertractare. Tantum enim in Regiæ Maieſtatis veſtræ clementia ſpem repoſitam habemus, vt non defutura ſint alia media, quibus & cum Regiæ veſtræ Maieſtatis dignitate & ipſius Ciuitatis incolumitate, de rei ſumma tandem aliquando recte poſſit conueniri.

Hoc certe pacto Regia veſtra Maieſtas immortalem à poſteris noſtris omnibus pietatis & clementiæ laudem comparabit, & quo benignius ac liberalius nobiſcum aget, eo Ciuitatis omnes incolas ad perpetuam fidem, & promptiſſima ſubiectionis obſequia ſibi reddet magis magiſq; deuinctiores. &c. Datum Gedani die iiij. menſis Decembris Anno Dñi M. D. Lxxvj.

CAPITVLATIO GRAVAminum ac petitionum Ciuitatis Gedanenſis.

I.

PRimum omnium, Ciuitatis Ordines de pace Religionis ſibi cautum eſſe volunt, vt Auguſtanæ Confeſſionis vſu tam in Ciuitate, quàm extra muros in eius diſtrictu, pacificè, quietè, ſine vllo cuiuſuis impedimento, prout hactenus, fruantur, neúe cuiquam religionis ergò moleſtia vel negocium exhibeatur, neúe in templis ritus ceremoniarum, immutentur.

II.

Petunt ac præſeruant Ordines, ne quid eorum quæ vel in Electionis acciderunt negocio, vel diſsidium illud ſubſecuta ſunt, neque Ciuitati publicè, neque priuatim cuiquam fraudi, periculo, detrimento ſint: vtq́ Regia Maieſtas ſi eam ob cauſam Ciuitati, vis hoſtilis, iniuria, vel damnum importetur, indemnitati publicæ priuatæq́ clementiſsimè proſpicere dignetur.

III.

Æquum exiſtimant Ordines, vt omnia & ſingula, Ciuitatis priuilegia in eorum quibus data ſunt fauorem & emolumentum potius interpretentur, quàm in eorundem læſionem vel præiudicium, quod hactenus non ſemel factum eſt, detorqueantur: nedum ad eam conditionem redigantur, quæ vel Regijs literis, mandatis, aut decretis aboleri, vel tanquam legitimè non obtenta quoquo modo poſsint in dubium vocari.

IIII.

Meminerunt etiam Ordines, cum Diuus Sigiſmundus Au-

guſtus inclytæ recordationis ſatis numeroſo comitatu ad-uentaſſet, ſtatum Ciuitatis non mediocriter perturbatum fuiſſe, cum inter Regios comites, ſeruitores, peregrinos, ac Ciues varia diſsidia paſsim orirentur, vnde non violentæ ſolum aggreſsiones, ſed cædes etiam perpetratæ. Quorum ne quid nunc etiam accidat, cum plures quàm antea ſint offenſionum cauſſæ, petunt Ordines, vt Regia Maieſtas, cum Ciuitatem ingredietur, comitatus ſui numerũ ita moderari clementiſsimè dignetur, ne vel oneri ſit Ciuitati, vel inde maior aliqua perturbatio proueniat. Diuus quidem Caſimirus in ſpeciali priuilegio ſtabulum ſibi ſuisq́; ſucceſſoribus quoties Gedanum veniret in ducentos ſaltem equos præberi cauit. Vnde rationi maximè conſequens eſt, noluiſſe prudentiſsimum Principem nimio comitatu Ciuitatem grauari, neque metum oppreſsionis aliquem Ciuibus inijcere. Cuius exemplo (nam & eius generis alia, alijs in Ciuitatibus paſsim recepta ſunt) Regia Maieſtas in omnium ciuium & incolarum animis ſpem certiſsimam relinquet, non velle Maieſtatem eius, eam Ciuitatem quæ de Diuis Anteceſſoribus nunquàm malè merita fuit opprimi, ſed in libertatibus, iuribus, ac priuilegijs ſuis ſecurè potius conſeruari.

V.

Inter cætera grauamina, quæ iampridem Ciuitati contra publicas libertates, priuilegia, iura, conſuetudines, illata ſunt, longè maximum eſt illa Cõmiſsio, quæ cum

ſumma Ciuitatis infamia, publicæ fidei noxa, & fortunarum detrimento ſuperioribus annis agitata fuit.

Qua Ciuitas non ſolum, concitatis tribubus ac contubernijs, extremum penè diſcrimen, ex magiſtratu nonnulli citra culpam, exiſtimationis, honoris, fortunarum, ac vitæ periculum adierunt, verumetiam publicæ libertates, iura, priuilegia, prouentus, bona terreſtria, adeò impugnata, imminuta, & labefactata fuerunt, vt hoc modo nihil penè, quod ad vniuerſæ Ciuitatis perniciem agi potuiſſet, prætermiſſum Ordinibus videatur. Quod ex ipſius Commiſſionis actis & geſtis ſigillatim apertius poteſt demonſtrari.

VI.

In primis illud moleſtiſſimè ferunt Ordines, in placationis eius formula, quæ penè inuitis exorta fuit, ita ſe circumuentos, vt cum grauaminum aliquorum abolitionem Domini Commiſſarij repromitterēt, hinc quidem Ordinum pollicitationem ſcripto fuiſſe conſignatam, illinc autem grauamina non ſolum, vti conuenerat, non abolita, ſed interim etiam non vnis oneribus accumulata conquerantur.

VII.

Huic conſequens eſt æquè graue præiudicium, quod cum ſemiſſem maritimi portorij, cuius duplicādi per Diuum Sigiſmundum Auguſtum facultas petebatur, Ordines ipſi Mtī Regiæ vel ad certum tempus, vel diutiſſimè, quoad ipſa in viuis foret, deſtinaſſent, Cōmiſſarij nihilominus

minus hoc obſequium à perſona ipſius Maieſtatis, ad vniuerſum regnum, atque adeò perpetuum & ad poſteros infame onus aduerſus contrahentium mentem & intentionem detorquere voluerint. Quod quàm graue & intolerabile Ciuitati futurum eſſet, pientiſsimo Regi ſanctæ & auguſtæ memoriæ non ſemel demonſtratum eſt, ea præſertim ratione, ſi portorium huius Ciuitatis in exterorum merces adaugeretur, nihil fore certius, quàm eodem exemplo noſtrates in tranſmarinis emporijs, contra morem antiquum, nouis vectigalibus, oneribus, & exactionibus æquè diuexatum iri. Illud autem ex vtraq; parte neceſſariò conſequeretur, vt propter aggrauationem portorij cōmercia, quæ quantum poſſunt libera volunt eſſe, penitus à ciuibus noſtris aliò transferrentur, quod nō modo cum Ciuium, ſed etiam Regnicolarum certiſsimo damno coniunctum fore, multis rationibus defendi poteſt.

Et ipſe Sereniſsimus Rex, cuius memoriam ſanctam habemus, eum in his actionib. animum tandem oſtendit, vt hiſce modis Ciuitatē, vel tanto ad poſteros præiudicio, vel apud exteros detrimēto cōmerciorum, onerari minimè velle videretur. Quibus ex cauſsis illud expeditiſsimū eſt, non poſſe Ciuitatem hanc vel fama vel exiſtimatione integra, vel iuribus, priuilegijs, libertatibus ac fortunis ſartis tectis, vti frui, niſi totum illud Cōmiſsionis negocium, & quæ quouis inde modo ſecuta ſunt grauamina, tollantur, aboleantur, caſſa & irrita perpetuum eſſe iubeantur.

 Ac

Ac ideò formulam placationis ſubſignatam, cum nec exitum ipſa ſortita, nec annexis conditionibus ſatisfactum fuerit, Ordines æquiſsimè putant ſibi reſtitui oportere.

VIII.

Iiſdem conditionibus diſertè comprehenſum erat, vt Speculatores maris abrogarentur, qui nihilominus tamen etiam poſtea nullo vel hoſtium vel amicorum habito diſcrimine, rapinas exercere, & in hunc portum ſe recipere non deſinebant. Qua re Sereniſsimus Daniæ Rex commotus, quod maris Baltici ſecuritas eo modo maximè perturbari diceretur, non tantum Speculatores illos vbicunque deprehenſos ad ſupplicium retraxit, verum etiam Ciuitatis naues complures in tertium annum vſque detinuit, nauibus interea computreſcentibus, mercibus autem compluribus corruptis vel amotis, tandē cum nullum aliud eſſet præ manu remedium, coacta fuit Ciuitas ad liberandas naues, & redimendam nauigationis libertatem centum millibus thalerorū depaciſci, præter cæteros ſumptus crebris & continuis legationibus ac tractationibus impenſos. Regia quidem Maieſtas quamuis rem eam ad ſolicitudinem ſuam benigniſsimè reuocauerit, cum Sereniſsimo Rege Daniæ multa per literas & Internuncios egerit, demum etiam quod hoc ſua magis, quàm Ciuitatis intereſſe cenſeret, ad Compromiſsi arbitrium deſcenderit, conſequenter poſt eius ex hominibus deceſſum Reuerendiſsimi & illuſtres dñi Conſiliarij in ipſo Interregni tempore

pore ſuas etiam partes interpoſuerint, nihil tamen obtineri potuit, quin Ciuitas per ſe tanta pecuniæ ſumma naues, merces, liberamq; nauigandi poteſtatem redimere ſit coacta. Nec Ordines ab æquitate cenſent alienum eſſe, ſummam illam pecuniariam & alia damna ſibi refundi, ac in poſterum rectè caueri, ne iuri ſuo quod in rem habet maritimam, per quaſuis eius generis impreſſiones tam inſigne fiat præiudicium.

IX.

In eodem Cõmiſſoriali tractatu, Conſtitutiones quædam, huius Ciuitatis iuribus, priuilegijs, libertatibus, & conſuetudinib. vt plurimum aduerſantes, obtrudi cæptæ fuerunt. Quas vti ſemper hactenus bonis rationibus, quæ ſuo loco publicè per Confutationũ modum ꝓpoſitæ ſunt, Ordines reiecerunt, ita ne nunc quidem ſine ſummo præiudicio præclariſsimi priuilegij ſui, de legibus & contributionibus ciuilibus ferendis, imponendis, & abrogandis, acceptare poſſunt.

X.

Vehementer iniquum eſt, cum vniuerſæ ciuitatis tum Magiſtratus, & Ordinum famam honorem & exiſtimationem, famoſis libellis clam & palàm proſcindi, ac eiuſmodi diffamatores in Ciuitatis inuidiam publicè etiam ali, foueri, & ſuſtentari.

XI.

Non immeritò conqueruntur etiam Ordines, quod contra Terrarum Pruſsiæ Priuilegium & libertates antiquiſſi-

antiquiſsimas, Ciuitatis magiſtratus ad Comitia Regni ſemper euocentur, & eadem occaſione Ciuitas ad res Polonicas, longè à rationibus ſuis alienas, ad ſtatuta & onera Regni, contra publica Terrarum iura, pertrahatur.

XII.

Qua quidem ratione Contributio Lublinenſis, quam nunquam Ordines laudarunt, nec laudare tenentur, à Ciuitate poſtulari cœpit: cum illud iuris & conſuetudinis perpetuæ fuerit, vt de eiuſmodi Contributionibus, ſi ita opus eſſet, Conſiliarij & Status Terrarum inter ſe conſultarent & conſtituerent.

XIII.

Eodem pacto bona Ciuitatis publica ad Executionem Aexandrini ſtatuti trahi cœperunt, quinimo nonnulli Dominorum Commiſſariorum eadem bona ſibi potius dari quam Ordinibus conſeruari voluerunt. Itaque non minus iuſtum quàm æquum videtur, vt ea, quæ tanto cum Reipublicæ præiudicio ſunt acta, penitus reſcindantur, nec enim bona ſua Ciuitas à Regno lucri fecit, ſed vnà ſecum ad Regnum attulit, à quo nunc iiſdem priuari, ab omni æquitate longè fuerit alieniſsimum.

XIIII.

Queruntur etiam Ordines, quod non magiſtratus ſolum, ſed etiam priuati Ciues, nouis & inuſitatis edictis, in cauſis iniuriarum & rerum criminalium, ad tribunal Regium euocentur.

XV.

Quod

Quod complura mandata pœnalia, iuri noſtro non conſentanea, ad vnius partis informationem, nonnunq̃ etiam contraria Decreta, ex Cancellaria Regia prodeant, quibus & magiſtratus vehementer prægrauatur, partes ipſæ quo minus ius ſuum cõſequi poſsint impediuntur, & iudiciorum proceſſus in infinitum fermè producitur.

XVI.

Quod Ordinum decreta, leges, ac plebiſcita, in quibus condendis & abrogandis, ex præſcripto priuilegij Caſimiriani pleniſsimã habent poteſtatem, mandatis & reſcriptis Regijs cum ſummo dicti priuilegij præiudicio ſoleant impugnari.

XVII.

Quod literæ Salui conductus paſsim ſine diſcrimine perſonarum vel cauſarum concedantur, ijs præſertim, quod ſæpe fit, qui literarum eiuſmodi beneficio iure cenſentur indigni.

XVIII.

Quod non extraneis modò, ſed plurimis etiam Ciuibus, literæ Exemptionum à ciuili iuriſdictione paſsim cõcedantur, quæ res ſummam inter Ciues, qui in bene conſtituta Republica cõditionis eiuſdem eſſe debent, inæqualitatem parit, ciuilem obedientiam & debitum diſſoluit, ac magiſtratus auctoritatem maximè labefactat: præſertim quod vt plurimum exemptæ perſonæ, dum plus ſibi quàm alijs licere putant, multa contra leges ac mores Ciuitatis committere ſolent, cum ſummo magiſtratus contem-

ptu, cæterorumq́ Ciuium damno & præiudicio.

XIX.

Quod contubernia & collegia, vtpote Lanionum, Braſeatorū, & alia, ſpecialibus indultis, immunitatibus, beneficijs, ac conſtitutionibus, quæ cum publicis Ciuitatis, libertatibus, cōſtitutionibus ac plebiſcitis pugnant, donentur ac muniantur. Quo fit vt integra contubernia non ſolum leges publicas cum omni magiſtratus imperio proculcent & euacuēt, ſed etiam in cōmercijs rerum venalium, quæ vſui domeſtico ſunt, & quarum moderationem non admittunt, ſuo arbitratu, præter æquum & bonum conciues ſuos onerent ac emungant.

XX.

Cuius generis etiam illud eſt, quod Dñi Cōmiſſarij, Contractū ſolennē, cōſtituēdæ cōcordiæ cauſſa, cum braſſeatoribus initum, leuiſſimorū hominum impulſu, nullo iuris ordine reſciderunt, quo pacto diſcordiæ renatæ, aliæq́ difficultates ortæ, multi vero ad conculcandas leges, & diſſoluendā tranquillitatem publicam facti ſunt audaciores.

XXI.

Quod itidem literæ Moratoriæ paſſim edantur, nulla perſonarnm contēplatione, quis in fraudem Creditorū eos petat, quis vel ſua culpa rem decoxerit, vel fortunæ, maris, aut vētorum iniuria facultatibus lapſus fuerit, quod certè prius inquiri cum per ſe iuris manifeſti ſit, etiam ſpecialibus diuorum Regum Anteceſſorum reſcriptis declaratur.

XXII.

Quod

Quod Ciues, quorum controuerſiæ per legitimas appellationes ad vltimæ quam vocant Inſtantiæ cognitionē deuolutæ ſunt, varijs donatiuis, ac impenſis vehementer exhauriantur, nec quiſquam fermè tam iuſtam defendit cauſſam, quam nihilominus pecunia ſtabilire cogatur.

XXIII.

Quod actiones criminales, contra vetuſtiſſimas ciuilium iudiciorum libertates, & inueteratam conſuetudinem ad Regium tribunal reuocentur.

XXIIII.

Quod cum rei criminum ad ſubterfugiendā pœnam friuolas interponunt appellationes, ad malitiam fouendā præſidijs publicarum literarum, mandatorum, exemptionum, & inhibitionum adiuuentur.

XXV.

Quod recenſita grauamina, Citationum, mandatorū, Saluorum conductuum, exemptionum, inhibitionum, nunc etiam initio noui regiminis, licet nōdum Regiæ Maieſtati iuramentum ab Ordinibus præſtitum ſit, nihilominus tamē ingeri cœperunt. Ex quo parum ſpei nobis eſſe, cum in iurium ac libertatum conſeruatione, tum in eiuſmodi grauaminum abolitione, facile quis poſſit ſuſpicari:

XXVI.

Cuius rei illud etiā argumentum eſt, quod Laniones profugi & proſcripti, pro tuendis turbulentis & ſeditioſis ſuis conatibus palàm recipiuntur, ſuſtinentur, ac defenduntur.

XXVII.

Quod contra priuilegij præſcriptum, quo Burggrabio & Senatui cura bonorum caducorum & naufragorũ demandata fuit, nihilominus ſuperioribus annis Fiſcalis ſe ingeſsit, qui prætextu caducorũ etiam Eccleſiaſticis bonis manum admouere conatus eſt, Idq́ moleſtius eò ferunt Ordines, quod cum idem Fiſcalis nec Ciuis ſit, nec onera ciuilia præſtet, ciuilibus tamen cõmercijs vtatur, fruatur.

XXVIII.

Maximo damno pulicum ærarium afficitur, eo, quod centena millia thalerorum, quæ Sereniſsimo Regi p̃defuncto, in vſum Magni Ducatus Lituaniæ, mutuo data ſuut, hactenus non reſtituantur: neque monaſteria, quæ hypothecæ ſunt, obligationi pigneratitiæ ſatiſfaciant, quinimo eorum adminiſtratores, præter ius pignorum, bona monaſtica paulatim imminuere dicuntur, & plerunq́ alijs in rebus Ordinum cõmodis parum ſtudere videntur.

XXIX.

Quod item reditus ſemeſtres, ex arenda Telonei Caunenſis, per aliquot iam annos, quibus multorum millium ſumma nunc excreuit, hucuſque non inferantur, cum ingenti Ciuitatis detrimento, quæ interim mutuatæ ſortis nomine non exiguas vſuras quotannis præſtare tenetur.

XXX.

Nihil fermè magis hactenus omnium Ciuium animos exacerbauit, quàm quod in ſuburbio à Scotis denominato, ciuilia cõmercia, & omnis generis opificum artificia hactenus tractata, vſurpata & exercita, contra Terrarum

rarum libertates publicas, & expreſſum huius Ciuitatis priuilegium, in damnum multorum mercatorum, Ciuium, & plerorumq́ contuberniorum perniciem. Quod vt aboleretur aliquando, ſæpius à Reuerendiſſimo Dño Epiſcopo Vladiſlauienſi precibus efflagitatum eſt. Quibus neglectis nunc demum, quamuis abſque Ordinum ſcitu, plebe propter publicas etiam poſſeſſiones deuaſtatas & exuſtas, concitata, ignis iniectus eſt. Eodem præiudicij genere multi etiam in vicinis pagis, vicis, agris, & alibi, Ciuium rei familiari vehementer obeſſe dicuntur.

XXXI.

His accedit, quod in monaſterijs, parochijs, domo Carthuſianorum, & alibi, opifices qui artes manuarias exercent, nec ex contuberniorum corpore ſunt, immunes à ciuilibus functionibus, cum ſummo contuberniorum præiudicio, tolerantur, fouentur, ac recipiuntur.

XXXII.

Quod Officialis, Ciues vtriuſque ſexus, in cauſis matrimonialibus extra Ciuitatem in alienum forum euocet, quod nec iure nec legibus Ciuitatis illi competere certum eſt.

XXXIII.

Quod in villa Epiſcopali Stolßemberg/ *pleriſq́ facinoroſis, furibus, latronibus, decoctoribus, homicidis voluntarijs, modo habent quod dent, contra præſcriptum diuini pariter et humani iuris cum ſumma ciuilis iuriſdictionis iniuria, receptus, p̃ſidium, & ſecuritas præſtetur.*

 Idem

XXXIIII.

Idem fermè in Oliuenſi monaſterio moris eſſe cœpit, vt ibidem decoctores, ſeditioſi, proſcripti, & quibuſcunq; ſaltem inſtitutum eſt Magiſtratũ Ciuitatis calumniandi & traducendi, recipiantur, & eò tanquam ad impunitatis aſylum confugiant. Conqueruntur etiam Ciues, Abbatem eius monaſterij, tam cum Hoſpitalibus, quàm priuatis etiam perſonis, contra prædeceſſorum literas & monimenta, iniquè admodum agere.

XXXV.

Exemplo pernicioſum eſt, & libertati publicæ maximè contrarium, quod in fluuio Iſtulæ libera nauigatio ſurſũ deq; terrigenis inhibetur, rapinæ exercentur, homines non vulnerantur modò, ſed etiam trucidantur, & ea qui cõmittunt, Regijs etiam diplomatibus ſe tueri nõ erubeſcunt.

XXXVI.

Graue eſt illud etiam, quod Ciuitati & eius ſubditis, in piſcatione fluminum, aquarum, & lacus Haab/ *ab ijs qui vicina prædia poſſident, variæ iniuriæ, & impedimenta inferantur, quorum omnium cauſæ ad ius arcis Mariemburgenſis perperam detorquentur.*

XXXVII.

Item quod Ciues noſtri, in Regno Poloniæ, propter aliena debita contra pacis perpetuæ pacta, detinentur, areſtantur, eorum pignora capiuntur, iiſdem nouæ vectigalium exactiones obtruduntur. Sic non ita pridem colore

colore telonei non ſoluti, merces Lindenſium vi captæ, alijs alibi conductitiæ cameræ occluſæ, merces pignoratæ, aliæque eius generis iniuriæ paſsim illatæ.

XXXVIII.

Item quod Erneſtus VVeier & alij nouo hoſtilitatis genere ante triennium, vias publicas obſidere cœperunt, ne quid cõmeatus vel aliarum rerum in Ciuitatem poſſet importari.

XXXIX.

Præterea non Ciuitas ſolum, ſed priuatim etiam ex Ciuibus nonnulli graui & irrecuperabili damno afficiuntur, qui pro Sereniſsimo Rege defuncto vel pecunias ſuas expenderunt, vel fidem ſuam interpoſuerunt. Nam dum hoc obſequij genus ſingulari gratificandi ſtudio Maieſtati eius præſtiterunt, ipſi viciſsim non varijs ſolum moleſtijs debitorum illorum nomine diuexantur, ſed etiam neq; de ſolutione ſortis, compenſatione damnorũ, & fidei ſuæ liberatione certi quidpiam conſtitutum vident. Qua in re ne officium illis ſuum damnoſum ſit, ſed indemnitas potius rectè præſtetur, ipſa æquitatis ratio demonſtrat.

XL.

Tandem Ciuitatis ærario perdifficile eſt, quotannis, etiam abſente Regia Maieſtate, ſtationem trium dierum pendere, cum id antiquitus in alijs Ciuitatibus tum demũ cum præſens eſt Regia M^tas^ fieri cõſueuerit. Quamobrẽ petunt Ordines etiam hui⁹ Ciuitatis hac in parte ſumptus ad exemplum cæterarum Ciuitatum benignè moderari.

His

HIs vti iuſsi fuerant expoſitis, Internũcij durius etiam ac antea cœperunt haberi, cuſtodijs & pſidijs accuratius appoſitis, ipſis ſeorſim clauſis, ſeorſim etiam comitibus & miniſterijs ipſorum deſtinatis, omni prorſus aditu præcluſo, ne cum quoquam hominum ſermones ſererent, neue pedem vltra limen proferrent. Ac in vniuerſum Internuncij tum eo ſunt hoſpitij genere ſuſcepti, quo tam aduerſus publicæ fidei literas, quàm certiſsimæ ſecuritatis promiſsionem inſuper adiectam, haud immeritò ſe violatos naturali gentium iure conquererentur. Non deerat his iniurijs eiuſmodi prætextus, nos ad propoſitas conditiones parum idoneè reſpondiſſe, grauaminum capita non eò ptinere, quaſi Regiæ Maieſtati morem gerere, ſed quaſi conditiones arbitrio noſtro ferre vellemus. Intercedebant Conſiliarij Terrarum, & Internuncios hortabantur, vt propius nonnihil ad Conditionum earum partes accederent. Illi, cum in cauſa verti res omnino pecuniarias animaduerterent, tranſigendæ controuerſiæ deſiderio, quatenus id Ordines ratum habituros exiſtimarent, pecuniæ ſummam pro modo publicarum facultatum luculentam proponunt. Verum hoc obſequij ſtudio, nihil aliud effectum, quàm vt magis ac magis temeritatis, obſtinationis, ac impietatis flagitia, præter meritum nobis ingererentur, in actionibus obiter plerunque ſuſceptis nihil certi, nihil expediti, nedùm æqui, proponeretur, interdum immenſæ pecuniarum ſummæ conditionib. adijcerentur,

ſterentur, interim de certitudine iurium, priuilegiorum, ac libertatum, de grauaminum & onerum abolitione, deq; poſtulationum illarum, quæ vires & facultates publicas & priuatas excedebant, moderatione nihil oſtenderetur. Internuncij verò, præter quod habebant mandatum, adeò coarctari cæperunt, vt niſi planè poſtulatis conſentirent, neglectis rationibus, iuribus, & priuilegijs noſtris, negocij pertractandi ſpes omnis abrumperetur, & extremæ calamitatis cõminationes adhiberẽtur. Neq; tamen certi quidquam proponebatur, quod ad nos referendum fuiſſet, donec Magnificus Domin⁹ Palatinus Breſteñ, quæ Sereniſſ: Regiæ Maieſtatis ſententia finalis eſſet, per Secretarium eis denunciaret. Erat idipſum nonnihil intricatum, ſed vt expeditius fieret, Internuncij ſcripto delineant, quo ſenſu rem intellexiſſent, & Domino Palatino exhibent, verbis hunc in modum conceptis:

Sereniſsimæ Regiæ Maieſtatis Domini noſtri clementiſsimi eam eſſe ſentẽtiam Internuncij Ciuitatis Gedaneñ arbitrati ſunt.

V*T Sacræ Regiæ Maieſtati Ordines Ciuitatis Gedaneñ hoc præſenti anno Septuageſimo ſeptimo ducenta, Futurò centum florenorum millia perſoluant, Atq; vt eo facto omnes difficultates, quæ hactenus Ciuitati incubuerunt, vtpote actiones Commiſſoriales, & quæ ijs*

quomodocunque cohærent, Contributio, Executio, Placatio, & quæ nunc quoque placationis nomine præſtanda ſunt, cum omnibus & ſingulis incommodis, nullis penitus exceptis, tollantur & in perpetuum abrogentur, eorumq́ memoria neque publicè neque priuatim vllis vnquam futuris temporibus renouetur.

Simili ratione Ciuitas penes bona ſua terreſtria, Priuilegia, iura, libertates, & omnes antiquas benè receptas conſuetudines, atque omnem felicitatem perpetuò conſeruabitur.

Magnificus autem Dominus Palatinus ſequentem Declarationem redhibuit die xiij. Decembris anni 1576.

P*Ortorium præteriti temporis Maieſtas Regia Ciuitati remittere, neque aliquid eo nomine exigere conſtituit, Futuri vero tēporis pars dimidia Mtī Regiæ præſtabitur, eo modo quo nunc exigitur, ſine aliqua auctione.*

Si prætèrea quidquam adhuc negotiorum Cōmiſſorialium erit, quod Ciuitatem premat, id in futuris Comitijs terminabitur. Cum publico Comitiorum Decreto ea negotia confirmata ſint, neceſſe eſt vt ibi etiam ad debitum finem perducantur.

Ad tormenta bellica & mille milites quod attinet, non dubitat Maieſtas Regia, quin ea in re eius Maieſtatis gratiam Ciuitas quoque aucupatura ſit.

Dominium maris eò intellectum vult Maieſtas Regia, vt Ciuitas abſque ipſius Maieſtatis conſenſu contractus vel pacta cum nullo Principum vel Ciuitatum ineat. Propugnaculum vero portus, & ſi quid præterea in ciuitatis eſt poteſtate, id omne Maieſtas Regia Ciuitati permittere cupit.

Securitatis literas Maieſtas Regia inuiolatas ſeruare vult, nec eſt quod Dñi Internuncij eo nomine vel minimum extimeſcere poſſint.

Præter hæc cætera omnia in ſuo relinquentur eſſe. In publicæ fidei literis propoſitas conditiones Maieſtas Regia ſeruari quoque vult, Iuramentum præſtent, Ad quam rem Maieſtas Regia quoſdam delegabit, qui iuramentum exigent; Militem dimittant, veniam deprecentur, Atque hæc Maieſtatis Regiæ perpetua & conſtans eſt voluntas:

EX his cum intelligeremus, non ſolum priores conditiones in ſuo ſtatu retineri, ſed grauiores etiam adjci, denuò reſcripſimus Internuncijs, quàm iniquæ, quàm impoſsibiles illæ nobis viderentur. Cæterum ne totum illud, quod vnum fermè præ cæteris peti videbatur, planè negligeremus, eius etiam pecuniæ, quam illi iam antea propoſuerant, conditionem acceptauimus, quod ex Inſtructione ſequenti liquebit.

ſumma Ciuitatis infamia, publicæ fidei noxa, & fortunarum detrimento ſuperioribus annis agitata fuit.

Qua Ciuitas non ſolum, concitatis tribubus ac contubernijs, extremum penè diſcrimen, ex magiſtratu nonnulli citra culpam, exiſtimationis, honoris, fortunarum, ac vitæ periculum adierunt, verumetiam publicæ libertates, iura, priuilegia, prouentus, bona terreſtria, adeò impugnata, imminuta, & labefactata fuerunt, vt hoc modo nihil penè, quod ad vniuerſæ Ciuitatis perniciem agi potuiſſet, prætermiſſum Ordinibus videatur. Quod ex ipſius Commiſſionis actis & geſtis ſigillatim apertius poteſt demonſtrari.

VI.

In primis illud moleſtiſsimè ferunt Ordines, in placationis eius formula, quæ penè inuitis exorta fuit, ita ſe circumuentos, vt cum grauaminum aliquorum abolitionem Domini Commiſſarij repromitterēt, hinc quidem Ordinum pollicitationem ſcripto fuiſſe conſignatam, illinc autem grauamina non ſolum, vti conuenerat, non abolita, ſed interim etiam non vnis oneribus accumulata conquerantur.

VII.

Huic conſequens eſt æquè graue præiudicium, quod cum ſemiſſem maritimi portorij, cuius duplicādi per Diuum Sigiſmundum Auguſtum facultas petebatur, Ordines ipſi Mtī Regiæ vel ad certum tempus, vel diutiſsimè, quoad ipſa in viuis foret, deſtinaſſent, Cōmiſſarij nihilominus

minus hoc obſequium à perſona ipſius Maieſtatis, ad vniuerſum regnum, atque adeò perpetuum & ad poſteros infame onus aduerſus contrahentium mentem & intentionem detorquere voluerint. Quod quam graue & intolerabile Ciuitati futurum eſſet, pientiſsimo Regi ſanctæ & auguſtæ memoriæ non ſemel demonſtratum eſt, ea præſertim ratione, ſi portorium huius Ciuitatis in exterorum merces adaugeretur, nihil fore certius, quàm eodem exemplo noſtrates in tranſmarinis emporijs, contra morem antiquum, nouis vectigalibus, oneribus, & exactionibus æquè diuexatum iri. Illud autem ex vtraq; parte neceſſariò conſequeretur, vt propter aggrauationem portorij cōmercia, quæ quantum poſſunt libera volunt eſſe, penitus à ciuibus noſtris aliò tranſferrentur, quod nō modo cum Ciuium, ſed etiam Regnicolarum certiſsimo damno coniunctum fore, multis rationibus defendi poteſt.

Et ipſe Sereniſsimus Rex, cuius memoriam ſanctam habemus, eum in his actionib. animum tandem oſtendit, vt hiſce modis Ciuitatē, vel tanto ad poſteros præiudicio, vel apud exteros detrimēto cōmerciorum, onerari minimè velle videretur. Quibus ex cauſsis illud expeditiſsimū eſt, non poſſe Ciuitatem hanc vel fama vel exiſtimatione integra, vel iuribus, priuilegijs, libertatibus ac fortunis ſartis tectis, vti frui, niſi totum illud Cōmiſsionis negocium, & quæ quouis inde modo ſecuta ſunt grauamina, tollantur, aboleantur, caſſa & irrita perpetuum eſſe iubeantur.

Ac ideò formulam piacationis ſubſignatam, cum nec exitum ipſa ſortita, nec annexis conditionibus ſatisfactum fuerit, Ordines æquiſſimè putant ſibi reſtitui oportere.

VIII.

Iiſdem conditionibus diſertè comprehenſum erat, vt Speculatores maris abrogarentur, qui nihilominus tamen etiam poſtea nullo vel hoſtium vel amicorum habito diſcrimine, rapinas exercere, & in hunc portum ſe recipere non deſinebant; Quare Sereniſſimus Daniæ Rex commotus, quod maris Baltici ſecuritas eo modo maximè perturbari diceretur, non tantum Speculatores illos vbicunque deprehenſos ad ſupplicium retraxit, verum etiam Ciuitatis naues complures in tertium annum vſque detinuit, nauibus interea computreſcentibus, mercibus autem compluribus corruptis vel amotis, tandē cum nullum aliud eſſet præ manu remedium, coacta fuit Ciuitas ad liberandas naues, & redimendam nauigationis libertatem centum millibus thalerorū depaciſci, præter cæteros ſumptus crebris & continuis legationibus ac tractationibus impenſos. Regia quidem Maieſtas quamuis rem eam ad ſolicitudinem ſuam benigniſſimè reuocauerit, cum Sereniſſimo Rege Daniæ multa per literas & Internuncios egerit, demum etiam quod hoc ſua magis, quàm Ciuitatis intereſſe cenſeret, ad Compromiſſi arbitrium deſcenderit, conſequenter poſt eius ex hominibus deceſſum Reuerendiſſimi & illuſtres dñi Conſiliarij in ipſo Interregni tem-

pore

pore ſuas etiam partes interpoſuerint, nihil tamen obtineri potuit, quin Ciuitas per ſe tanta pecuniæ ſumma naues, merces, liberamq́ nauigandi poteſtatem redimere ſit coacta. Nec Ordines ab æquitate cenſent alienum eſſe, ſummam illam pecuniariam & alia damna ſibi refundi, ac in poſterum rectè caueri, ne iuri ſuo quod in rem habet maritimam, per quaſuis eius generis impreſſiones tam inſigne fiat præiudicium.

IX.

In eodem Cōmiſſoriali tractatu, Conſtitutiones quædam, huius Ciuitatis iuribus, priuilegijs, libertatibus, & conſuetudinib. vt plurimum aduerſantes, obtrudi cœptæ fuerunt. Quas vti ſemper hactenus bonis rationibus, quæ ſuo loco publicè per Confutationis modum ꝓpoſitæ ſunt, Ordines reiecerunt, ita ne nunc quidem ſine ſummo præiudicio præclariſſimi priuilegij ſui, de legibus & contributionibus ciuilibus ferendis, imponendis, & abrogandis, acceptare poſſunt.

X.

Vehementer iniquum eſt, cum vniuerſæ ciuitatis tum Magiſtratus, & Ordinum famam honorem & exiſtimationem, famoſis libellis clam & palàm proſcindi, ac eiuſmodi diffamatores in Ciuitatis inuidiam publicè etiam ali, foueri, & ſuſtentari.

XI.

Non immeritò conqueruntur etiam Ordines, quod contra Terrarum Pruſſiæ Priuilegium & libertates antiquiſſi-

antiquiſſimas, Ciuitatis magiſtratus ad Comitia Regni ſemper euocentur, & eadem occaſione Ciuitas ad res Polonicas, longè à rationibus ſuis alienas, ad ſtatuta & onera Regni, contra publica Terrarum iura, pertrahatur.

XII.

Qua quidem ratione Contributio Lublinenſis, quam nunquam Ordines laudarunt, nec laudare tenentur, à Ciuitate poſtulari cœpit: cum illud iuris & conſuetudinis perpetuæ fuerit, vt de eiuſmodi Contributionibus, ſi ita opus eſſet, Conſiliarij & Status Terrarum inter ſe conſultarent & conſtituerent.

XIII.

Eodem pacto bona Ciuitatis publica ad Executionem Aexandrini ſtatuti trahi cœperunt, quinimo nonnulli Dominorum Commiſſariorum eadem bona ſibi potius dari quam Ordinibus conſeruari voluerunt. Itaque non minus iuſtum quàm æquum videtur, vt ea, quæ tanto cum Reipublicæ præiudicio ſunt acta, penitus reſcindantur, nec enim bona ſua Ciuitas à Regno lucri fecit, ſed vnà ſecum ad Regnum attulit, à quo nunc iiſdem priuari, ab omni æquitate longè fuerit alieniſſimum.

XIIII.

Queruntur etiam Ordines, quod non magiſtratus ſolum, ſed etiam priuati Ciues, nouis & inuſitatis edictis, in cauſis iniuriarum & rerum criminalium, ad tribunal Regium euocentur.

XV.

Quod

Quod complura mandata pænalia, iuri noſtro non conſentanea, ad vnius partis informationem, nonnunq̃ etiam contraria Decreta, ex Cancellaria Regia prodeant, quibus & magiſtratus vehementer prægrauatur, partes ipſæ quo minus ius ſuum cõſequi poſſint impediuntur, & iudiciorum proceſſus in infinitum fermè producitur.

XVI.

Quod Ordinum decreta, leges, ac plebiſcita, in quibus condendis & abrogandis, ex præſcripto priuilegij Caſimiriani pleniſſimã habent poteſtatem, mandatis & reſcriptis Regijs cum ſummo dicti priuilegij præiudicio ſoleant impugnari.

XVII.

Quod literæ Salui conductus paſſim ſine diſcrimine perſonarum vel cauſarum concedantur, ijs præſertim, quod ſæpe fit, qui literarum eiuſmodi beneficio iure cenſentur indigni.

XVIII.

Quod non extraneis modò, ſed plurimis etiam Ciuibus, literæ Exemptionum à ciuili iuriſdictione paſſim cõcedantur, quæ res ſummam inter Ciues, qui in bene conſtituta Republica cõditionis eiuſdem eſſe debent, inæqualitatem parit, ciuilem obedientiam & debitum diſſoluit, ac magiſtratus auctoritatem maximè labefactat: præſertim quod vt plurimum exemptæ perſonæ, dum plus ſibi quàm alijs licere putant, multa contra leges ac mores Ciuitatis committere ſolent, cum ſummo magiſtratus contem-

ptu, cæterorumq́ Ciuium damno & præiudicio.

XIX.

Quod contubernia & collegia, vtpote Lanionum, Braſeatorũ, & alia, ſpecialibus indultis, immunitatibus, beneficijs, ac conſtitutionibus, quæ cum publicis Ciuitatis, libertatibus, cõſtitutionibus ac plebiſcitis pugnant, donentur ac muniantur. Quo fit vt integra contubernia non ſolum leges publicas cum omni magiſtratus imperio proculcent & euacuẽt, ſed etiam in cõmercijs rerum venalium, quæ vſui domeſtico ſunt, & quarum moderationem non admittunt, ſuo arbitratu, præter æquum & bonum conciues ſuos onerent ac emungant.

XX.

Cuius generis etiam illud eſt, quod Dñi Cõmiſſarij, Contractũ ſolennẽ, cõſtituẽdæ cõcordiæ cauſſa, cum braſſeatoribus initum, leuiſsimorũ hominum impulſu, nullo iuris ordine reſciderunt, quo pacto diſcordiæ renatæ, aliæq́ difficultates ortæ, multi vero ad conculcandas leges, & diſſoluendã tranquillitatem publicam facti ſunt audaciores.

XXI.

Quod itidem literæ Moratoriæ paſsim edantur, nulla perſonarnm contẽplatione, quis in fraudem Creditorũ eos petat, quis vel ſua culpa rem decoxerit, vel fortunæ, maris, aut vẽtorum iniuria facultatibus lapſus fuerit, quod certè prius inquiri cum per ſe iuris manifeſti ſit, etiam ſpecialibus diuorum Regum Anteceſſorum reſcriptis declaratur.

XXII.

Quod

Quod Ciues, quorum controuerſiæ per legitimas appellationes ad vltimæ quam vocant Inſtantiæ cognitionē deuolutæ ſunt, varijs donatiuis, ac impenſis vehementer exhauriantur, nec quiſquam fermè tam iuſtam defendit cauſſam, quam nihilominus pecunia ſtabilire cogatur.

XXIII.

Quod actiones criminales, contra vetuſtiſſimas ciuilium iudiciorum libertates, & inueteratam conſuetudinem ad Regium tribunal reuocentur.

XXIIII.

Quod cum rei criminum ad ſubterfugiendā pœnam friuolas interponunt appellationes, ad malitiam fouendā præſidijs publicarum literarum, mandatorum, exemptionum, & inhibitionum adiuuentur.

XXV.

Quod recenſita grauamina, Citationum, mandatorū, Saluorum conductuum, exemptionum, inhibitionum, nunc etiam initio noui regiminis, licet nōdum Regiæ Maieſtati iuramentum ab Ordinibus præſtitum ſit, nihilominus tamē ingeri cœperunt. Ex quo parum ſpei nobis eſſe, cum in iurium ac libertatum conſeruatione, tum in eiuſmodi grauaminum abolitione, facile quis poſſit ſuſpicari:

XXVI.

Cuius rei illud etiā argumentum eſt, quod Laniones profugi & proſcripti, pro tuendis turbulentis & ſeditioſis ſuis conatibus palàm recipiuntur, ſuſtinentur, ac defenduntur.

XXVII.

Quod contra priuilegij præſcriptum, quo Burggrabio & Senatui cura bonorum caducorum & naufragorũ demandata fuit, nihilominus ſuperioribus annis Fiſcalis ſe ingeſſit, qui prætextu caducorũ etiam Eccleſiaſticis bonis manum admouere conatus eſt, Idq́ moleſtius eò ferunt Ordines, quod cum idem Fiſcalis nec Ciuis ſit, nec onera ciuilia præſtet, ciuilibus tamen cõmercijs vtatur, fruatur.

XXVIII.

Maximo damno pulicum ærarium afficitur, eo, quod centena millia thalerorum, quæ Sereniſſimo Regi p̃defuncto, in vſum Magni Ducatus Lituaniæ, mutuo data ſuut, hactenus non reſtituantur: neque monaſteria, quæ hypothecæ ſunt, obligationi pigneratitiæ ſatiſfaciant, quinimo eorum adminiſtratores, præter ius pignorum, bona monaſtica paulatim imminuere dicuntur, & pleruną alijs in rebus Ordinum cõmodis parum ſtudere videntur.

XXIX.

Quod item reditus ſemeſtres, ex arenda Telonei Caunenſis, per aliquot iam annos, quibus multorum millium ſumma nunc excreuit, hucuſque non inferantur, cum ingenti Ciuitatis detrimento, quæ interim mutuatæ ſortis nomine non exiguas vſuras quotannis præſtare tenetur.

XXX.

Nihil fermè magis hactenus omnium Ciuium animos exacerbauit, quàm quod in ſuburbio à Scotis denominato, ciuilia cõmercia, & omnis generis opificum artificia hactenus tractata, vſurpata & exercita, contra Terrarum

rarum libertates publicas, & expreſſum huius Ciuitatis priuilegium, in damnum multorum mercatorum, Ciuium, & plerorumq́ contuberniorum perniciem. Quod vt aboleretur aliquando, ſæpius à Reuerendiſſimo Dño Epiſcopo Vladiſlauienſi precibus efflagitatum eſt. Quibus neglectis nunc demum, quamuis abſque Ordinum ſcitu, plebe propter publicas etiam poſſeſſiones deuaſtatas & exuſtas, concitata, ignis iniectus eſt. Eodem præiudicij genere multi etiam in vicinis pagis, vicis, agris, & alibi, Ciuium rei familiari vehementer obeſſe dicuntur.

XXXI.

His accedit, quod in monaſterijs, parochijs, domo Carthuſianorum, & alibi, opifices qui artes manuarias exercent, nec ex contuberniorum corpore ſunt, immunes à ciuilibus functionibus, cum ſummo contuberniorum præiudicio, tolerantur, fouentur, ac recipiuntur.

XXXII.

Quod Officialis, Ciues vtriuſque ſexus, in cauſis matrimonialibus extra Ciuitatem in alienum forum euocet, quod nec iure nec legibus Ciuitatis illi competere certum eſt.

XXXIII.

Quod in villa Epiſcopali Stoltzemberg/ *pleriſq́ facinoroſis, furibus, latronibus, decoctoribus, homicidis voluntarijs, modo habent quod dent, contra præſcriptum diuini pariter et humani iuris cum ſumma ciuilis iuriſdictionis iniuria, receptus, p̃ſidium, & ſecuritas præſtetur.*

 Idem

XXXIIII.

Idem fermè in Oliuenſi monaſterio moris eſſe cæpit, vt ibidem decoctores, ſeditioſi, proſcripti, & quibuſcunq; ſaltem inſtitutum eſt Magiſtratũ Ciuitatis calumniandi & traducendi, recipiantur, & eò tanquam ad impunitatis aſylum confugiant. Conqueruntur etiam Ciues, Abbatem eius monaſterij, tam cum Hoſpitalibus, quàm priuatis etiam perſonis, contra prædeceſſorum literas & monimenta, iniquè admodum agere.

XXXV.

Exemplo pernicioſum eſt, & libertati publicæ maximè contrarium, quod in fluuio Iſtulæ libera nauigatio ſuſq; deq; terrigenis inhibetur, rapinæ exercentur, homines non vulnerantur modò, ſed etiam trucidantur, & ea qui cõmittunt, Regijs etiam diplomatibus ſe tueri nõ erubeſcunt.

XXXVI.

Graue eſt illud etiam, quod Ciuitati & eius ſubditis, in piſcatione fluminum, aquarum, & lacus Haab/ *ab ijs qui vicina prædia poßident, variæ iniuriæ, & impedimenta inferantur, quorum omnium cauſæ ad ius arcis Mariemburgenſis perperam detorquentur.*

XXXVII.

Item quod Ciues noſtri, in Regno Poloniæ, propter aliena debita contra pacis perpetuæ pacta, detinentur, areſtantur, eorum pignora capiuntur, ijſdem nouæ vectigalium exactiones obtruduntur. Sic non ita pridem

colore

colore telonei non ſoluti, merces Lindenſium vi captæ, alijs alibi conductitiæ cameræ occluſæ, merces pignoratæ, aliæque eius generis iniuriæ paßim illatæ.

XXXVIII.

Item quod Erneſtus VVeier & alij nouo hoſtilitatis genere ante triennium, vias publicas obſidere cœperunt, ne quid cõmeatus vel aliarum rerum in Ciuitatem poſſet importari.

XXXIX.

Prætcrea non Ciuitas ſolum, ſed priuatim etiam ex Ciuibus nonnulli graui & irrecuperabili damno afficiuntur, qui pro Sereniſsimo Rege defuncto vel pecunias ſuas expenderunt, vel fidem ſuam interpoſuerunt. Nam dum hoc obſequij genus ſingulari gratificandi ſtudio Maieſtati eius præſtiterunt, ipſi vicißim non varijs ſolum moleſtijs debitorum illorum nomine diuexantur, ſed etiam neq; de ſolutione ſortis, compenſatione damnorũ, & fidei ſuæ liberatione certi quidpiam conſtitutum vident. Qua in re ne officium illis ſuum damnoſum ſit, ſed indemnitas potius rectè præſtetur, ipſa æquitatis ratio demonſtrat.

XL.

Tandem Ciuitatis ærario perdifficile eſt, quotannis, etiam abſente Regia Maieſtate, ſtationem trium dierum pendere, cum id antiquitus in alijs Ciuitatibus tum demũ cum præſens eſt Regia Mtãs fieri cõſueuerit. Quamobrẽ petunt Ordines etiam hui⁹ Ciuitatis hac in parte ſumptus ad exemplum cæterarum Ciuitatum benignè moderari.

His

His vti iuſſi fuerant expoſitis, Internũcij durius etiam ac antea cæperunt haberi, cuſtodijs & pſidijs accuratius appoſitis, ipſis ſeorſim clauſis, ſeorſim etiam comitibus & miniſterijs ipſorum deſtinatis, omni prorſus aditu præcluſo, ne cum quoquam hominum ſermones ſererent, neue pedem vltra limen proferrent. Ac in vniuerſum Internuncij tum eo ſunt hoſpitij genere ſuſcepti, quo tam aduerſus publicæ fidei literas, quàm certiſſimæ ſecuritatis promiſſionem inſuper adiectam, haud immeritò ſe violatos naturali gentium iure conquererentur. Non deerat his iniurijs eiuſmodi prætextus, nos ad propoſitas conditiones parum idoneè reſpondiſſe, grauaminum capita non eò ptinere, quaſi Regiæ Maieſtati morem gerere, ſed quaſi conditiones arbitrio noſtro ferre vellemus. Intercedebant Conſiliarij Terrarum, & Internuncios hortabantur, vt propius nonnihil ad Conditionum earum partes accederent. Illi, cum in cauſa verti res omnino pecuniarias animaduerterent, tranſigendæ controuerſiæ deſiderio, quatenus id Ordines ratum habituros exiſtimarent, pecuniæ ſummam pro modo publicarum facultatum luculentam proponunt. Verum hoc obſequij ſtudio, nihil aliud effectum, quàm vt magis ac magis temeritatis, obſtinationis, ac impietatis flagitia, præter meritum nobis ingererentur, in actionibus obiter plerunque ſuſceptis nihil certi, nihil expediti, nedum æqui, proponeretur, interdum immenſæ pecuniarum ſummæ conditionib. adijcerentur,

ſterentur, interim de certitudine iurium, priuilegiorum, ac libertatum, de grauaminum & onerum abolitione, deq́ poſtulationum illarum, quæ vires & facultates publicas & priuatas excedebant, moderatione nihil oſtenderetur. Internuncij verò, præter quod habebant mandatum, adeò coarctari cœperunt, vt niſi planè poſtulatis conſentirent, neglectis rationibus, iuribus, & priuilegijs noſtris, negocij pertractandi ſpes omnis abrumperetur, & extremæ calamitatis cōminationes adhiberētur. Neq́ tamen certi quidquam proponebatur, quod ad nos referendum fuiſſet, donec Magnificus Domin⁹ Palatinus Breſteñ, quæ Sereniſſ: Regiæ Maieſtatis ſententia finalis eſſet, per Secretarium eis denunciaret. Erat idipſum nonnihil intricatum, ſed vt expeditius fieret, Internuncij ſcripto delineant, quo ſenſu rem intellexiſſent, & Domino Palatino exhibent, verbis hunc in modum conceptis:

Sereniſsimæ Regiæ Maieſtatis Domini noſtri clementiſsimi eam eſſe ſentētiam Internuncij Ciuitatis Gedaneñ arbitrati ſunt.

VT Sacræ Regiæ Maieſtati Ordines Ciuitatis Gedaneñ hoc præſenti anno Septuageſimo ſeptimo ducenta, Futuro centum florenorum millia perſoluant, Atq́ vt eo facto omnes difficultates, quæ hactenus Ciuitati incubuerunt, vtpote actiones Commiſſoriales, & quæ ijs

quomodocunque cohærent, Contributio, Executio, Placatio, & quæ nunc quoque placationis nomine præſtanda ſunt, cum omnibus & ſingulis incommodis, nullis penitus exceptis, tollantur & in perpetuum abrogentur, eorumq́ memoria neque publicè neque priuatim vllis vnquam futuris temporibus renouetur.

Simili ratione Ciuitas penes bona ſua terreſtria, Priuilegia, iura, libertates, & omnes antiquas benè receptas conſuetudines, atque omnem felicitatem perpetuò conſeruabitur.

Magnificus autem Dominus Palatinus ſequentem Declarationem redhibuit die xiij. Decembris anni 1576.

Portorium præteriti temporis Maieſtas Regia Ciuitati remittere, neque aliquid eo nomine exigere conſtituit, Futuri vero tẽporis pars dimidia Mti Regiæ præſtabitur, eo modo quo nunc exigitur, ſine aliqua auctione.

Si præterea quidquam adhuc negotiorum Cõmiſſorialium erit, quod Ciuitatem premat, id in futuris Comitijs terminabitur. Cum publico Comitiorum Decreto ea negotia confirmata ſint, neceſſe eſt vt ibi etiam ad debitum finem perducantur.

Ad tormenta bellica & mille milites quod attinet, non dubitat Maieſtas Regia, quin ea in re eius Maieſtatis gratiam Ciuitas quoque aucupatura ſit.

 Dominium

Dominium maris eò intellectum vult Maieſtas Regia, vt Ciuitas abſque ipſius Maieſtatis conſenſu contractus vel pacta cum nullo Principum vel Ciuitatum ineat. Propugnaculum vero portus, & ſi quid prӕterea in ciuitatis eſt poteſtate, id omne Maieſtas Regia Ciuitati permittere cupit.

Securitatis literas Maieſtas Regia inuiolatas ſeruare vult, nec eſt quod Dñi Internuncij eo nomine vel minimum extimeſcere poſſint.

Prӕter hӕc cӕtera omnia in ſuo relinquentur eſſe. In publicӕ fidei literis propoſitas conditiones Maieſtas Regia ſeruari quoque vult, Iuramentum prӕſtent, Ad quam rem Maieſtas Regia quoſdam delegabit, qui iuramentum exigent; Militem dimittant, veniam deprecentur, Atque hӕc Maieſtatis Regiӕ perpetua & conſtans eſt voluntas:

EX his cum intelligeremus, non ſolum priores conditiones in ſuo ſtatu retineri, ſed grauiores etiam adjci, denuò reſcripſimus Internuncijs, quàm iniquӕ, quàm impoſſibiles illӕ nobis viderentur. Cӕterum ne totum illud, quod vnum fermè prӕ cӕteris peti videbatur, planè negligeremus, eius etiam pecuniӕ, quam illi iam antea propoſuerant, conditionem acceptauimus, quod ex Inſtructione ſequenti liquebit.

INSTRVCTIO OMNIVM Ordinum Regiæ Ciuitatis Gedanenſis; miſſa eiuſdem Internuncijs Thorunij nunc exiſtentibus Spectabilibus, Egregijs & Famatis Dominis Conſtantino Ferbero Proconſuli, Georgio Roſenberg Conſuli, & Henrico Lembke I. V. Doctori & Syndico Gedaneñ, vt ſecundum eius præſcriptum Ordinum mandata proponant.

EX relatione Secretarij noſtri, qui nuper ab Internũcijs ad mandatum Sacræ Regiæ Maieſtatis ablegatus ad nos venit cognouimus, præterita mandata noſtra, quæ Internuncijs ad propoſitas à Maieſtate Regia conditiones per Syndicum noſtrum, vnà cum Capitulatione incõmodorum & difficultatum, quæ hoc tempore Ciuitatem non tantum premere, ſed opprimere fermè videbantur, miſeramus, Maieſtatem Regiam non parum offendiſſe, & omnia in eam partem accepta fuiſſe, quaſi ad minuendam Sacræ Regiæ Maieſtatis dignitatem atque auctoritatem compoſita eſſent, Indeq́ Internuncijs contra ſecuritatis literas, quas Thorunij denuò à Sacra Maieſtate, ſub eiuſdem Regia manu & Regni Sigillo obtinuerant, tam

ai ctam:

arctam fuiſſe datam cuſtodiam; vt rebus ſuis etiam minimis nullatenus ſupereſſe potuerint neque etiamnum poſſint, Quod vtrumque factum eſſe nos vehementer dolemus. Et vt poſterius priori loco dicamus: Nihil nobis potuit accidere acerbius, quam audire in hac priori ſuſcepta negotiorum tractatione Internuncijs ea quæ Sacræ Mtis Regiæ manu & Regni ſigillo roborata, & apud nos hactenus ſacroſancta habita fuerunt, ſeruata non eſſe, ſed ipſis nihilominus cuſtodiam hominibus honeſto loco natis indignam plane datam & impoſitam fuiſſe. Ita vt non videamus, quantum in poſterum literæ Maieſtatis Regiæ apud nos valituræ ſint, ſi hæ valere nihil debuerunt, vel quam nobis de omnibus hiſce ſuſceptis tractationibus ſpem facere poſſimus, dum ſemper in animis noſtris hæc relinquetur dubitatio atque hæſitatio, idem nobis quod nunc Internuncijs præter omnem expectationem noſtram euenit, euenire quoque poſſe.

Deinde neſcimus quo noſtro malo omnia quæ à nobis bono animo ac optima fide, ad conſeruandam Ciuitatis incolumitatem dicuntur vel ſcribuntur, plerunque in deteriorem partem accipiantur. Nam quod nuper ijs conditionibus, q̄ à Sac. Mtē Regia nobis ꝓpoſitæ fuerunt adſentiri nō potuimus, eò factū eſt, quod vires noſtras illis lōgè impares eſſe vidimus, Ad quas neceſſario ita tum reſpondendū fuit, vt Sac. R. Mti Ciuitatis rationes īnoteſcerēt,

 vtq;

vtq́ ijs plenius perſpectis, tantò facilius atque clementius à propoſitis illis conditionibus, quæ non tantum noſtras, ſed totius fermè Regni vires ſuperare videbantur decedere, atque aliam rationem benigniſſimè inire poſſet, qua Sacræ Maieſtati Regiæ à nobis tandem ſatiſfieret.

Simili ratione quoque incōmoda atque difficultates omnes, quibus hoc tempore Ciuitas maximè premitur, ab Internuncijs, quantum quidem ex ipſorum literis & Syndici noſtri relatu, cognoſcere potuimus, fermè extortas, non ea mente tranſmiſimus, vt Sacræ Regiæ Maieſtati earum abolēdarum modum præſcribere vellemus, ſed vt Maieſtas Regia, quemadmodum clementiſſimè voluiſſe cognoueramus, ijs perſpectis, rationem ſeu remedium potius aliquod adhibere dignaretur, quo Ciuitati ſuæ aliquando benigniſſimè, pro Regia ſua clementia cōſuleret.

Ita nunc quoque quamuis nobis nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis, per Magnificum Dominum Palatinum Breſteñ, quædam conditiones propoſitæ ſint, quas nos ea qua decuit reuerentia atque obſeruantia accepimus, tamen cum noſtras & Ciuitatis huius, noſtræ fidei cōmiſſæ, rationes atque tenuitatem expendimus & vero modulo metimur, facere nulla ratione & nunc etiam poſſumus, quin iterum Sacræ Regiæ Maieſtati per Internuncios, id quod res ipſa eſt, humillimo ſtudio demiſſiſſimisq́ verbis explicemus: maiorem in modum obſecrantes atque obteſtantes, ne id Sacra Regia Maieſtas aliorſum accipere clementiſſimè

dignetur,

dignetur, quam à nobis ſincero animo ac optima fide, pro ciuitatis incolumitate dicuntur atque exponuntur.

Ac quod in primis trecenta illa florenorum millia attinet, nullum modum neque rationem inuenire poſſumus, qua tanta vis pecuniæ colligatur, Ciuitatis ærario planè exhauſto, & priuatorum facultatibus per hoſce aliquot annos proximos valdè attritis atque attenuatis. Nam ſumptus publici cenſum fermè ſuperant, dum Ciuitas in vſurarum rationes quotannis tantam fermè vim pecuniæ profundere cogitur, quãtam ex omnibus prouentibus corradere poteſt, quæ ex illis ſummis pecuniarijs proueniunt, quas D. olim Sigiſmundo Auguſto Regi laudabilis memoriæ in vſum & commodum totius Regni ac Magni Ducatus Lithuaniæ, durantibus bellis Liuonicis, pro fidei atq; ſubiectionis noſtræ debito, Et Duci etiam Brunſwiceñ Erico pro totius Regni incolumitate, mutuo dedimus, Quarum hîc rationem omnem ad amuſſim explicare nimis longum foret, quod Internuncijs vt faciant cõmittimus. Priuatorum vero facultates per aliquot annos in bellis illis Gallicis, Belgicis, Suedicis & Danicis ex ſpeculatorum & prædonum rapinis, ac mercatorum ſubſecuta fluxa fide ita collapſæ ſunt, vt fidem ſuam non certiorare modo, ſed liberare vix amplius poſſint. Et ſenſimus iam antea, atque nunc etiam quotidie perſentimus, quæ difficultas in corradendis nummis ſuboriatur, dum eam adhuc perſoluimus Regi Daniæ pecuniam, qua prætet

ter noſtrum meritum, naues & merces noſtras in tertium fermè annum in Regno Daniæ detentas, ac liberam nauigationem, non tantum in noſtrum ſed totius etiam Regni Poloniæ cõmodum atque emolumentum redimere coacti fuimus, vt taceamus alios ſumptus quos difficillimis hiſce temporibus multifariam facere cogimur.

Ad quas difficultates ſi hæc quoque accedere deberet, non videmus, quomodo Ciuitatis rationes vel publicè vel priuatim conſiſtere poſſent. Quare rogabunt Sacram Maieſtatem Regiam, ne nos ad conditiones hoc rerum ſtatu impoſſibiles adigere, ſed pro Regia ſua clementia ita nobiſcum agere benigniſſimè dignetur, vt oneri ferendo ſimus, nec impar aliquod onus ſubire cogamur.

Pfalgeldi ſeu portorij exactio, iam ab ipſo Ciuitatis primordio penes Ciuitatem fuit, etiam Ordine Cruciferorum in hiſce Terris imperium gerente, atque ad reficiendum portum & Iſtulæ aggeres, ſine quibus portus ille diu conſiſtere non poteſt, Ciuitati ab initio conceſſa, & poſtea à Sereniſſimis Poloniæ Regibus ſingulari priuilegio confirmata fuit, Quod nimirum viderent, ſine illa portorij exactione Ciuitatis rationes ſatis latè patentes ſaluas eſſe nulla ratione poſſe. Accidit enim ſæpenumero vnius anni decurſu ædificia aquatica plus abſumere, quam ex illa portorij exactione in ærarium publicum infertur, Eaq; ſi non ſuo tempore reficiantur, periculum eſt ne ipſe portus & ita vniuerſæ totius Regni fortunæ peſſum eant. Penes

quod

quod priuilegium, quemadmodum & cætera omnia, Sacram Maieſtatem Regiam Ciuitatem ſuam clementiſsimè conſeruaturam eſſe, quemadmodum iam non ſemel clemẽtiſsimè polliceri dignata fuit, humillimè confidimus.

Cõmiſsionis negotia, ad quæ inuiti, reclamantes, atque ſolenniter ꝓteſtantes pertracti fuimus, eiuſmodi ſunt, vt niſi vnà cum reliquis incõmodis atque difficultatibus, quæ Ciuitatem fermè opprimunt aboleantur, Ciuitas nulla ratione ſubſiſtere poſsit. Et quamuis Comitiorum Decreto roborata & ab omnibus Regni Ordinibus approbata dicantur, id tamen in tergum noſtrum, nobis non præſentibus neque vocatis factum fuit. Tum pleraq; Cõmiſsionis illius contenta, cum apertiſsimis Priuilegijs, iuribus, libertatibus & conſuetudinib. huius Ciuitatis manifeſtè pugnant, præterq̃ quod omnia tum temporis D. Cõmiſſarijs partim conditionaliter, partim ad vitam D. Sigiſmundi Augusti colendæ recordationis promiſſa fuerint.

Quod etiam animaduertens D. Sigiſmundus Auguſtus Rex, nos ad illud Cõmiſsionis onus contra iura & Priuilegia noſtra nunquam adigere voluit, Neque dubitamus Sacram Maieſtatem Regiam vbi eius rationes penitius introſpexerit, nos ab eius onere, etiam extra Regni Comitia, clementiſsimè liberaturam eſſe;

Militum noſtrorum conductitiorum ea eſt ratio, vt eos inuitos, vt in alieno territorio extra Ciuitatem, cuius ſe ſeruitio addixerunt, militent, nulla ratione cogere poſsimus;

D d mus;

mus, Atq cum ea conditio non in noſtra ſit poſita poteſta-te, ſed ex alieno arbitrio depēdeat, nihil ambigimus quin Sacra Regia Mtās animaduerſa rei impoſſibilitate, nobis haud imputatura ſit, quod quātumuis maximè cuperemus, huic conditioni ſatiſfacere nulla ratione poſſimus.

Bombardarum etiam apud nos non ea eſt copia, vt ingruente aliqua neceſſitate, quam Deus clementer auer-tat, non maior requiratur. Quare Mtēm Regiam iterum atq iterum rogabunt Internuncij, ne ea, q̃ ad Ciuitatis in finibus poſitæ defenſionē apprimè neceſſaria ſunt, à nobis auferre, ſed clementiſſimè potius concedere dignetur.

Dominium maris nobis nunquam impotenter arro-gauimus, ſed ijs tantum pro Ciuitatis incolumitate vſi ſu-mus, quæ nobis de iure & Priuilegio ad defenſionem litto-rum, & ad conſeruandam cōmertiorum & liberæ naui-gationis vſum competunt, neque ambigimus, quin Sacra Regia Maieſtas nos penes ea omnia clementiſſimè quoque conſeruatura ſit.

Militem diu retinere noſtri neque eſt inſtituti neque propoſiti, ſed eum qua fieri poterit opportunitate prima mittemus, vt ita Sacræ Maieſtati Regiæ per omnia ſatis-fieri poſſit.

Internuncios eam præcipuè ob cauſam Thorunium ablegaueramus, vt ſi qua in parte erratum videri poſſet, veniam deprecarentur, modo id ſine publica Ciuitatis in-famia & ignominiæ labe fieret, in qua etiamnum ſen-tentia perſiſtimus. *Iuramentum*

Iuramentum quoque præſtare nõ detrectamus, modo nobis, cum ea obligatio ſit reciproca, caueatur, iuramento Mtis Regiæ nos non tantum comprehenſos, ſed iura etiã atq; libertates noſtras nobis ſartas tectas conſeruatum iri. Cum etiam videamus, rationes Ciuitatis nullatenus ſaluas eſſe poſſe, niſi Sereniſſ: R. Mtas in felici ſuo in hanc Ciuitatem ingreſſu comitatum ita moderetur, ne nobis terrori vel detrimento ſit: Internuncij humillimè rogabunt, ne id Mtas R. in eum finem accipere dignetur, quaſi Eidẽ modũ aliquem pſcribere velimus, quomodo ad nos ingredi debeat, ſed hoc ſaltẽ humilimè rogare, vt moderationem aliq; adhibere benigniſſimè dignetur; ne Dñi Conſiliarij, more conſueto, tam numeroſum ſeruorum & familiariũ ſuorũ comitatum adducant, qui non tantum oneri nobis eſſe, ſed etiam turbas per Ciuitatẽ ciere et motus dare poſſit, quẽadmodum eo tẽpore quo D. Sigiſmũdus Auguſtus auguſtæ memoriæ Ciuitatẽ ingreſſus eſt, nõ tantũ cum noſtro, ſed etiam Mtis eius periculo factum fuiſſe meminimus, Quod ne nunc etiã fiat cautionẽ ſaltem adhibere aliq; ſtudemus:

Et quamuis nunc iterum ad ſingulas nobis propoſitas cõditiones, pro fide noſtra & iuramẽto Ciuitati dato, reſpõdere coacti fuerimus: tñ ne ij videri poſſimus, qui nihil quam verba dare, & animũ Sac. Mtis Regiæ magis magisq; à nobis alienare conſtituerimus, re omni penitus expenſa, quid nobis tam publicè quam priuatim expediat, atq; emẽſis quaſi iuſta quadam trutina facultatib. noſtris,

 cum

cum nihil magis in votis habuerimus vnquam, neque etiamnum habeamus, quam vt Sacræ Regiæ Maieſtatis animum nobis quamprimum reconciliare, & Ciuitatis rationes in tutum aliquem locum collocare poſſimus: pecuniæ etiam aliquam ſummam non contemnendam Sacræ Maieſtati Regiæ humillimè offeremus, atq; Internuncijs eam facultatem permittimus atque concedimus, vt noſtro nomine principio quinquaginta florenorum millia, ijs vero ſi nihil perfecerint, ſexaginta, octoginta, ad centum vſque millia humillimo ſtudio offerant. Quamuis id facultatum noſtrarum rationes, hoc tam exulcerato rerum ſtatu, bonis ciuitatis tam publicè quam priuatim depopulatis atque exuſtis, & antehac tam Interregni quam alijs temporibus magno incõmodo affectis, ægrè patiantur, idq; onus humeris noſtris longè impar, nec noſtrarum ſit virium eam pecuniam promptam atque paratam exoluere, ſed vt publica interueniente Ciuitatis fide aliundè ſub certo ac tolerabili fœnore ex ſemiſſe vel ſeptunce ſumatur, atque aliquot annorum ſpatium ad eam perſoluendã concedatur. Quod Internuncijs noſtris, quib. rationes Ciuitatis ſatis perſpectæ ſunt, cõmittimus, vt id agant & conſtituant, quod ex re noſtra & Ciuitatis eſſe exiſtimauerint. Atque humillimè petent & demiſsiſsimè rogabunt, ne Maieſtas Regia ſibi ab aduerſarijs noſtris perſuaderi patiatur, eſſe aliquid amplius, quod hoc tempore facere poſsimus, in noſtris viribus vel poteſtate, cum vix rationem vel modum inueniamus,

niamus,

niamus, quomodo ſine extremo Ciuitatis incommodo his, cum omnibus reliquis oneribus, pares eſſe poſſimus. Sed hæc omnia ita tamen offerimus & Internuncij noſtri offerent, ne propter rebellionem aliquam, ſed tantũ ad promerendam Sacræ Regiæ Maieſtatis gratiam & eius Regium animum nobis magis magisq́ deuinciendum, numerata eſſe exiſtimentur, & vt nos econtra Sacra Regia Maieſtas penes omnia bona, Priuilegia, iura, libertates et antiquas conſuetudines, omnibus futuris temporibus clementiſſimè conſeruet, & omnia ac ſingula grauamina, etiam hiſce temporibus enata, non ita pridem per Internũcios noſtros, nobis iubentibus, exhibita, benigniſſimè ita abroget & aboleat, ne cuiquam vel publicè vel priuatim, vllis futuris temporibus, fraudi, periculo, vel damno eſſe poſſint, Et in eam rem Reuerſales ſuas literas nobis clementiſſimè det, vt ſit quiddam in rebus noſtris certi, atq; antequam id fiat, nihil pecuniæ promittant, vel nos quidquam daturos eſſe affirment, niſi quid quaq; in re certum eſſe debeat ſcire poſſimus: Iterum atque iterum humillimè ac ſuppliciter rogantes, ne Maieſtas Regia hæc alio quam clementi animo accipere, & nos atque omnes Ciuitatis incolas, fauore, gratia, atque clementia ſua Regia complecti atque proſequi clementiſſimè dignetur, vt tandem in gratiam Maieſtatis Regiæ recepti, ſub eiuſdem imperio atque regimine feliciter agere poſſimus, Cui omnia noſtra ſubiectionis ſtudia & fidei officia etiam atq; etiam

 ſumma

ſumma animorum ſubmiſſione deferent: DEVM opt: max: ardentiſſimis votis rogantes, velit Maieſtatem Regiam quàm diutiſſimè ſaluam, incolumem, florentem ac triumphantem ad ſui nominis gloriam & noſtrorum omnium Sacræ Regiæ Maieſtatis fidelium ſubditorum optatiſſimum ſolatium clementiſſimè conſeruare.

Si autem hiſce omnibus quæ à nobis humillimo ſtudio offeruntur Sereniſſimæ Maieſtatis Regiæ animus permoueri non poſſet, quod neutiquam tamen confidimus, Internuncij humillimè rogabunt, vt bona cum Maieſtatis Regiæ gratia, Saluiconductus vigore, ſecurè ad nos domum redire, & in quo ſtatu res noſtræ ſint nobis exponere poſſint. In quorum omnium fidem &c. Datum Gedani die 17. menſis Decembris Anno Dñi 1576.

His autem haud ſanè magnipenſis, & eo loco poſitis, quaſi parum eſſent ex Regia dignitate, remiſſus eſt ex Internuncijs noſtris Dominus Præconſul Conſtantinus Ferberus, fideiuſſione præſtita, certoq́; reditus tempore conſtituto, qui nos Regiæ Maieſtatis voluntatem plenius edoceret. Ac quanquam parum ex ſuperioribus conditionibus remittebatur, tamen ne quid ad promerendam gratiam Regiam, & rerum omnium tranquilliorem ſtatum recuperandum, reliqui faceremus, Ducenta millia florenorum obtulimus, & Dominum Præconſulem cum ijs quæ ſequuntur literis Torunium remiſimus.

Literæ

Literæ ad Regiam Maie-ſtatem.

SErenißime potentißimeq́ Rex ac Domine, Domine clementißime, &c. Quanquam nihil nobis acerbius iamdudum accidere potuit, quàm & rationes noſtras ad conciliandam Regiæ veſtræ Maieſtatis gratiam propoſitas locum non inueniſſe, & Internuncios præter fidei publicæ literas in cuſtodia habitos fuiſſe: Tamen cum nihil interim maioribus votis exoptemus, quàm nunc etiam Eiuſdem clementiam & paternam propenſionem quibuſcunque poſſumus gratificandi ſtudijs humilimè promereri, Internūcijs noſtris denuò rationes quaſdam in cōmiſsis dedimus, quibus humilimè ſperamus Sereniſsimam Regiam Maieſtatē veſtram omni quæ hactenus interceſsit offenſione depoſita, tandem aliquando Ciuitatis & horum temporum grauamina penè fatalia clementiſsimè ad animum admiſſuram.

Quapropter quàm poſſumus ac debemus ſubiectiſsimis precibus humilimè iterum ac iterum Sacram Regiam Maieſtatem veſtram obſecramus, clementiſsimè dignetur Internuncios noſtros in conſpectum admittere, & quæ noſtro nomine in mandatis habent benignius exaudire, illos autem cum deſideratiſsimo Regalis manſuetudinis & clementiæ reſponſo quamprimum expedire.

Faciet

ſumma animorum ſubmiſſione deferent: DEVM opt: max: ardentiſſimis votis rogantes, velit Maieſtatem Regiam quàm diutiſſimè ſaluam, incolumem, florentem ac triumphantem ad ſui nominis gloriam & noſtrorum omnium Sacræ Regiæ Maieſtatis fidelium ſubditorum optatiſſimum ſolatium clementiſſimè conſeruare.

Si autem hiſce omnibus quæ à nobis humillimo ſtudio offeruntur Sereniſſimæ Maieſtatis Regiæ animus permoueri non poſſet, quod neutiquam tamen confidimus, Internuncij humillimè rogabunt, vt bona cum Maieſtatis Regiæ gratia, Saluiconductus vigore, ſecurè ad nos domum redire, & in quo ſtatu res noſtræ ſint nobis exponere poſſint. In quorum omnium fidem &c. Datum Gedani die 17. menſis Decembris Anno Dñi 1576.

HIs autem haud ſanè magnipenſis, & eo loco poſitis, quaſi parum eſſent ex Regia dignitate, remiſſus eſt ex Internuncijs noſtris Dominus Præconſul Conſtantinus Ferberus, fideiuſſione præſtita, certoq; reditus tempore conſtituto, qui nos Regiæ Maieſtatis voluntatem plenius edoceret. Ac quanquam parum ex ſuperioribus conditionibus remittebatur, tamen ne quid ad promerendam gratiam Regiam, & rerum omnium tranquilliorem ſtatum recuperandum, reliqui faceremus, Ducenta millia florenorum obtulimus, & Dominum Præconſulem cum ijs quæ ſequuntur literis Torunium remiſimus.

Literæ

Literæ ad Regiam Maie-ſtatem.

SEreniſsime potentiſsimeq́ Rex ac Domine, Domine clementiſsime, &c. Quanquam nihil nobis acerbius iamdudum accidere potuit, quàm & rationes noſtras ad conciliandam Regiæ veſtræ Maieſtatis gratiam propoſitas locum non inueniſſe, & Internuncios præter fidei publicæ literas in cuſtodia habitos fuiſſe: Tamen cum nihil interim maioribus votis exoptemus, quàm nunc etiam Eiuſdem clementiam & paternam propenſionem quibuſcunque poſſumus gratificandi ſtudijs humilimè promereri, Internūcijs noſtris denuò rationes quaſdam in cōmiſſis dedimus, quibus humilimè ſperamus Sereniſſimam Regiam Maieſtatē veſtram omni quæ hactenus interceſſit offenſione depoſita, tandem aliquando Ciuitatis & horum temporum grauamina penè fatalia clementiſſimè ad animum admiſſuram.

Quapropter quàm poſſumus ac debemus ſubiectiſſimis precibus humilimè iterum ac iterum Sacram Regiam Maieſtatem veſtram obſecramus, clementiſſimè dignetur Internuncios noſtros in conſpectum admittere, & quæ noſtro nomine in mandatis habent benignius exaudire, illos autem cum deſideratiſſimo Regalis manſuetudinis & clementiæ reſponſo quamprimum expedire.

Faciet

Faciet rem tot Regiarum virtutum ſuarum prædicatione digniſſimam, nobis autem omnibus & vniuerſis Ciuitatis incolis, non ſolum ad poſteros immortali memoriæ conſecrandam, verum etiam omnibus quibus poſſumus ac debemus inſeruiendi obſequijs, humilimo ſtudio ſemper & vbique promerendam, &c. Datum Gedani Calendis Ianuarijs, Anno Dñi M. D. Lxxvij.

INSTRVCTIO SPECTABIlibus, Famatis & Clariſsimis Dominis Conſtantino Ferbero Præconſuli, Georgio Roſenbergio Conſuli, & Henrico Lembken I. V. Doctori, Syndico Regiæ Ciuitatis Gedanenſis, ab omnibus eiuſdem Ciuitatis Ordinibus data, die 1. Ianuarij, Anno Dñj 1577.

POſtquam non ita pridem, mediante Regiæ Maieſtatis Saluo conductu, Ciuitatis huius Ordines Internuncios ſuos, cum certa mandatorum Inſtructione ablegaſſent: ac ijſdem paulò pòſt rebus ad tractationem perductis, ac domi deliberatis, animi ſui ſententiam porrò perſcripſiſſent: animaduerſum autem fuerit, ea quæ ab Ordinibus propoſita eſſent, adeò in deteriorem partem accepta, vt non ſolum Regiæ dignitati parum conſentanea cenſerentur:

cenſerentur, ſed etiam Internuncij cum ſuis comitibus, in eiuſmodi cuſtodia habiti ſint, cuius generis nulli vnquam Ciuitatis mandatarij, quanquam literæ ſecuritatis neutiq̃ interceſſiſſent, nedum ijs conceſſis, à Sereniſſimis Anteceſſoribus Poloniæ Regibus ſunt experti: Quanquam Ordinibus iſta vehemẽter dolenda ſunt, quoniam humillimè ſperauerant, ea quæ propoſuiſſent, ad conſequendam Regiæ Maieſtatis gratiam, priuilegiorum & libertatum cõfirmationem, nec non grauaminum incumbentium abolitionem, clementius ac benignius acceptum iri: Tamen cum præter expectationem ſecus acciderit, ipſi vero nunc etiam nihil in maioribus votis habeant, quam integra Regiæ Maieſtatis gratia, ſuis libertatibus ac iuribus, vnà cum pace Religionis hactenus vſurpata, vti frui, ac cum cæteris Regni Poloniæ membris, pacem, amicitiam et ſtatum quietum colere, et rem familiarẽ pacatè tueri: Hanc in rem itaq; p̃ſentibus negocijs demum diligenter expenſis, iterũ nunc vt antea conſilia ſua bono et ſyncero animo ad eum vtiq; finem dirigere decreuerũt, quomodo ſuperiores omnes offenſæ, ſimultates, indignationes, & difficultates inde exortæ, ſaluis & inuiolatis iuribus ac libertatibus ſuis, penitus tolli, aboleri, ac ſopiri poſſint. Quam ob cauſam non recuſant etiam amplius quid præſtare, quam nunc Ciuitatis rationes patiuntur, quo magis Regia Maieſtas, & Ordinum humilimum obſequendi ſtudium clementiſſimè perſpiceret, ac inde manifeſtius appareret, illos

ex diſcurſu ſuperiorum actionum, de quibus nunc plura commemorare neceſſum non eſt, conſilia ſua non ad vllius rebellionis propoſitum, ſed Ciuitatis ſaltem iurium ac libertatum indemnitatem retuliſſe.

Proinde nunc etiam ad recuperandam & deinceps perpetuo perfruendam Regiæ Maieſtatis gratiam, clementiſſimam ac paternam propenſionem, vnà cum pacifico Auguſtanæ Cõfeſſionis vſu, quam integram ſibi relinqui petunt, cumq́ incolumitate & confirmatione Ciuitatis Priuilegiorum, libertatum ac iurium, abolitis etiam grauaminibus in contrarium illatis, præſertim ex Cõmiſſionis negocio oriũdis, prout ea grauamina omnia ſpeciatim ſcripto iam pridem exhibita ſunt, quorum ſi quædam nunc corrigi vel emendari non poſſunt, quæq́ Comitiorũ authoritatem deſiderant, de ijs abolendis Internuncij per literas Reuerſales rectè caueri curabunt: ita vt promittat Regia Maieſtas, ſe in proximis Comitijs abolitionem illorum curaturam, neq́ prius obligatos fore Ordines, quam & Reuerſales literæ datæ fuerint, & emendatio grauaminum ſubſecuta: Quibus præſtitis, Ordines cõſentiunt & offerunt ducenta millia florenorum polonicalium Regiæ Maieſtati quatuor penſionibus in annos quatuor continuo ſequentes, intra feſtum Paſchatos & Pentecoſtes, ſingulis nimirum annis quinquaginta millia florenorum danda & exoluenda. Quod ſi Regia Maieſtas primum huius anni terminum expectare nolit, conſentiunt Ordines

nes pro eius termini præſenti pecunia (quatenus eam Maieſtas eius mutuam aliundè ſumere velit) fidem ſuam pro ſorte & vſuris præſtandis interponere, vel etiam mercib. quibuſdam, vtpotè pannis, aromatibus, vel alijs eiuſmodi rebus ſolutionem conficere. Ac quoniam Domini Conſiliarij Terrarum Pruſſiæ benignè receperunt, ſe pro conſeruatione publicæ tranquillitatis, inſuper centum millia florenorum adiuncturos, humilimè confidunt Ordines, atque hac intentione ſummam prædictam ducentorum millium offerunt, vt Regia Maieſtas illorum fidem, ſine vlteriori Ciuitatis onere clemētiſsimè ſequi dignetur; ac vt hoc modo omnes ſuperiores offenſæ, læſiones, proſcriptionis decretum, motus bellici, damna & detrimenta, intra vel extra Ciuitatem, publicè vel priuatim exorta, quidquid denique ad ea pertinet, vel inde ſubſecutum fuit, penitus ſublata, ſopita, defuncta, & obliuioni tradita eſſe & manere debeant.

Ac vt Regia Mtās Ciuitatem hanc & fideles ſuos ſubditos à cæteris Cōditionibus, quæ per ſe non ſolum impoſsibiles, ſed cum ſumma Ciuitatis infamia, detrimento, iuris ac priuilegiorum præiudicio coniuncta ſunt, releuare clementiſsime dignetur, præſertim autem quantum ad portorium maritimum pertinet, cuius prouentus ad ſuſtentandum portus & fluminis integritatem neceſſariò impenduntur, nec eo Ciuitas in tam multis expenſarum oneribus carere poteſt.

ex diſcurſu ſuperiorum actionum, de quibus nunc plura commemorare neceſſum non eſt, conſilia ſua non ad vlliùs rebellionis propoſitum, ſed Ciuitatis ſaltem iurium ac libertatum indemnitatem retuliſſe.

Proinde nunc etiam ad recuperandam & deinceps perpetuo perfruendam Regiæ Maieſtatis gratiam, clemētiſſimam ac paternam propenſionem, vnà cum pacifico Auguſtanæ Cōfeſſionis vſu, quam integram ſibi relinqui petunt, cumq́ incolumitate & confirmatione Ciuitatis Priuilegiorum, libertatum ac iurium, abolitis etiam grauaminibus in contrarium illatis, præſertim ex Cōmiſſionis negocio oriūdis, prout ea grauamina omnia ſpeciatim ſcripto iam pridem exhibita ſunt, quorum ſi quædam nunc corrigi vel emendari non poſſunt, quæq́ Comitiorū authoritatem deſiderant, de ijs abolendis Internuncij per literas Reuerſales rectè caueri curabunt: ita vt promittat Regia Maieſtas, ſe in proximis Comitijs abolitionem illorum curaturam, neq́ prius obligatos fore Ordines, quam & Reuerſales literæ datæ fuerint; & emendatio grauaminum ſubſecuta: Quibus præſtitis, Ordines cōſentiunt & offerunt ducenta millia florenorum polonicalium Regiæ Maieſtati quatuor penſionibus in annos quatuor continuo ſequentes, intra feſtum Paſchatos & Pentecoſtes, ſingulis nimirum annis quinquaginta millia florenorum danda & exoluenda. Quod ſi Regia Maieſtas primum huius anni terminum expectare nolit, conſentiunt Ordines

nes pro eius termini præſenti pecunia (quatenus eam Maieſtas eius mutuam aliundè ſumere velit) fidem ſuam pro ſorte & vſuris præſtandis interponere, vel etiam mercib. quibuſdam, vtpotè pannis, aromatibus, vel alijs eiuſmodi rebus ſolutionem conficere. Ac quoniam Domini Conſiliarij Terrarum Pruſſiæ benignè receperunt, ſe pro conſeruatione publicæ tranquillitatis, inſuper centum millia florenorum adiuncturos, humilimè confidunt Ordines, atque hac intentione ſummam prædictam ducentorum millium offerunt, vt Regia Maieſtas illorum fidem, ſine vlteriori Ciuitatis onere clemētiſsimè ſequi dignetur; ac vt hoc modo omnes ſuperiores offenſæ, læſiones, proſcriptionis decretum, motus bellici, damna & detrimenta, intra vel extra Ciuitatem, publicè vel priuatim exorta, quidquid denique ad ea pertinet, vel inde ſubſecutum fuit, penitus ſublata, ſopita, defuncta, & obliuioni tradita eſſe & manere debeant.

Ac vt Regia Mtās Ciuitatem hanc & fideles ſuos ſubditos à cæteris Cōditionibus, quæ per ſe non ſolum impoſsibiles, ſed cum ſumma Ciuitatis infamia, detrimento, iuris ac priuilegiorum præiudicio coniuncta ſunt, releuare clementiſsime dignetur, præſertim autem quantum ad portorium maritimum pertinet, cuius prouentus ad ſuſtentandum portus & fluminis integritatem neceſſariò impenduntur, nec eo Ciuitas in tam multis expenſarum oneribus carere poteſt.

Nam & conditiones à Cõmiſſarijs in eam rem iam antea propoſitæ, nec vtiles nec factu faciles inuentæ ſunt: cum quod aduerſus Ordinum mentem, conſenſum & intentionem aliò detortæ fuiſſent, tum quod alibi in noſtratibus, Ciuibus & mercatoribus, ſimiliter aggrauandis, ad conſequentias facilè trahi poſſent. Neque certè Regia Maieſtas Sereniſſimæ recordationis, rei rationibus exactis ac perſpectis, hoc tam inſigni præiudicio Ciuitatem implicare voluit. Quod ad Deprecationem attinet, acquieſcunt Ordines etiam nunc ijs mandatis, quæ in anteriori inſtructione Internuncijs cõmiſerunt.

Dabunt etiam operam Internuncij, vt declaratio iuramenti Regij, prout illa coram ſtatibus Terrarum in verbo Regio facta eſt, ſaluis nimirum iuribus & Priuilegijs, in vſum Ciuitatis edatur, ne quando Priuilegijs ac iuribus illius poßit eſſe fraudi vel detrimento. Poſtremo Regiæ Maieſtati humilimo ſubiectionis ſtudio & fideliſſimo omnium Ordinum obſequio ad animum reuocabunt Internuncij: quomodo iam antea Sereniſſ: Diuis Anteceſſorib. Ciuitatem ingreßis variæ turbæ, offenſiones & iniuriæ cum Ciuibus & peregrinis in tanta hominum promiſcua multitudine ſint exortæ. Vnde factum etiam, vt Ciuitas multis difficultatibus ex priuatorum iniurijs implicata fuerit. Ea propter humilimis precibus obſecrabũt, & quantum poterunt operam dabunt, vt Regia Mtãs, ſi quando Ciuitatem hanc ingreſſura eſt, comitatum ſuum

& cæte-

& cæterorum, qui ipſi aderunt, ita moderari clementiſſime dignetur, vt inter Ciues & peregrinos pax & tranquillitas conſeruetur, & omnes Ciues ac Incolæ re ipſa experiantur, non habere propoſitum Maieſtatē eius hoc modo Ciuitatem opprimendi, ſed potius ſaluam penes Priuilegia & libertates ſuas clementiſſimè conſeruandi. Erit hoc primum ſuæ paternæ clementiæ erga hanc Ciuitatem ſuam inditium, cum perpetua immortalis memoriæ teſtificatione coniunctum, quod Regalis beneficij genus omnes Ciuitatis Ordines humilimo ſubiectionis obſequio pro viribus ac facultatibus ſuis demiſſiſſimè promereri perpetuò conabuntur.

Hæc Ordinum mandata, & ea quæ anteriori Inſtructione cōtinentur, Internuncij diligenter obſeruabūt, nec ab ijs diuerſum aliquid admittent. In cuius rei fidem ſigillum noſtrum præſentibus eſt ſubappreſſum. Datum Gedani, prima die menſis Ianuarij Anno Dñi 1577.

VErum ne hoc quidem obſequij genere, quod vires fermè noſtras excedebat, Regiæ Maieſtatis animus placari potuit, ſed paulò pòſt Bidgoſtiæ nouæ conditiones dictæ, & per Internuncios noſtros Georgium Roſenbergium, & Syndicum Doct. Heinricum Lembken, ſimili quà prius fideiuſſione interpoſita, ad nos perlatæ, verbis hiſce perſcriptæ.

Ex Mandato Sacrę Regiæ Maieſtatis hę conditiones poſtremæ Gedanenſium Internuncijs Bidgoſtiæ, 7. Ianuarij Anno Domini M. D. Lxxvij. propoſitæ.

TRecenta millia florenorum tribus penſionibus numerare obnoxij ſunto, Quorum prima centum millia nunc ſtatim, Secunda ad primum diem Auguſti huius Anni, Tertia centum millia ad primum diem Septembris Anni M. D. Septuageſimi octaui.

Pfalgeldij vectigalis dimidiam partem ex forma placationis & publico decreto debitam, Maieſtas Regia ſibi ſaluam & firmam reſeruat. Colligendæ autem pecuniæ cauſſa, ſuum ſcribam illic adhibebit, quæ quidem pecunia vſque ad Comitia proxima Regni apud Burggrabium, iuramento Regiæ Maieſtati obſtringendum, veluti apud ſequeſtrem reponetur, quandoquidem huius rei cognitio ad Comitia proxima reijcitur. De altera dimidia parte Gedanenſes diſponendi facultatem habere debent.

Quatuor tormenta ænea cum neceſſarijs globis & pulueribus qua maxima poterunt magnitudine, & ad vſus belli dare Maieſtati eius Regiæ debebunt. Quæ tormenta Maieſtas Regia finito bello clementer Gedanenſibus iterum reddi iubebit.

Vt

Vt grauamina omnia indigne illegitimeq́ in præiudicium ipſorum Priuilegiorum inuecta, in Comitijs penitus tollantur, Maieſtas Regia clementer auctoritatem ſuam apud Ordines Regni interponere nō grauabitur, quod etiam literis Reuerſalibus benignè Regia Maieſtas teſtari dignata eſt. Cætera verò quæ auctoritate ſua potuit, omnino ſuſtulit, quæmadmodum apparet ex literis Regiæ Maieſtatis ipſi Georgio Roſenbergio Dantiſcum profecturo traditis.

ATtulerunt ijdem Internūcij literas Reuerſales vnà cum reſponſo Regiæ Maieſtatis, ad enumerationem grauaminum ſuperius à nòbis congeſtorum.

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ &c. necnon Tranſyluaniæ Princeps.

SIgnificamus præſentibus literis noſtris. Quia cum Nuncij Ciuitatis noſtræ Gedanēn. quædam grauamina illius Ciuitatis nobis obtuliſſent, atque petyſſent, vt ea pro gratia & authoritate noſtra tollere, Ciuitatemq́ ab his grauaminibus immunē facere vellemus. Nos viſis & perſpectis omnibus his quæ nobis ſcripto fuerunt oblata, examinatisq́ rite omnibus eorum petitionibus, cum nonnullas

eiuſmodi

eiuſmodi eſſe cerneremus, vt merè ad comitia generalia, cenſuramq́ omnium Ordinum & ſtatuum regni pertinerent: aliæ item ſint quas authoritate noſtra Regia nos ipſi tollere poſſe videbamur, ita ſtatuendum faciendumq́ putauimus: vt grauamina vera & legitima, quæ nos ipſi pro authoritate & ſuperioritate noſtra tollere & abrogare poſſe putabamus, ea ſublata & abrogata eſſe cenſeantur, nosq́ ea ſuſtulimus & abrogauimus. Quæ vero ad Comitia & cognitionem omnium Ordinum Regni pertinere videbantur, pro his omnibus annuimus & conſenſimus, vt in futuris Comitijs generalibus omnium Ordinum & Statuum cognitio & dijudicatio fiat, ac quæ illegitima à ſtatibus iudicabuntur, tollantur ex mera gratia & clementia noſtra. Dabimusq́ operam vt ſtatus & Ordines Regni in tollendis eorum veris & legitimis grauaminibus, rationem eius Ciuitatis habere velint, pro conſeruatione Iuris publici libertatumq́ & Priuilegiorum Ciuitatis Gedanen̄, q̄ nos ita ſarta tectaq́ ſemper habere volum⁹, vti alij quoq́ Regni noſtri ſubditi habent, Atque in eius rei fidem Sigillum noſtrum apprimi iuſſimus. Datum Bidgoſtij die 8. Ianuarij Anno Dn̄i M. D. Lxxvij. Regni vero noſtri Anno primo.

Stephanus Rex.

Capitu-

CAPITVLATIO GRAVAminum ac petitionũ Ciuitatis Gedanenſis vnà cum reſponſis Sacræ Regiæ Maieſtatis Bidgoſtij die octaua Ianuarij datis Anno Dñi M. D. Lxxvij.

I.

PRimum omnium Ciuitatis Ordines de pace Religionis ſibi cautum eſſe volunt, vt Auguſtanæ Confeſſionis vſu tam in Ciuitate quam extra muros in eius diſtrictu pacificè et quietè ſine vllo cuiuſuis impedimento prout hactenus fruantur, neúe cuiquā Religionis ergò moleſtia vel negocium exhibeatur, neúe in templis ritus ceremoniarum immutentur.

Reſponſum ad primum Sacræ Regiæ Maieſtatis.

COncedit Maieſtas Regia, ita vti fuit tempore Sigiſmundi primi, & Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regum.

II.

Inter cætera grauamina, quæ iampridem Ciuitati contra publicas libertates, Priuilegia, iura, conſuetudines illata ſunt, longè maximum eſt illa Commiſſio, quæ cum ſumma Ciuitatis infamia, publicæ fidei noxa, et fortunarum detrimento ſuperioribus annis agitata fuit. Qua Ci-

uitas non ſolum concitatis tribubus ac Contubernijs extremum penè diſcrimen, ex Magiſtratu nonnulli citra culpam, exiſtimationis, honoris, fortunarum ac vitæ periculum adierunt: Verum etiam publicæ libertates, iura, priuilegia, prouētus, bona terreſtria adeò impugnata, imminuta & labefacta fuerunt, vt hoc modo nihil penè quod ad vniuerſæ Ciuitatis perniciem agi potuiſſet, prætermiſſum Ordinibus videatur. Quod ex ipſius Cōmiſſionis actis & geſtis ſigillatim apertius poteſt demonſtrari.

Reſp: *Hunc Articulum Maieſtas Regia ad proximè ventura Comitia reijcit, de eoq; ex omnium Ordinum ſententia decernendum eſſe putat.*

III.

Inprimis illud moleſtiſſimè ferunt Ordines, in placationis eius formula, quæ penè inuitis exorta fuit, ita ſe fuiſſe circumuentos, vt cum grauaminum aliquorum abolitionem Domini Cómiſſarij repromitterent, hinc quidem Ordinum pollicitationem ſcripto conſignatam fuiſſe, illinc autem grauamina non ſolum, vti conuenerat, non abolita, ſed interim etiam non vnis oneribus accumulata fuiſſe conquerantur.

Reſp: *Ad Comitia itidem refert.*

IIII.

Huic conſequens eſt æquè graue præiudicium, quod cum ſemiſſem maritimi Portorij, cuius duplicādi per Diuum Sigiſmundum Auguſtum facultas petebatur, Ordines

nes ipſi Maieſtati Regiæ, vel ad certum tēpus, vel diutiſſimè quoad ipſa in viuis foret, deſtinaſſent, Cōmiſſarij nihilominus hoc obſequium à perſona ipſius Mtis ad vniuerſum Regnum, atq; adeo perpetuum & ad poſteros infame onus, aduerſus contrahentium mentem & intentionem detorquere voluerint. Quod quam graue & intolerabile Ciuitati futurum eſſet, pientiſſimo Regi ſanctæ & Auguſtæ memoriæ non ſemel demonſtratum eſt, ea præſertim ratione, ſi Portorium huius Ciuitatis in exterorum merces adaugeretur, nihil fore certius, quàm eodem exemplo noſtratés in tranſmarinis emporijs contra morem antiquū, nouis vectigalibus, oneribus & exactionibus æquè diuexatū iri. Illud autem ex vtraq; parte neceſſariò conſequeretur, vt propter aggrauationem Portorij cōmercia, q̄ quantum poſſunt, libera volunt eſſe, penitus à Ciuib. noſtris aliò tranſferrentur, quod non modò cum Ciuiū, ſed etiam Regnicolarum certiſſimo damno coniunctum fore multis rationibus defendi poteſt. Et ipſe Sereniſſ: Rex, cuius memoriam ſanctam habemus, eum in his actionibus animum tandē oſtendit, vt hiſce modis Ciuitatē, vel tanto ad poſteros p̄iudicio, vel apud exteros detrimēto cōmerciorum, onerari minimè velle videretur. Quibus ex cauſſis illud expeditiſſimum eſt, non poſſe Ciuitatē hanc vel fama et exiſtimatione integra, vel iuribus, Priuilegijs, libertatib: ac fortunis ſartis tectis vti frui, niſi totū illud Cōmiſſionis negociū, et q̄ quouis inde modo ſecuta ſunt grauamina, tollantur, aboleātur, caſſa & irrita ppetuum eſſe iubeantur

Ac ideo formulam placationis ſubſignatam, cum nec exitum ipſa ſortita, nec annexis conditionibus ſatiſfactum fuerit, Ordines æquiſſimè putant ſibi reſtitui oportere.

Reſp: *Articulus iſte prioribus eſt alligatus, Itaque Maieſtas Regia ad Comitia eundem etiam reijcit.*

V.

Iiſdem conditionibus diſertè comprehenſum erat, vt Speculatores maris abrogarentur, qui nihilominus tamen etiam poſtea nullo vel hoſtium vel amicorum habito diſcrimine rapinas exercere, & in hunc portum ſe recipere non deſinebant. Qua re Sereniſſimus Daniæ Rex commotus, quod Maris Baltici ſecuritas eo modo maximè perturbari diceretur, non tantum Speculatores illos vbicunque deprehenſos ad ſupplicium retraxit, verum etiam Ciuitatis naues complures in tertium annum vſque detinuit, nauibus interea computreſcentibus, mercibus etiam compluribus corruptis vel amotis, tandē cum nullum aliud eſſet præ manu remedium, coacta fuit Ciuitas ad liberandas naues, & redimendā nauigationis libertatem centum millib. thalerorum depaciſci, præter cæteros ſumptus crebris & continuis legationibus ac tractatibus impenſos. Regia quidem Maieſtas quamuis rem eam ad ſollicitudinē ſuam benigniſſime reuocauerit, cum Sereniſſimo Rege Daniæ multa per literas & Internuncios egerit, demum quod hoc ſua magis q̃ Ciuitatis intereſſe cēſeret, ad cōpromiſſi arbitrium deſcendere voluerit, & conſequenter poſt

eius

eius ex hominibus diſceſſum Reuerendiſsimi & illuſtres Dñi Cõſiliarij in ipſo Interregni tempore ſuas etiam partes interpoſuerint, nihil æqui tamen obtineri potuit, quin Ciuitas per ſe tanta pecuniæ ſumma, naues, merces, liberamq́ nauigandi poteſtatem redimere ſit coacta. Nec Ordines ab æquitate cenſent alienum eſſe, ſummam illam pecuniariam & alia damna ſibi refundi, ac in poſterum rectè caueri, ne iuri ſuo, quod in rem habet maritimam, per quaſius eius generis impreſsiones, tam inſigne fiat præiudicium.

Reſp: *Speculatores maris eo modo quo fuerunt antea, abrogat Maieſtas Regia, ſi quas tamen naues in mare expedire in animum induxerit, id cõmunicato cõſilio cum Senatu, ipſoq́ ſciente, factura eſt Maieſtas Regia.*

VI.

In eodem Cõmiſsoriali tractatu Conſtitutiones quædam huius Ciuitatis Iuribus, Priuilegijs, libertatibus & conſuetudinibus vt plurimum aduerſantes obtrudi cœptæ fuerunt. Quas vti ſemper hactenus bonis rationibus, quæ ſuo loco publicè per Confutationis modum propoſitæ ſunt, Ordines reiecerunt, ita ne nunc quidem ſine ſummo præiudicio præclariſsimi Priuilegij ſui de legibus et Contributionib. ferẽdis, imponẽdis et abrogãdis, acceptare poſſunt.

Reſp: *Ad conuentum differt hunc Articulum.*

VII.

 Vehemen-

Vehementer iniquum eſt cum vniuerſæ Ciuitatis, tum Magiſtratus & Ordinum famam, honorem, & exiſtimationem famoſis libellis clam & palam proſcindi, ac eiuſmodi diffamatores in Ciuitatis inuidiam publicè etiam ali, foueri & ſuſtentari.

Reſp: *Famoſos libellos Maieſtas Regia caſſat, eosq; palam & clam edi prohibebit, delinquentes iuxta Statuta Regni punire mandabit.*

VIII.

Eodem pacto bona Ciuitatis publica ad executionem Alexandrini Statuti trahi cæperunt, quinimo nonnulli Dominorum Commiſſariorum eadem bona ſibi potius dari, quàm Ordinibus conſeruari voluerunt. Itaque non minus iuſtum quam æquum videtur, vt ea quæ tanto cum Reipublicæ præiudicio ſunt acta penitus reſcindantur, nec enim bona ſua Ciuitas à Regno lucri fecit, ſed vnà ſecum ad Regnum attulit, à quo nunc iiſdem priuari ab omni æquitate fuerit longè alieniſſimum.

Reſp: *In Conuentum iſte Articulus reiicitur.*

IX.

Queruntur etiam Ordines, quod non Magiſtratus ſolum, ſed etiam priuati Ciues nouis & inuſitatis edictis in cauſſis iniuriarum & rerum criminalium ad tribunal Regium euocentur.

Reſp: *Non euocabuntur ad Tribunal Regium, niſi prius*

prius in prima inſtantia cauſſam dicant, Exceptis tamen cauſsis merè Regijs.

X.

Quod complura mandata pœnalia iuri noſtro non conſentanea ad vnius partis informationem, nonnunquã etiam contraria Decreta ex Cancellaria Regia prodeant, quibus & Magiſtratus vehementer prægrauatur, partes ipſæ, quo minus Ius ſuum conſequi poßint, impediuntur, & Iudiciorum proceſſus in infinitum fermè producitur.

Reſp: *Mandata prima non dabuntur pœnalia ſed ſimplicia, tunc verò Senatus tenebitur ea aut exequi, aut Maieſtatem Regiam de ſtatu cauſſæ, qua de agitur, informare, ſi non fecerint, ſecunda Mandata pœnalia dabuntur. Decreta etiam contraria ex Cancellaria non prodibunt.*

XI.

Quod Ordinum Decreta, leges ac plebiſcita, in quibus condendis & abrogandis ex præſcripto Priuilegij Caſimiriani pleniſsimam habent poteſtatem, mandatis & reſcriptis Regijs cum ſummo dicti Priuilegij præiudicio ſoleant impugnari.

Reſp: *Ad Comitia iſte Articulus differtur, atque vt videatur Priuilegium Caſimiri Regis.*

XII.

Quod

Quod literæ Saluiconductus paſsim ſine diſcrimine perſonarum vel cauſſarum concedantur, ijs pſertim quod ſæpè fit, qui literarum eiuſmodi beneficio iure cenſentur indigni.

Reſp: *Salui conductus à vi & potentia, non autem à iure dabuntur. In ſpacio vero trium menſium declarari debet, an is qui accepit, Saluo conductu ſit dignus cenſendus, infra trimeſtre etiam Saluum conductum obtinens, iure mediante ſe iuſtificabit, aut Maieſtatem Regiam Senatus de eo informabit.*

XIII.

Quod non extraneis modò, ſed plurimis etiam Ciuibus literæ exemptionum à Ciuili iuriſdictione paſsim concedantur, quæ res ſummam inter ciues, in benè conſtituta Republica conditionis eiuſdem eſſe debent, inæqualitatem parit, eiuſdem obedientiam & debitum diſſoluit, ac Magiſtratus auctoritatē maximē labefactat, præſertim quod vt plurimum exemptæ perſonæ dum plus ſibi quàm alijs licere putant, multa contra leges ac mores Ciuitatis committere ſolent, cum ſummo Magiſtratus contemptu, cæterorumq́ ciuium damno & præiudicio.

Reſp: *Exemptiones non dabuntur niſi ſeruitoribus & familiaribus merè Regiæ Maieſtatis.*

XIIII.

Quod Contubernia & collegia vtpote Lanionum, Braſeatorum, & alia ſpecialib. indultis, immunitatibus, beneficijs

beneficijs ac Conſtitutionibus, quæ cum publicis Ciuitatis Priuilegijs, libertatibus, Conſtitutionib. ac plebiſcitis pugnant, donentur, ac muniantur. Quo fit vt integra Contubernia non ſolùm leges publicas cum omni Magiſtratus imperio proculcent, & euacuent, ſed etiam in cōmercijs rerum venalium, quæ vſui domeſtico ſunt, & quarum moderationem non admittunt, ſuo arbitratu præter æquum & bonum conciues ſuos onerent & emungant.

Reſp: *Maieſtas Regia nihil contra aliquorum Priuilegia facere, ſed ea ſarta tecta habere vult, in poſterum etiam nulli Contubernio Priuilegia dabit, quæ iuri publico & Statui Ciuitatis contraria ſint.*

XV.

Cuius generis etiam illud eſt, quod Domini Cōmiſſarij contractum ſolennem conſtituendæ concordiæ cauſſa cum Braſeatoribus initum leuiſſimorū hominum impulſu, nullo Iuris ordine reciderunt, quo pacto diſcordiæ renatæ, aliæq; difficultates ortæ, multi verò ad conculcandas leges & diſſoluendā tranquillitatē facti ſunt audaciores.

Reſp: *Ad Comitia refertur.*

XVI.

Quod itidem literæ Moratoriæ paſſim edantur nulla perſonarum contemplatione, quis in fraudem creditorum eas petat, quis vel ſua culpa rem decoxerit, vel fortunæ, maris aut ventorum iniuria facultatibus lapſus fuerit, quod certè prius inquiri cum per ſe iuris manifeſti ſit, etiā

Gg ſpecialibus

ſpecialibus Diuorum Regum Anteceſſorum reſcriptis declaratur.

Reſp: *Faciet Maieſtas Regia, & nemini Ciuium literas Moratorias dabit, niſi qui fortunæ aduerſæ caſu bona amiſerint, & de amiſſis teſtimonium à Senatu habuerint, eoq; nomine cõmendati fuerint.*

XVII.

Quod Ciues quorum controuerſiæ per legitimas appellationes ad vltimæ quam vocant Inſtantiæ cognitionẽ deuolutæ ſunt, varijs donatiuis ac impenſis vehementer exhauriuntur, nec quiſquam ferme tam iuſtam defendit cauſſam, quam nihilominus pecunia ſtabilire nõ cogatur.

Reſp: *Mandabit Maieſtas Regia, vt vnicuique Ius & Iuſtitia adminiſtretur citra præiudicium quorumuis.*

XVIII. & XIX.

Quod actiones Criminales contra vetuſtiſſimas Ciuilium Iudiciorum libertates & inueteratam conſuetudinem ad Regium tribunal reuocentur.

Quod, cum rei criminum ad ſubterfugiendam pœnam friuolas interponunt appellationes, ad maliciam fouendam præſidijs publicarum literarum, mandatorum, exemptionum & inhibitionum adiuuentur.

Reſp: *Appellationes & reuocationes non admittantur in cauſis maleficiorum recentis criminis, Executionis rei iudicatæ per Mtẽm Regiam, & q̃ tranſierunt in rem iudicatam, præterea in acceſſorijs vim tamen diffinitiuæ non habentibus.*

Quod

XX.

Quod contra Priuilegij præſcriptum, quo Burggrabio & Senatui cura bonorum Caducorum & Naufragorum demandata fuit, nihilominus ſuperioribus annis Fiſcalis ſe ingeſſit, qui prætextu caducorum etiam Eccleſiaſticis bonis manum admouere conatus eſt. Idq; moleſtius eo ferunt Ordines, quod cum idem Fiſcalis nec Ciuis ſit, nec onera Ciuilia præſtet, ciuilibus tamen commercijs vtatur fruatur.

Reſp: *Curabit Maieſtas Regia, ne Fiſcalis metas officij ſui excedat, Is verò dabitur vir bonus et poſſeſſionatus.*

XXI.

Maximo damno publicum ærarium afficitur, quod centena millia Thalerorum, quæ Sereniſſimo Regi piè defuncto in vſum Magni Ducatus Lithuaniæ mutuo data ſunt, hactenus non reſtituantur, neque Monaſteria quæ hypotecæ ſunt, obligationi pignoraticiæ ſatiſfaciant, quinimo eorum adminiſtratores præter ius pignorum bona Monaſtica paulatim imminuere dicuntur, & plerunque alijs in rebus Ordinum commodis parum ſtudere videntur.

Reſp: *Ad Conuentum reijcitur iſte Articulus.*

XXII.

Quod item reditus ſemeſtres ex Arenda Thelonei Caunen per aliquot iam annos, quibus multorum millium ſumma nunc excreuit, hucuſque non inferantur,

 cum

cum ingenti Ciuitatis detrimento q̄ interim mutuatæ ſortis nomine non exiguas vſuras quotannis p̄ſtare tenetur.

Reſp: *Similiter ad Conuentum reijcitur.*

XXIII.

Nihil fermè magis omnium Ciuium animos exacerbauit, quam quod in ſuburbio à Scotis denominato ciuilia cōmercia & oīs generis opificū artificia hactenꝰ tractata, vſurpata & exercita, contra Terrarū libertates publicas, & expreſſum huius Ciuitatis priuilegiū in damnum multorum mercatorum ciuium & plerorumq; Contuberniorū perniciem. Quod vt aboleretur aliquando ſæpius à Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo VVladiſlauien̄ precibus efflagitatum eſt, quibus neglectis nunc demum, quamuis abſque Ordinum ſcitu, plebe propter publicas etiam poſſeſſiones deuaſtatas & exuſtas concitata, ignis iniectus eſt.

Reſp: *Is Articulus ad Priuilegia aliorum ſpectat, propterea abſente vna parte decerni quicquam non poteſt, ſeruari tamen debet, ſi quid eſt Priuilegijs & vſu bono approbatum.*

XXIIII.

His accedit, quod in Monaſterijs, Parochijs, Domo Cartuſianorū, & alibi, opifices qui artes manuarias exercent, nec ex Contuberniorū corpore ſunt, immunes à Ciuilibus functionibus cum ſummo contuberniorum præiudicio tolerantur, fouentur & recipiuntur.

Nihil

Reſp: *Nihil fiat contra iura & Priuilegia, iure tamen agatur.*

XXV.

Quod Officialis Ciues vtriuſque ſexus in cauſis matrimonialibus extra Ciuitatem in alienum forum euocet, quod nec iure nec legibus Ciuitatis illi cõpetere certum eſt.

Reſp: *Articulus iſte pertinet ad forum Eccleſiaſticum, de eo plenius informari vult per Dominũ Epiſcopum Cuiauieñ Maieſtas Regia, & conſtituet quod erit iuſtiſsimum, vſus tamen & conſuetudo recepta ſeruetur.*

XXVI.

Quod in villa Epiſcopali Stoltzemberg *plerisq; facinoroſis, furibus, latronibus, decoctoribus, homicidis voluntarijs, modo habeant quod dent, cõtra præſcriptum diuini pariter & humani Iuris, cum ſumma ciuilis Iurisdictionis iniuria receptus, præſidium, et ſecuritas p̃ſtatur.*

Reſp: *Si abuſu hoc inoleuit, tolli debet, Si Priuilegio nititur, ſeruandum eſt, Iure tamen in talibus agendũ eſt.*

XXVII.

Idem fermè in Oliuenſi Monaſterio moris eſſe cæpit, vt ibidem decoctores, ſeditioſi, proſcripti, & quibuſcunq; ſaltem inſtitutum eſt Magiſtratum Ciuitatis calumniandi & traducendi, recipiantur, & eò tanquam ad impunitatis aſylum confugiant. Conqueruntur etiam Ciues, Abbatem eius Monaſterij tam ab Hoſpitalibus, quàm priuatis etiam perſonis contra prædeceſſorum literas & monimenta iniquè admodum agere.

cum ingenti Ciuitatis detrimento q̃ interim mutuatæ ſortis nomine non exiguas vſuras quotannis p̃ſtare tenetur.

Reſp: *Similiter ad Conuentum reijcitur.*

XXIII.

Nihil fermè magis omnium Ciuium animos exacerbauit, quam quod in ſuburbio à Scotis denominato ciuilia cõmercia & oĩs generis opificũ artificia hactenus tractata, vſurpata & exercita, contra Terrarũ libertates publicas, & expreſſum huius Ciuitatis priuilegiũ in damnum multorum mercatorum ciuium & plerorumq́; Contuberniorũ perniciem. Quod vt aboleretur aliquando ſæpius à Reuerendiſsimo Domino Epiſcopo VVladiſlauieñ precibus efflagitatum eſt, quibus neglectis nunc demum, quamuis abſque Ordinum ſcitu, plebe propter publicas etiam poſſesſiones deuaſtatas & exuſtas concitata, ignis iniectus eſt.

Reſp: *Is Articulus ad Priuilegia aliorum ſpectat, propterea abſente vna parte decerni quicquam non poteſt, ſeruari tamen debet, ſi quid eſt Priuilegijs & vſu bono approbatum.*

XXIIII.

His accedit, quod in Monaſterijs, Parochijs, Domo Cartuſianorũ, & alibi, opifices qui artes manuarias exercent, nec ex Contuberniorũ corpore ſunt, immunes à Ciuilibus fũnctionibus cum ſummo contuberniorum præiudicio tolerantur, fouentur & recipiuntur.

Nihil

Reſp: *Nihil fiat contra iura & Priuilegia, iure tamen agatur.*

XXV.

Quod Officialis Ciues vtriuſque ſexus in cauſis matrimonialibus extra Ciuitatem in alienum forum euocet, quod nec iure nec legibus Ciuitatis illi cõpetere certum eſt.

Reſp: *Articulus iſte pertinet ad forum Eccleſiaſticum, de eo plenius informari vult per Dominũ Epiſcopum Cuiauieñ Maieſtas Regia, & conſtituet quod erit iuſtiſſimum, vſus tamen & conſuetudo recepta ſeruetur.*

XXVI.

Quod in villa Epiſcopali Stoltzemberg *plerisq; facinoroſis, furibus, latronibus, decoctoribus, homicidis voluntarijs, modo habeant quod dent, cõtra præſcriptum diuini pariter & humani Iuris, cum ſumma ciuilis Iuriſdictionis iniuria receptus, præſidium, et ſecuritas pſtatur.*

Reſp: *Si abuſu hoc inoleuit, tolli debet, Si Priuilegio nititur, ſeruandum eſt, Iure tamen in talibus agendũ eſt.*

XXVII.

Idem fermè in Oliuenſi Monaſterio moris eſſe cæpit, vt ibidem decoctores, ſeditioſi, proſcripti, & quibuſcunq; ſaltem inſtitutum eſt Magiſtratum Ciuitatis calumniandi & traducendi, recipiantur, & eò tanquam ad impunitatis aſylum confugiant. Conqueruntur etiam Ciues, Abbatem eius Monaſterij tam ab Hoſpitalibus, quàm priuatis etiam perſonis contra prædeceſſorum literas & monimenta iniquè admodum agere.

Reſp: *Abbas cum ſui iuris ſit, iure cum eo agi debet, Nihilominus tamen in eo, quod ad eum pertinet, admonebitur.*

XXVIII.

Exemplo perniciosum eſt & libertati publicæ maximè contrarium, quod in fluuio Iſtulæ libera nauigatio ſusq; deq; terrigenis inhibetur, rapinæ exercentur, homines non vulnerantur modo ſed etiam trucidantur, & ea qui committunt, Regÿs etiam diplomatibus ſe tueri non erubeſcunt.

Reſp: *Maieſtas Regia iuxta Statutorum & Conſtitutionum Regni præſcriptum ſe conſeruabit, iuſticiamq; conquerentibus adminiſtrabit.*

XXIX.

Graue illud etiam quod Ciuitati & eius ſubditis in piſcatione fluminum, aquarum & lacus Haab*, ab ÿs qui vicina prædia poſſident, variæ iniuriæ & impedimenta inferantur, quorum omnium cauſſæ ad ius Arcis Mariemburgenſis perperam detorquentur.*

Reſp: *Commiſſarios deputabit Maieſtas Regia, quibus hoc officium demandabit, vt Priuilegia videant, conſuetudines diſpiciant, & ad Maieſtatem Regiam referant, id deinde conſtituetur, quod erit æquum & iuſtum.*

XXX.

Item quod Ciues noſtri in Regno Poloniæ propter aliena debita contra pacis perpetuæ pacta detinentur, areſtantur,

ſtantur, eorum pignora capiuntur, ijſdem nouæ vectigalium exactiones obtruduntur. Sic non ita pridem colore thelonei non ſoluti merces Lindenſium vi captæ, alijs alibi conductitiæ Cameræ occluſæ, merces pignoratæ, aliaq́ eius generis iniuriæ paßim illatæ.

Reſp: *Concedit Maieſtas Regia, vt iure agatur ſi quis eſt affectus tali iniuria, non vult enim vt in Regno ſuo hoc admittatur contra iura & omnem æquitatem. Neque quiſquam hoc audeat facere, niſi prius conteſtatus fuerit litem in foro fori.*

XXXI.

Præterea non Ciuitas ſolum, ſed priuatim etiam ex Ciuibus nonnulli graui & irrecuperabili damno afficiuntur, qui pro Sereniſsimo Rege defuncto vel pecunias ſuas expenderunt, vel fidem ſuam interpoſuerunt, Nam dum hoc obſequij genus ſingulari gratificandi ſtudio Maieſtati eius præſtiterunt, ipſi viciſsim non varijs ſolum moleſtijs debitorum illorum nomine diuexantur, ſed etiam neq; de ſolutione ſortis neq; compenſatione damnorum & fidei ſuæ liberatione, certi quippiam cõſtitutum vident, qua in re ne officium illis ſuum damnoſum ſit, ſed indemnitas potius rectè præſtetur, ipſa æquitatis ratio demonſtrat.

Reſp: *Ad Comitia differendum cenſuit hunc Articulum Maieſtas Regia.*

XXXII.

Tandem Ciuitatis ærario perdifficile eſt quotannis

etiam

etiam abſente Regia Maieſtate Stationem trium dierum pendere, cum id antiquitus & in hac Ciuitate, & nunc etiam in alÿs, tum demũ cum præſens eſt Regia Maieſtas fieri conſueuerit. Quamobrẽ petunt Ordines etiam huius Ciuitatis hac in parte ſumptus ad exemplum cæterarum Ciuitatum benignè moderari.

Reſp: *Quæ Regalia ſunt, & Maieſtatis Regiæ dignitatem, ipſiusq́ Ciuitatis officium concernunt, ea Ciuitas libenti animo præſtare debet.*

In quorum omnium fidem & euidentius teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcripſimus & Sigillum noſtrum apprimi iuſſimus. Datum Bidgoſtÿ die octaua menſis Ianuarÿ Anno Domini M. D. Lxxvij. Regni verò noſtri anno Primo.

Stephanus Rex.

EX *quibus cum intelligeremus, eaſdem Conditiones Ciuitati pquàm difficiles ac oneroſas, præſertim quod ad portorium attinet, magis ac magis vrgeri, cætera verò quæ maximè Ciuitatem premunt, quorum in his actionibus præcipua cauſa eſt, in longiorem cognitionis diem, dubio ſanè euentu, prorogari, neceſſarium exiſtimauimus Syndicum noſtrum (Roſenbergius enim in aduerſam valetudinem inciderat) denuò cum nouis Inſtructionum literis, & cæteris quæ ſequuntur ablegare.*

Inſtru-

INSTRVCTIO INTERnuncijs Ciuitatis Gedanenſis Spectabilibus Dominis Cōſtantino Ferbero Præconſuli, & Heinrico Lembken Syndico, data die xviij. Ianuarij Anno 1577.

QVas conditiones Regia Maieſtas Dominus noſter clementiſsimus, ad ea quæ Ciuitatis huius Ordines nuper humilimo obſequendi ſtudio obtulerant, denuò proponere iuſſerit, ex relatu Georgij Roſembergij, & Doctoris Heinrici Lembken abunde cognouimus. Cæterū cum adhuc eius eſſe generis videamus, vt omnes longè Ciuitatis vires ac facultates excedant, neceſſarium nobis viſum eſt, iterum nunc ipſi Regiæ Maieſtati rerum harum difficultates, humillimo ſubiectionis ſtudio, fuſius exponere. Certiſsima nitentes ſpe, Regiam eius Maieſtatem, cum afflictiſsimas Ciuitatis rationes ad animum clementiſsimè reuocare dignata fuerit, nihil durius præter id, quod facere poſſumus, exacturam. Hac de cauſſa literas ad eius Maieſtatem perſcripſimus, in quibus rem omnem, quatenus Ciuitatis intereſt, prolixius oſtendimus. Si quid ijs fortaſſe deerit, vel præterea quicquam dubitationis inciderit, Internuncij pro ingenij ſui dexteritate, ex alijs etiam quæ ſatis ipſis conſtant argumētis, ſupplere poterunt. Enimuerò iam ab initio nihil cōmodius ad expedienda Ciuitatis

negocia cenſuimus, idq́ ſæpius humilimè petiuimus, quàm vt Internuncij cum ipſamet Regia Maieſtate rem tractarent & componerent. Experimur enim per interpoſitas perſonas non eo modo ſemper agi, quo Ciuitatis rationes fierent meliores, quinimmò per interpretum diſceptationes vno facile verbo peccari, & maiores offenſiones excitari poſſe. Quapropter alteras etiam ſcripſimus literas, de Internuncijs in conſpectum Regiæ Maieſtatis admittendis. Adiunximus Reſolutionem grauaminum ad reſponſi nobis miſsi capita repetitam.

Proinde mandant Ordines omnes Internuncijs, vt binas eas literas, cum repetita grauaminum publicorum deſcriptione, ipſi Regiæ Maieſtati, nec alij cuiuis, ad manum exhibeant, & Ciuitatis rationes coràm accuratius exponant. Regia Maieſtas dubio procul eam clementiam, quæ cæteris omnibus ſuis ſubditis, quinetiam barbaris ac alienis à nomine Chriſtiano patet, huic etiam ſuæ Ciuitati non denegabit, ſed benigniori reſponſo nos clementiſsimè dignabitur. Quod ſi præter expectationem hoc obtineri non poſsit, vt Regiam Maieſtatē coràm alloquātur, cum alio nemine quicquam porrò tractabunt, literas Reuerſales, & reſpōſum Regium ad grauamina publica nuper tranſmiſſum, neutrum enim ex re Ciuitatis eſſe videtur, ijs à quibus acceperunt, reſtituent, ac humilimè precabuntur, vt eadem qua venerunt ſecuritate domum

mum redire, & de rebus omnibus quæ hactenus in tractationem venerunt, Ordines ſufficienter edocere poſſint.

Etenim niſi negocium, ipſa Regia Maieſtate interueniente, benignius aliquantò, quàm hactenus, componi poſſit, non videmus quid Internuncijs amplius agendum ſit, neque ſanè rebus non compoſitis facultas nobis erit, ea præſtandi, quæ pro tranſactione iamdudum ineunda recepimus. In cuius rei fidem. &c.

Literæ ad Regiam Maieſtatem perſcriptæ.

SErenißime potentißimeq; Rex ac Domine, Dñe clementißime. &c. Quemadmodum nihil hactenus maioribus in votis habuimus, neque nunc habemus, quàm vt. Serenißimæ Regiæ veſtræ Maieſtatis gratiam & clementiam humilimo cum obſequendi ſtudio demereri, & rebus omnibus pacificè compoſitis ſub eiuſdem felicißimo regimine tutò viuere poſſemus: Ita cum ſummo noſtrorum omnium dolore coniunctum eſt, Internuncios noſtros hactenus ad Regiam Maieſtatem veſtram non admiſſos, ſed in continua quaſi cuſtodia detineri, quò minus Maieſtati veſtræ coràm legationem ſuam exponere, & Ciuitatis rationes, pro vt res ipſa poſtulat plenius explicare potuerint.

Etenim benigniſsimè Regia veſtra Maieſtas intelligit, res iſtas quæ per ſe latiſsimè patent, non ſic exactè poſſe per interpoſitas perſonas referri, quàm ſi coràm æquis rationibus vltrò citroq́; tractentur.

Accedit illud etiam ad mœroris noſtri cumulum, quod conditiones denuò nunc propoſitas, eius eſſe generis videmus, vt partim planè ſint nobis impoſsibiles, partim etiam iuribus & priuilegijs Ciuitatis non parum aduerſentur, quod latiori ſcripto Regiæ veſtræ Maieſtati per Internuncios noſtros ſimul exhibendo, luculenter comprobaſſe nos humilimè confidimus. Quæ omnia non alio dicuntur à nobis animo, quàm vt benigniſsimè Regia veſtra Maieſtas intelligat, non minorem nos fiduciam in demerenda eiuſdem clementia & pietate repoſitam habere, quàm in Sereniſsimis Regibus Anteceſſoribus experti ſumus, nec vt eam integram perpetuò conſeruemus, quicquam in nobis fidei, virium, vel facultatũ deſiderari meritò patiemur.

Quapropter iterum atque iterum humilimis precibus ſupplicamus, clementiſsime dignetur Regia veſtra Maieſtas Internuncios noſtros exponendæ legationis cauſa nunc etiam admittere, & iiſdem pro rebus noſtris cõmunibus, quod æquitati Regiæ maximè cõuenit, alteram aurem accõmodare: Georgium vero Roſenbergium, qui domum rediens præter omnem expectationem in aduerſam valetudinem incidit, clemẽtiſsimè excuſatum habere,

cæteros

cæteros etiam quā primum benigniſſimo cum reſponſo domum remittere. Deinde cum Regia veſtra Maieſtas clementiſſimè receperit, ſe Ciuitatis iura, libertates, & Priuilegia confirmaturam, eaq́ ſarta tecta ſemper habiturā, iiſdem precibus humilimè obſecramus, vt eadem benignitate & manſuetudine, ſubditis ſuis fideliſſimis eas conditiones, quibus ferendis pares non ſunt, quæq́ iuribus, priuilegijs & libertatib. eorum maximè præiudicant, clemētiſſimè remittat, ac cum ſubditis ſuis ita potius agat, vti clementiſſimum & chriſtianiſſimum principem decet, pro celeberrima Regiarum virtutum cōmendatione, id enim ad perpetuā celeberrimi nominis memoriam longè clariſſimum eſt, quàm vt eoſdem præter vires & facultates ſuas premi vel affligi patiatur: Tandem etiam vt militem ſuum ab incendijs & populationibus, quæ quotidie nunc etiam exercentur, prohibere, & ſemotis belli terroribus eas rationes clementiſſimè ſuſcipere dignetur, quib. cum Regiæ veſtræ Maieſtatis paterna clementia, res Ciuitatis quàm optimè conſtantiſſimeq́ poſſint conciliari.

Quo quidem benignitatis genere Regia veſtra Maieſtas, nos omnes cum poſteris noſtris, hoc ſemel beneficio deuinctos, ad oīa de cætero fideliſſimæ ſubiectionis et fidei obſequia gratiſſima longè longeq́ reddet ſibi deuinctiores. &c. Datum Gedani die 18. menſis Ianuarij Anno Domini M. D. Lxxvij.

Alteræ literæ, quibus ad propoſitas Conditiones reſpondetur.

Sereniſſime potentiſſimeq́ Rex ac Domine, Dñe clementiſſime, &c. Quid Sereniſſima Regia veſtra Maieſtas ad proximas Ordinum huius Ciuitatis petitiones reſponderit, quaſq́ conditiones denuò propoſuerit, Ordines ex Internunciorum relatu ſatis intellexerunt, & præſentis negocij magnitudine permoti; facere non potuerunt, quin Regiæ veſtræ Maieſtati rerum illarum difficultates, quibus Ciuitas afficitur; hiſce literis iterum humilimo cum ſubiectionis ſtudio latius nonnihil exponerent.

Ac principiò, cum Regia veſtra Maieſtas clementiſſimè receperit, ſe Ciuitatis iura, libertates, & priuilegia confirmaturam, eaq́ ſarta tecta ſemper habituram (quod ipſum Ordines gratiſſimo complectũtur animo, ſummoq́ fidelitatis ſtudio promereri perpetuò conabuntur) eò minus dubitãt, quin Regia veſtra Maieſtas, eadem benignitate, ac manſuetudine, ſubditis ſuis fideliſſimis, eas conditiones, quibus ferendis pares non ſunt, quæq́ iuribus, priuilegijs, & libertatibus eorum maximè præiudicant, clementiſſimè remittet, ac cum ſubditis ſuis ita potius aget, vti clementiſſimum ac chriſtianiſſimum principem decet, id enim ad perpetuam celeberrimi nominis eius memoriam longè clariſſimum eſt, quàm vt eoſdem præter vires & facultates premi vel affligi patiatur.

Deinde

Deinde cum ex Internuncÿs intellexerimus, non eam eſſe Regiæ Maieſtatis veſtræ mentem, vt eas pecuniarum ſummas, ob Ciuitatis aliquod delictum, poſtulare velit, quod ipſum eò gratiore cum humilitatis obſequio complectimur, quò magis omnibus conſtat, hoc quicquid eſt vel difficultatis vel offenſionum, ex Electionis diuerſitate, qua plures etiam Regni Ordines inter ſe diſſenſerunt, profectum fuiſſe, neque nos certè minori cum ſtudio ſubiectionis fidem, quàm cæteri declarauimus: Sed velle potius Regiam Maieſtatem veſtram eas ſibi pecunias præſtari, partim quod Ciuitatis obſequium magis teſtatum habere cuperet, partim vt ſuperiori placationis pacto ſatisfieret: Quare ſi ſuperioribus hoc modo ſatisfaciendũ ſit, non poterunt illa ſimul etiam ad vlterius aliquod grauamen, vel debitum Ciuitatis, Ordinibus imponi.

Nam quod ad eius placationis pactũ attinet, clemẽtiſſimè dignetur Regia veſtra Mtãs ad animũ inducere, nobis in ea ꝑtractanda cum ſolo Sereniſſ: Rege Diuo Sigiſmundo negociũ fuiſſe, cum ob eius offenſam, quam ꝓpter excluſos Cõmiſſarios ſuos conceperat, cui tamen excluſioni cauſſam ipſimet præbuerant placandam, tum ad grauaminum publicorum abolitionem eò facilius obtinendam: In omnibus autem illis actionib. neq; Regni neq; Mtĩs illiꝰ hæredũ, neq; ſucceſſorũ, vel minimo verbo facta fuit mentio, nedum vt horum reſpectu quicq̃ cõtractũ fuerit, quod ex ipſo placationis ſcripto ſatis dilucide cõſtat. Teſtabãtur idipſum Dñi Cõmiſſarÿ coram Ordinib. palàm ꝓfitentes,

dignitatem

dignitatem ſolius Regiæ Maieſtatis agi, ſibi cum Ordinibus & Ciuibus controuerſiam nullam eſſe, ſuperiorum ſe libēter obliuiſci, iniurias quæ ſibi factæ fuiſſent, vt Chriſtianos decet, benignè ſe condonare, daremus ſaltem operam placandæ Regiæ Maieſtatis, quæ vehementer iſthoc facto fuiſſet offenſa. Neque verò placationis modum Ordines adeò purè, ſimpliciter & indefinitè, vti poſtea præter cōtrahentium mentem aliorſum accipi cæpit, cum Dominis Cōmiſſarijs inierunt, ſed vt vel ad certum tempus, vel quoad in viuis eſſet Regia Maieſtas, eidem præſtaretur: tum autem vt vſus iurium, priuilegiorum, libertatū & conſuetudinum integer eſſet, & viciſſim omnia grauamina penitus abolerentur, Ordines diſertè ſibi præſeruarunt. Ac quanq̄ iſtæ conditiones omnes in placationis ſcripto non ſint expreſſæ (ſuadebant enim Cōmiſſarij nō tam vrgenter inter principem & ſubditos agendum, ſed pro grauaminibus abolendis ſupplicandum potius) diſertè tamen ijdem Cōmiſſarij placationis modum non ſecus, ac Ordines petiuiſſent ijſdemq́ cōditionib. acceptum, grauamina quoq́ per Regiam Maieſtatem abolitum iri, promittebant. Hac Ordines adducti fiducia, placationis legem acceperunt, addita ſpeciatim cōditione, niſi pacto ſatiſfieret, ne ſe quidem obligatos fore promiſſo quod obtuliſſent adimplendo. Atque hoc ipſum eſt quod in fine placationis affirmant, niſi hoc modo Ciuitati cōſuleretur, ſibi etiam ad implenda promiſſa rem futuram eſſe grauem

nimis

nimis ac planè difficilem. Quinimò paulò pòſt Internunciys ſuis ad Regni Comitia VVarſouiam miſſis, eas ipſas conditiones nominatim in mandatis dederunt, eò expreſſe addito, vt cum Internuncij placationis ſcriptum exhiberent, ſimul etiam Ciuitati Reuerſalibus literis in eas conditiones caueretur, priusq̃ Ordines ad præſtandum promiſſum obligarentur. Præterea, ipſi Sereniſſimo Regi auguſtiſſimæ recordationis, nō ſemiſſe eius portorij (quod Pfalgeldum vocant) prout antiquitus, Ordinis Mariani temporibus, in hunc vſque diem Ciuitas illud percipit, ſed eiuſdem auctionem, ab eodem Diuo Rege conſtituendam, Ordines ita conceſſerunt, ne quid Ciuitatis iuri quod iam antea ſemper vſurpaſſet, neúe prouentibus eius quicquam decederet. Cæterum quo minus iſthæc auctio deinceps effectum ſortiretur, ipſius Regiæ Maieſtatis conſilio prudētiſſimè factum eſt, quod ſatis animaduerteret, aucto portorio, non cōmercia ſolum externa longè magis ac magis hinc abalienari, ſed etiam alibi Ciuium noſtrorum naues & merces eodem exemplo nouis & duplicatis vectigalibus & exactionibus onerari.

Cum igitur prædefuncta Regia Maieſtas dum inter homines eſſet, auctionem portorij (cuius conſtituendæ ratio ſolius ipſius auctoritatem requirebat) ſponte remiſerit, grauamina verò, de quib. pacti fueramus, non ſolū non abolita, ſed interim multò maioribus etiam & longè pluribus p̄iudicijs, damnis, et expenſis, quàm ex placatione

præſtandum fuiſſet, accumulata fuerint, eoq́ modo conditiones vtriuſque pacti, non ex Ciuitatis debito, ſed ex parte Regiæ Maieſtatis defecerint: ideò certiſſimè ſtatuunt Ordines, ſe poſt defunctam eius Maieſtatem, cuius obitu ſimul negocium hoc ſopitum eſt, nec inclyto Poloniæ Regno, nec alij cuiq̃, eius pacti cõuẽti ratione quicq̃ debituros.

Nedum vt per decreta Comitiorum eam ob cauſam, quacũ illa nihil cõmune vnq̃ habuerunt, ad q̃ nec ordine vocati ſumus, nec qua fide Relatio geſtorũ nobis abſentib. facta ſit ſcimus, quicq̃ contra ius, in totius Ciuitatis infamiam, in detrimentum priuilegiorũ, & cõtra fidem pacti conuenti, poſſit vel debeat Ordinibus imponi vel derogari.

Quapropter ipſam quoque Regiam Maieſtatem veſtram, Ordines & vniuerſi Ciues humilimè deprecantur, ne cauſæ iampridem defunctæ nouam Ordinibus moleſtiam exhiberi, vel inuſitato quopiam præiudicio prouẽtuũ publicorum Ciuitatem aggrauari patiatur, in iure præſertim eius portorij, quod per ſe ſatis eſt exiguum, & cuius impenſis neceſſariò portus, fluminis, ac riparũ ſubſtructiones quotannis ſartæ tectæq́ ſunt habendæ, Nam & in placationis lege, quicquid publico Ciuitatis iuri & conſuetudini in exigendo portorio quibuſuis modis obeſſet, nominatim fuit exceptum.

Neque vero publicis iuribus conſentaneum exiſtimant Ordines, quaſdam earum pecuniarũ ſummas, propter Cõtributiones in Regno laudatas, à ſe poſtulari, cum

quod

quod eiuſmodi Contributiones ad Pruthenos non pertinent, tum quod Status harum Terrarū ad Sereniſſimorū Regum poſtulata, in vſum Reipublicæ, in Conuentionib. harum Terrarū, quoties opus eſſet, à ſeipſis ſuo arbitrio ſoliti ſint conferre. Qua in parte quemadmodum ſemper hactenus hæc Ciuitas ſeſe promptiſſimam ad obſequia Reipublicæ præſtitit, ſic in poſterū etiam nihil quod æquitatem habeat in ſe merito patietur deſiderari.

Regia vero veſtra Maieſtas aliam inſuper clementiæ laudem admodum liberaliter comparare ſibi poterit, his pecuniarijs oneribus Ciuitatem eò benignius releuādi, nimirum quod ærarium publicum ob pecunias in vſum prædefuncti Sereniſſimi Regis fide ſua mutuatas, æs alienum nō mediocre conflauerit, ſic vt exoluendis vſuris annuis, ſecundum cæteras expenſas publicas, in vniuerſum Ciuiles prouentus vix ſufficiant. Vt taceamus nunc, quib. deinceps ſumptiibus, damna poſſeſſionum publicarum & priuatarum reſarcienda, & fluminis aggeres planè iam deperditi, præſertim ſi fluminis aliqua forſan eluuio metuenda ſit, veniant reparandi.

Porrò quod ad cæteras cōditiones attinet, de quatuor tormentis æneis, quæ maxima poſſit magnitudine, cum neceſſarijs globis & pulueribus tradendis, equidem non ſunt penes Ciuitatem eius magnitudinis tormenta, quibus Regiæ Mti gratificari poſſimus, pleraq; parua ſunt, & ad Ciuitatis in Regni finib. poſitæ pſidiū pluſqàm neceſſaria:

 globorum

globorum autem & pulueris non tanta copia, vt ſi quando neceſſitas poſtulet, non multò pluribus indigeat, itaque perquàm humilimè ſupplicant Ordines, vt Regia veſtra Maieſtas etiam huius conditionis gratiam illis facere benigniſſimè dignetur.

Obijcitur quidē Internuncijs noſtris, non tam inopem à facultatibus Ciuitatem eſſe, quæ militem etiam non neceſſarium alere poſſit: verum libentiſſimè voluiſſent Ordines iſtiuſmodi ſumptibus parcere, niſi varijs minis, iniurijs, excurſionibus, & deprædationibus militum eorum qui Ciuitatis fermè portis imminebant, coacti fuiſſent de ſalute ſua cogitare: Quinimo ne nunc quidem illi prædarum & incendiorum finem faciunt, quantumuis Præfectum illorum ea de re nō ſemel interpellauimus, cuius auctoritatem illi fortaſſis æquè vilipendunt, atque iam antea citra Maieſtatis veſtræ conſenſum & mandatum cætera perpetrarunt. Quæ ſanè licentia, niſi melius de pacifica rerum omnium compoſitione ſperaſſent Ordidines & nunc ſperant, in maius aliquod malum iampridē fuiſſet eruptura.

Interim Internuncij noſtri, quamuis ad frequentes ſupplicationes noſtras, nunquam tamen ſic auditi fuerunt, vt Regiæ veſtræ Maieſtati coràm Ciuitatis rationes exponere potuerint, actiones autem ipſæ per alios interpretes vltrò citroq; habitæ, maioris etiā quàm antea difficultatis eſſe cœperunt. Ex quo vereri coguntur Ordines, Cō-

miſſarios

miſſarios eos, qui iamdudum Ciuitatem in has anguſtias coniecerunt, etiam nunc fortaſsis operam dare, ne ea quæ in Ciuitatis rem ſunt, ad Regiæ veſtræ Maieſtatis aures vti par eſt perferantur.

Quapropter iterum ac iterum humilimis precibus ſupplicant Ordines, dignetur Regia veſtra Mtās Internūcios noſtros benigniori deinceps gratia proſequi, & exponendæ legationis ſuæ cauſſa, quod cum Ciuitatis commodo fiat, aditum ad ſe clementiſsimè concedere: tum illud etiam ex Regia manſuetudine benignius proſpicere velit, vt & à quotidianis rapinis ac deuaſtationibus tandem aliquando temperetur, & miles ex prouincia deducatur, nimirum vt nos itidem hac ratione militem noſtrum eò cōmodius exauctorare poſsimus: tandem vt abolito proſcriptionis decreto, libera nobiſcum cōmercia tam Regni quam harum Terrarum incolis benigniſsimè reſtituantur.

Demum quod ad grauaminum deſcriptionem, & Reuerſales de iiſdem abolendis literas attinet, non poſſumus non ſummo cum dolore noſtrorum omnium deplorare, pleraq; grauaminum illorum quæ maximè Ciuitatem premunt, eiusq; iuribus priuilegiis et libertatibus ſummopere præiudicant, ad Comitia fermè reiici, perexigua ſanè ſpe abolitionis eorundem nobis relicta. Quæ tamen eius ſunt generis, vt niſi Ciuitas ab illis exoneretur, in iis nunc etiam implendis Ordines, quæ ſe præſtituros receperant, rem impoſsibilem planè ſibi propoſitam videant.

Enimuerò, ſi iurium & priuilegiorum ſarta tecta'q; ſit auctoritas, vt clementiſsimè Regia veſtra Maieſtas recepit, et apud Sereniſsimos Anteceſſores ſemper rata fuit, (niſi quantum impedimenti nouiſsimis Comiſsionum & alijs quibuſdam actionib. illatum meminimus) nihil certè magis æquitati conuenit, quam vt iiſdem contraria, ipſo iure præter Comitiorum etiam cenſuram, nullius habeantur momenti. Nam cum Ordines nullum ſciant penes ſe priuilegium quod illegitimum ſit, nullum itidem ex aduerſo grauamen legitimè videri poterit obtruſum.

Itaque maximis quàm poſſunt precibus hanc etiam ob cauſam Ordines obſecrant, dignetur clementiſsimè Regia veſtra Maieſtas Reuerſalibus ſuis literis ita Ciuitati ſuæ cauere, vt omnia & ſingula grauamina, quæ Ciuitatis iuribus, priuilegijs & libertatibus fraudi, detrimento, vel præiudicio fuerint, quæ ſpeciatim ex adiuncta deſcriptione demonſtrari poſſunt, per hos ipſos tractatus abolita, caſſa, & penitus irrita pronūcientur: Præſertim quod ex proximo Comitiorum decreto Regiæ veſtræ Maieſtati poteſtas integra cum Ciuitate tranſigendi ſit commiſſa.

Si qua verò, quod minimè ſperamus, ex ſuperiorib. petitionibus noſtris, Regiæ Mtī veſtræ non omnino ſatisfecerit, illud eiuſdem manſuetudini & apud oēs celebratiſsimæ fuerit æquitati maximè conſentaneū, vt clemētiſsimè dignetur, quibuſdam non ſuſpectis tam Regni quam

Pruſsiæ

Pruſſiæ Conſiliarijs, quibuſcum alioquin ex priuilegij publici præſcripto cauſſæ tam̃ notabiles tractandæ determinandæq; ſunt, negocium dare, qui res per ſe tam difficiles & implicatas accuratius inueſtigẽt, qui nos rationesq; noſtras non minus ac Cõmiſſarios ipſos audiant, & de rebus omnibus plenius cognitis ad Mtẽm veſtram bona fide referant. Nos ita ſummum Deum, occultorum quorumcũq; conſcium, ita Maieſtatem veſtram ꝓpitios nobis fore certò confidimus, quò planum ac manifeſtũ omnibus fiat, Ciuitatem in ſuperiorum actionum progreſſu, non iniurijs minus aduerſariorum, quam varijs paſſim p̃iudicijs, extra meritum fuiſſe vehemẽter oneratã ac penè nõ oppreſſam.

Quod ſupereſt, quandoquidẽ Ordines iuxta formam Inſtructionis Internuncijs nouiſſimè datam, maiori penè præſtationis ſeſe munere obſtrinxerunt, quàm in Ciuitatis facultatibus ſit: Status etiam harum Terrarum, in Ciuitatis ſubſidium, inſuper centena millia florenorum adijcienda receperint, quod dubio procul ad Regiam veſtram Maieſtatem per Internuncium ſuum ex Conuentu Grudentinenſi iampridem retulerunt, Idcirco nunc etiam iterum ac iterum humillimis quibus poſſumus ac debemus precibus ſupplicamus ac obteſtamur, vt Sereniſſima Regia veſtra Maieſtas clementiſſimè annuat, pro pacifica rerum omnium compoſitione, quæ nunc in offenſis ſunt, eo humilimi obſequij genere ducentorum millium floren-

um florenorum, quod noniſſimè obtulimus, cum annexis conditionibus, & ſolutionum terminis (nec enim breuioribus penſionibus tantam ſummam comparare, nec publicè nec priuatim, poſſumus) ſibi penitus ſatiſfieri, eaq́ in parte liberalitatē & māſuetudinem ſuam Regiam pluris habere dignetur, quàm vt in his rei nummariæ difficultatibus ad impoſſibilia Ciuitatem adigi patiatur: cæteras autem conditiones, partim extra vires facultatū poſitas, partim etiam iuribus, priuilegijs & libertatib. eius cōtrarias, benigniſſimè relaxare: Tandem etiam pro indulgentia ſua erga fideliſſimos ſubditos planè paterna, ſine armorū vlteriori ſtrepitu, & funeſto ſubditorum detrimento, rebus pacatè tranſactis, ſub feliciſſimo regimine Mtis veſtræ, nos, vnà cum omnibus Regni & harum Terrarum incolis, pace, tranquillitate, iuribus, & libertatibus, publicè & priuatim, gaudere, vti fruiq́ clementiſſimè permittat.

Hoc quemadmodum longè Maieſtati veſtræ laudabilius eſt, beneuolentia ſubditos deuincere potius, quam duriori quapiam tractatione, ſpem omnem clementiæ regalis præcidere, ita hoc benignitatis genere ſummam & immortalem à nobis & poſteris noſtris omnib. pietatis & manſuetudinis laudem comparabit, & quo benignius & liberalius nobiſcum aget, eò Ciuitatis omnes incolas ad perpetuam fidem, & promptiſſima ſubiectionis obſequia ſibi reddet magis magisq́ deuinctiores &c. Datum Gedani die xvij. Ianuarij Anno Domini M. D. Lxxvij.

Reſolutio

Reſolutio Ordinum Ciuitatis Gedanẽſis, ad propoſita incõmodorum atque difficultatum Capita.

CVm Sacra ac Sereniſſima Regia Maieſtas Dominus noſter clementiſſimus, in cuius ſingulari clemẽtia ac æquanimitate ſpem magnam ſemper repoſitam habuimus, clementiſſimè non ſemel polliceri dignata fuerit, quod omnes ex æquo Regni Poloniæ ac cæterarum illi adiunctarum prouinciarum incolas, penes iura, Priuilegia, libertates ac antiquas conſuetudines conſeruare ac tueri benigniſſimè vellet: Nos etiam ea ſpe freti incõmoda atq; difficultates omnes, quibus hæc Ciuitas hactenus contra iura, Priuilegia, atque antiquas conſuetudines grauata fuit, per Internuncios noſtros in proximis Comitijs Thorunẽn exhibuimus, ac humillimè & ſuppliciter rogauimus, dignaretur Sacra Regia Maieſtas incõmoda illa atq; difficultates quæ contra iura atque Priuilegia noſtra paulatim irrepſerant, pro munificentia ſua Regia ex plenitudine poteſtatis clementiſſimè abrogare, vt tandem certa quædã eſſet Priuilegiorum ac libertatum noſtrarum ratio, ne ancipites ꝓpterea animos quotidiè tenere cogeremur. Verum vbi animaduertimus Sacram Maieſtatem Regiã ad quædam eorum incõmodorum capita clementiſſimè reſpõdiſſe, quædam vero in medio reliquiſſe, aut ad futura Regni Comitia, tanq̃ ea in quibus aliquod adhuc verteretur

dubium reieciſſe: facere non potuimus, quin ſalua Sereniſſimæ Mtis Regiæ pace ac clementia, ea breuibus hîc repeteremus, atq; oſtenderemus ea ex iurium Priuilegiorum ac antiquiſſimarum cõſuetudinum fontibus deducta, tam eſſe liquida & manifeſta, & in Sereniſſima Regiæ Maieſtatis poteſtate ac arbitrio, vt ea quandocunq; velit abroget & aboleat ita poſita, ne vlla vel prorogatione vel ad Regni Comitia reiectione opus ſit. Atque cum ad quædam capita ita reſpõſum fuerit, vt latiori deductione opus eſſe exiſtimemus, quædam vero ſilentio omnino tecta atq; præterita ſint, nos ſingula, vbi id neceſſitas exigere viſa fuerit, repetere conſtituimus.

I.

Ac principio de pace Religionis nobis ita cautum eſſe humilimè petimus, vt Auguſtanæ Confeſſionis vſu tam in ciuitate quam extra muros in eius diſtrictu pacificè quietè ſine vllo cuiuſuis impedimento, quemadmodum nunc vtimur, & in eius pacifica poſſeſſione in omnib. templis, monaſteriis atque xenodochiis ſumus, frui poſſimus, neúe cuiquã Religionis ergò moleſtia vel negotium exhibeatur, neúe in templis ritus ceremoniarum immutentur, quemadmodum id Mtãs Regia tam in Tranſyluania quã poſtea & Cracouiæ iuramẽto ſuo cõfirmare dignata fuit.

II.

Demiſſiſſimè petimus ac ꝓſeruamus nobis, ne quid eorum quæ vel in Electionis acciderunt negotio, vel diſsidium illud quoquo modo ad hanc vſq; diẽ ſubſecuta ſunt,

neque

neq́ Ciuitati publicè, neq́ priuatī cuiq́ fraudi, periculo, detrimento ſint: Vtq́ Regia Mtās, ſi eam ob cauſsā Ciuitati vis hoſtilis, iniuria vel damnū importabitur, indemnitati publicæ priuatæq́ clementiſsimè proſpicere digneur.

III.

Non iniquum etiam exiſtimamus, vt omnia & ſingula Ciuitatis Priuilegia in eorum quibus data ſunt fauorem & emolumentum potius interpretentur, quam in eorundem læſionem vel præiudicium, quod hactenus nō ſemel factum eſt, detorqueantur: nedum ad eam conditionē redigantur, qua vel Regijs literis, Mandatis, aut Decretis aboleri, vel tanquam legitimè non obtenta quoquo modo poſsint in dubium vocari.

IIII.

Meminimus etiam cum D. Sigiſmundus Auguſtus inclytæ recordationis in hanc Ciuitatem Anno Lij. numeroſo comitatu aduenißet, ſtatum Ciuitatis, alioquin per Dei gratiā tranquillū nō mediocriter pturbatum fuiſſe, non quidem ob comitatū ipſius Regiæ Mtīs, ſed plærorūq́ Regni Procerum, qui magnā turbam ſuorum familiariū ſecum ducere cōſueuerunt, inter quos & ciues huius vrbis ac reliquos peregrinos, quorū ex omnib. fermè nationibus magna eſt copia, varia paſsim diſsidia, rixæ, ac cædes oriebantur. Quorum ne quid nunc accidat, humilimè iterum atq́ iterum petimus & obteſtamur Mtēm Regiā, vt cum Ciuitatem feliciter ingredietur, comitatus numerū ita moderari clementiſsimè dignetur, ne vel oneri ſit Ciuitati, vel inde maior aliqua pturbatio pueniat.

Kk ij   Cō-

Cōmiſſionem illam, quæ cum ſumma Ciuitatis infamia, publicæ fidei noxa, & fortunarum detrimento ſuperioribus annis agitata fuit, Sereniſſima Regia Maieſtas ad proximè vētura Comitia reÿcere dignata eſt, quod putet de ea ex omnium Ordinum ſententia decernendū eſſe. Verum ſi Maieſtas Regia clementius totius illius cauſſæ ſtatum & ſeriem perpendere dignata fuerit, nihil dubitamus quin ipſamet nobis pro ſingulari ſua æquanimitate adſtipulatura ſit, nulla ad Comitia Regni reiectione opus eſſe. Quorſum enim attinet, iura, Priuilegia, libertates et conſuetudines ſupra hominum memoriam, ſine aliqua interpellatione habuiſſe, ſi quoties hominib: eam fortunam atque felicitatem nobis inuidentibus viſum, ſimul etiam fas ſit, ea omnia infringere, immutare, & ſtatum Ciuitatis omnino euertere, ac poſtea Comitiorum Decreta, quorum promulgationi nunquam interfueris, contra quæ ſolenniter ſemper proteſtatus ſis, obtendere, atq; ita ea quæ maiorum noſtrorum fortunis ac ſanguine parta ſunt eripere, vt nulla vnquam recuperandi ſpes reliqua eſſe videri poſſit, adq; eorum confirmationem Principem rerum illarum omnium ignarum totius Prouinciæ malò impellere. Hæc vt Seneniſſima Regia Mtās ſecum reputaret ab initio ſumma animorū ſubmiſſione rogauimus, verum cum ab omni tractatione & colloquio excluſi fuerimus, nihil amplius hactenus proficere potuimus, quam

quod

quod ad eoſdem indies à quib. ſemel appellauimus, coram quibus ſolenniter ꝓteſtati ſumus, reiecti iterum fuerimus. Quod vero cum iuris ratio non ferat, Maieſtatem etiam Regiam obſecramus & obteſtamur, vt tandem clementiſſimam noſtri rationem habere, & Cõmiſſionis illud negotium, in quo multa contra publicas libertates, Priuilegia, & receptas conſuetudines facta ſunt, benigniſſimè ex auguſtiſſimæ poteſtatis plenitudine abrogare dignetur, præſertim cum ipſi Dñi Cõmiſſarij Ordinibus Ciuitatis vt eos tum excluderent anſam multis nominib. ꝓbuerint.

VI.

Non abſimilis eſt placationis illa formula, quæ nobis penè inuitis extorta, & in eum potiſſimum finem conſignata fuit, quod Domini Cõmiſſarij incõmodorum atq; difficultatum abolitionem repromitterent, cum tamen ea, vti conuenerat non abolita, ſed multò magis aucta & accumulata fuerint. Quare nullam cauſam videmus, cur hunc potiſſimum articulum ad Regni Comitia Mtãs Regia reijcere dignata fuerit, cum Dñi Cõmiſſarij diffiteri neutiquam poſſint, ſe potiſſimum contra illius formulæ præſcriptum, fuiſſe accumulandorum illorum malorum præcipuos authores, ita vt coram ſecundò huc miſſis D. Cõmiſſarijs ilicò de placatione illa proteſtati fuerimus, neq; illam vlla ratione recipere vel voluerimus vel potuerimus, vt etiam Sacra Regia Mtãs inclytæ memoriæ Sigiſmũdus Auguſtus eam in medio reliquerit, neq; eius ꝑſtationem à nobis exigere vnq̃ voluerit.

VII.

Portorij maritimi exactionem, ſine qua Ciuitatis rationes conſiſtere nullatenus poſſunt, penes Ciuitatem ſupra hominum memoriam ab ipſo primordio fuiſſe nullum eſt dubium, Quæ etiam ipſi ab omnibus retro Principibus ſingularibus Priuilegiorum et immunitatum diplomatib. confirmata fuit, penes quam Sereniſsimam Mtēm Regiā Ciuitatem ſuam clementiſsimè quoq; conſeruaturam, & Priuilegia illa, quod ſæpè iam recipere clemētiſsimè dignata fuit, nobis benigniſsimè cōfirmaturam eſſe nihil ambigimus, ita vt cauſſa etiam ꝓpter Priuilegia & longiſsimi temporis p̃ſcriptionē nulla, noſtro quidem iudicio ſubſit, cur hic potiſsmum articulus ad Regni Comitia reijci debeat. Quãuis enim maritimi illius portorij ſemiſsē ob certas cauſſas D. olim Sigiſmūdo Auguſto Regi, à quo eius duplicandi facultas conceſſa, ſed poſtea iterum remiſſa fuit, detulerimus, id tamen non niſi ad certum tempus, & quoad ipſe in viuis foret, quantumuis nobis contrarium nunc obijciatur, factum fuiſſe conſtanter adſerimus, Et propterea humillimè iterum atq; iterū rogamus, ne ea quæ cum præfato pientiſsimo Principe ſepulta ſunt, nunc iterum cum Ciuitatis excidio reſuſcitari Maieſtas Regia patiatur, ſed potius nos penes omnia ac ſingula iura & Priuilegia noſtra clementiſsimè conſeruare dignetur.

VIII.

Speculatorum maris mentionem propterea fecimus, vt Mtī R. liberæ nauigationis rationem, & quomodo cū Sereniſsimo Regē Daniæ ob ſpeculatorum factum centum

thalerorum

thalerorum millibus, ad liberandas naues cum mercibus ac nauigationis libertatem, ſummo cum Ciuitatis detrimento depaciſci coacti fuerimus, ob oculos humillimè poneremus.

IX.

Dominorū Cōmiſſariorum Cōſtitutiones nobis reclamantib. & legitimè ꝓteſtantibus editas ꝓpterea recipere non poſſumus, quod nō ſolum aduerſus morē Ciuitatis in maximū p̄iudiciū, iurium, Priuilegiorū, Iuriſdictionis, libertatum ac cōſuetudinum publicarū, nō accedēte cōſenſu illorum quorum intererat Magiſtrat⁹ et Cōmunitatis, fuiſſent ꝓmulgatæ, verum etiā quod in ijs publica Ciuitatis fides cum ſumma Magiſtratus & ordinū ignominia, non obſcurè notetur & traducatur. Quo nihil nobis omnibus, ꝓpter fideliſſima ſæpè p̄ſtita & in poſterum p̄ſtanda merita accidere potuit, vel indignius, vel ad poſterorū memoriam acerbius: Tantum abeſt vt iſtæ Cōſtitutiones ad retinendā vel ſtabiliendā Ciuitatis incolumitatē, concordiā, et tranquillitatem aliquid roboris adferre poſſint. Proindè cū Sac. R. Mtās ſæpiſſimè verbo ſuo Regio clemētiſſimè receperit, ſe Ciuitatis iura, Priuilegia, libertates et cōſuetudines vndiq; ſartas tectas conſeruari velle, Idcirco iterū ac iterum quantis poſſumus humilimis precib. ſupplicamus, dignetur Sereniſſ. R. Mtās abrogatis iam iam planè illis Cōſtitutionibus, ſuæ Ciuitatis, ciuium, & incolarum clemētiſſimam rationem habere, neq; ꝑmittere vt ijs iuribus, Priuilegijs, moribus ac conſuetudinibus, cum quibus maiores noſtri ad inclytū Poloniæ Regnū ſpontè acceſſerunt,

contrarium

contrarium quidpiam vnquam ſtatuatur, vel vt hic articulus, qui Priuilegijs noſtris propter condendorum plebiſcitorum & legum libertatem planè aduerſatur, ad Regni Comitia abſque vlla legitima cauſſa rejiciatur.

X.

Vt Sereniſsima Maieſtas Regia authores famoſorũ libellorum iuxta iura, Cõſtitutiones, & conſuetudines harum Terrarum punire, & omnes famoſos libellos è medio tollere dignetur, maiorem in modum rogamus.

XI.

Non immeritò certè conquerimur, quod contra Terrarum Pruſsiæ Priuilegium et libertates antiquiſsmas, Ciuitatis Magiſtratus ad Comitia Regni ſemper euocentur, & eadem occaſione Ciuitas ad res Polonicas longè à rationibus ſuis alienas, ad Statuta & onera Regni contra publica Terrarum iura pertrahatur. Verba autem Priuilegij eius ſunt tenoris: Item omnes cauſſas notabiles dictas Terras concernentes cum cõmuni Conſiliariorum conſilio Terrarum prædictarum tractabimus terminabimus, & diffiniemus. Idq; in Terris Pruſsiæ ſemper factum fuiſſe multi adduci poterunt viui teſtes, qui meminerunt, Sereniſsimos Poloniæ Reges ſemper Oratores ſuos in has Terras ad Conuentum publicum mittere, & ibidem cum Conſiliarijs harum Terrarum tractationes de publicis Terrarum Pruſsiæ negotijs ſuſcipere conſueuiſſe. Tum notiſsimum eſt in omnib. Regnis ſingulas fermè prouincias ſuis

ſingulari-

ſingularibus Cōſiliariys, iuribus, Priuilegyis, ac conſuetudinibus abſq; aliqua rerum confuſione et perturbatione vti.

XII.

Ad Contributionis onus quod attinet, Conſtat ex plebiſcito Culmen̄ alyſq; Pruſſiæ immunitatibus manifeſtè cautum eſſe, vt ab omnibus exactionibus, datyis atque oneribus Prutheni immunes habeantur, Neq; Magiſter aut Ordo Theutonicus vllo vnquam tempore citra omniū Pruſſiæ Ordinum ac ſtatuū ſpetialem & ſpontaneū cōſenſum, vel pecuniā vel vllum aliud onus quodcunq; Pruthenis indicere potuit. In ea libertate ac p̄rogatiua, alyſq; iuribus & Priuilegyis, quibus ſub antiquis Dominis Terræ Pruſſiæ gaudebant, D. Caſimirus Rex, quando Pruſſia inclyto Poloniæ ſceptro ſponte acceſſit, Pruthenos ſe cum Sereniſſimis ſuis ſucceſſoribus perpetuò conſeruaturum, confectis deſuper literis, ſanctè recepit. Cui Regiæ promiſſioni inhærentes D. Poloniæ Reges, eamq; ſuis etiam diplomatibus ex ordine ſucceſſionis confirmantes, quoties de pecuniario ſubſidio, alyſúe grauibus negotyis has Terras concernentibus Pruthenos compellare voluerunt, ſuos ſemp̄ Oratores ad generales Pruſſiæ Cōuentus, iuxta earundem Terrarū Conſtitutiones et hactenus obſeruatas leges ablegarunt, Interdum etiam ipſi Sereniſſimi Reges præſentes coram cum omnibus Pruſſiæ Conſiliaryis et Ordinibus præſentibus, qua de re libuit, deliberationem inſtituerunt. Quo factum eſt vt nihil niſi eo modo cōcluſum

 atque

atque determinatum Prutheni reciperent, & cum incly-ti Regni Conſtitutionibus, Statutis & Comitiorum Decretis nihil vnquam commune haberent. Quæ conſuetudo hactenus in Terris Pruſsiæ ſupra centum & viginti annorum ſpaciū inueterata, ſine cuiusq; contradictione ſeu interpellatione, paucißimis nunc annis exceptis, continua ſerie inuiolabiliter ita obſeruata fuit, quemadmodum id ipſum cum cōmuni Terrarum Priuilegio, tum alijs etiam documentis liquidò demonſtrari poteſt. Neque enim veriſimile eſt, Terras Pruſsiæ Magiſtri & Ordinis Theutonici iugum prorſus intollerabile excutientes, quo in expeditionibus & exactionibus premebantur, ad onera Regni ferenda, nullo eorum conſenſu accedente, tam ſeruiliter ſeſe obligare voluiſſe. Quo & illud accedit, quod nec iugerum nec manſorum ratio alioquin à Regni iugeribus diſſimillima, æqualem vllam cum Regno contributionē admittere poſsit. Ex quibus non obſcurè apparet, quod Contributionis illud onus ex æquo cum Regno ferendum, ſit res planè noua atq; inuſitata, adeò vt nomen Poborrarum hactenus in Terris Pruſsiæ nunquam fuerit exauditum, neque eiuſcemodi Contributio in Terris Pruſsiæ, quamdiu Sceptro Regni Poloniæ paruerunt, vnquam antea vſurpata vel indicta fuerit, neque vllum exemplum extat, etiā in ſumma Reipub: neceſsitate, homines Pruſſos cum gente Polona vnquam ſimul ex Decreto Regni contribuiſſe, aut ad aliqua onera cum Regnicolis æqualiter præſtanda

adactos

adactos fuiſſe. Et quamuis nūc edocti fuerimus, reliquos Status & Ordines harum Terrarum Contributionem in Polonia laudatam exoluiſſe, Conſtat tamen id illos coactos & non liberè aut ſua ſponte, multo vero min⁹ ex harum Terrarum iure aut conſuetudine feciſſe. Quare nihil dubitamus quin earum rerum omnium Sereniſſima Regia Maieſtas æquiſſimam & clementiſſimam rationem habitura, et nos ac Terras omnes penes ea Priuilegia, iura & antiquas conſuetudines benigniſſimè conſeruatura ſit.

XIII.

Eodem pacto bona Ciuitatis publica ad ſtatuti Alexandrini Executionem trahi cœperunt, Cum tamen Statutis inclyti Poloniæ Regni Terræ Pruſſiæ non obſtringantur, neq; eius Status ac Ordines ad illius Decreti promulgationem vnquam vocati fuerunt, multo vero minus vt id propter peculiaria ſua iura, Priuilegia & Conſtitutiones reciperent adduci potuerunt. Itaque non minus iuſtum quam æquum videtur, vt ea quæ tanto cum Reipub: præiuditio acta ſunt penitus reſcindātur, neq; ad Regni Comitia, cum manifeſta ſint nec vlla ꝓbatione egeāt, reyciātur.

XIIII.

Meritò etiam conquerimur, quod non Magiſtratus ſolum ſed etiam priuati Ciues nouis et inuſitatis edictis in cauſſis iniuriarum & rerum criminalium, contra antiq; conſuetudinem, ad Regium tribunal euocentur, quæ ſine vllo diſcrimine in Terris Pruſſiæ hactenus citraq; controuerſiam terminatæ fuerunt.

XV.

Pro hoc articulo Sereniſſimæ Regiæ Maieſtati ingentes agimus gratias, & planè confidimus, idem etiam in cæteris propediem futurum.

XVI.

Nihil eſt certius q̃ quod Ordinum Decreta leges ac plebiſcita, in quibus condendis & abrogandis ex præſcripto Priuilegij Caſimiriani pleniſſimam habent poteſtatem, Mandatis & Reſcriptis Regijs, cum ſummo dicti Priuilegij præiudicio ſoleant impugnari. Priuilegij autem verba ex Germanico trãſlata ſic ſonant: Nos Caſimirus &c. Volentes ipſis ſpetialem viciſſim gratiam noſtram impartiri & concedere, vt nos tanto ardentiori amore arctius complectantur, de quorum fide non dubitamus, volentes eorundem nomen & exiſtimationem, fortunas, & bona auctiora reddere, conceſſimus iiſdem Procõſulibus, Conſulibus, Scabinis, Iuratis opificibus & toti communitati Ciuitatis noſtræ Gedanẽ ex innata Regia clementia, plenam Regiam poteſtatem, & vigore harum noſtrarum literarum concedimus, impartimur, plenamq́ facultatem præſentibus damus, quod poſſint et debeant, cum conſilio, ſcientia, & voluntate prouidiſſimorum & præcipuorum ciuium ſuæ Ciuitatis, pro temporum & cauſarum ratione, Plebiſcita, Contributiones, de omnibus bonis & mercibus, omnibusq́ cauſſis & rebus, quàm ſæpe Ciuitatis ipſius neceſſitatem, vtilitatem & commodum id exigere cognouerint,

gnouerint, condere, indicere, laudare, ac vicisſim remittere, quemadmodum ipſis melius & vtilius videbitur, ſine vllius in omne æuum interpellatione, impeditione, interturbatione vel contradictione, tam noſtri, & ſucceſſorum, quam aliorum dignitariorum & quorumcunque officialium noſtrorum.

XVII.

Pro hoc item articulo immortales Maieſtati Regiæ agimus gratias, quod humillimas preces noſtras exaudire dignata fuerit.

XVIII.

Literæ exemptionum vt nemini qui iure Ciuitatis vti, vel in Ciuitate habitationem habere velit, concedantur, iterum atque iterum demiſsiſsimis verbis rogamus, cum ea res magnam inæqualitatem pariat, ciuilem obedientiam & debitum, ſine quo Ciuitatis rationes ſaluæ eſſe nullatenus poſſunt, diſſoluat, ac Magiſtratus authoritatem labefactet, præſertim quod vt plurimū exemptæ perſonæ, dum plus ſibi quam alijs licere putant, ac Regium nomen quibuſuis flagitijs obtendunt, multa contra leges ac mores Ciuitatis cōmittere ſolent, cum ſummo Magiſtratus contemptu, cæterorumq́ ciuium damno & præiudicio. Cum tamen ipſi Nobiles in Ciuitatem commigrantes, ad ciuilia onera ferenda ex Conſtitutionibus Terrarum Pruſsiæ ſint obligati.

XIX.

Si Sereniſsima Maieſtas Regia in poſterum nulli contubernio Priuilegia dare in animum clementiſsimè inducere dignata eſt, quæ iuri publico & ſtatui Ciuitatis cõtraria ſint, maiorem in modum & ſubmiſsè rogamus, vt ea quæ iam ad turbandum Ciuitatis ſtatum & tranquillitatem publicam data ſunt benigniſsimè abolere, & nihil eorum fouere vel admittere dignetur, quæ iuri Ciuitatis & bono publico quacunque ratione obeſſe poſsint, quemadmodũ illum articulum in oblato per Internuncios ſupplici libello latius declarauimus.

XX.

Cur nobis integrũ eſſe non debuerit, conſtituendæ cõmunis concordiæ cauſſa contractũ cum braſeatoribus inire, cauſſam iuſtam nullam videmus. Quod vero Domini Cõmiſſarij eundem ſeditioſorum et leuiſsimorum hominũ impulſu reſciderint, ꝓpterea factum eſſe arbitramur, vt perpetuas inter Magiſtratum & ciues diſcordias commodius alere, & communem concordiam & tranquillitatem tanto facilius conuellere poſſent. Quem igitur articulum cur Maieſtas Regia ad Conuentum Regni reijcere dignetur, cauſſam non videmus, idq́ ne Maieſtas Regia faciat demiſsiſsimis precibus rogamus & obteſtamur.

XXI. & XXII.

Pro his duobus articulis magnas etiam agimus gratias.

XXIII. & XXIIII.

A cauſsis

A cauſſis criminalibus quibuſuis, appellationes in Terris Pruſſiæ nullo vnquam tempore interpoſitæ, neque eæ ad tribunal Regium reuocatæ fuerũt. Penes quam vetiſtiſſimam conſuetudinem & antiquiſſimum morem vt Regia Maieſtas incolas harum Terrarum omnes conſeruare clementiſſimè dignetur, demiſſiſſimis precibus ſubmiſſè rogamus.

XXV.

Quod recenſita incõmoda atque difficultates, Citationum, Mandatorum, Saluorum conductuum, Exemptionum, Inhibitionum, nunc etiam initio noui regiminis, licet nondum Sereniſſimæ Mtī Regiæ iuſiurandum ab Ordinibus Ciuitatis datum ſit, nihilominus tamen ingeri cæperunt conquerimur. Ex quo parum ſpei eſſe, cum in iurium ac libertatum conſeruatione, tum in eiuſmodi incõmodorum abolitione, facilè quis poſſet ſuſpicari.

XXVI.

Cuius rei illud etiam argumentum eſt, quod Laniones profugi & proſcripti, pro tuendis turbulentis & ſeditioſis ſuis conatibus, palàm recipiuntur, ſuſtinentur, ac defenduntur.

XXVII.

Iu hoc articulo non quæritur, num Fiſcalis metas officij ſui exceſſerit nec ne, vel num vir bonus & poſſeſſionatus ſit, ſed humillimè petitur, vt Ciuitas penes ſuum Priuilegium & perpetuam conſuetudinem conſeruetur. Pugnat enim cum Priuilegio & antiquiſſima conſuetu-

dine

dine per Ciuitatem & in Terris Pruſsiæ obtenta, vt in bonis caducis & ad Fiſcum Regium pertinentibus prima inſtantia in loco iudicij Ordinarij fiat. Quemadmodum ſemper hactenus procurator Fiſci bona caduca in iudicio ciuili vendicauit, Super quibus quid conſtituendum, & quomodo pcedendum ſit, Priuilegium D. Caſimiri & Sigiſmundi de bonis naufragis latius declarat. Nimirum quod bona caduca in fideli cuſtodia Burggrabij & totius Magiſtratus Gedaneñ debeant conſeruari tam diu, quoad hæres ea iure repetierit. Si vero conuenienti temporis tractu nemo petat, extunc ipſe Burggrabius vna cum Magiſtratu Gedaneñ de eis ipſis bonis Maieſtatem Regiam informare & certiorare tenebitur, vt Maieſtas Regia pro ſuo arbitratu diſponat: Vnde ſequitur bonorum caducorum vendicationem atque cuſtodiam non ad procuratorē Fiſci, cuius officium nuper admodum in has Terras nouo exemplo introductum eſt, ſed ad Burggrabium & Magiſtratum huius Ciuitatis ſpectare, in quo etiam poſthac nos conſeruari humillimè petimus. Neq; minori fide, cura, ſtudio ac diligentia huic rei prouidebimus, atq; per ipſum Fiſci procuratorem fieri poterit. Atq; hoc ipſum etiã apertiſsimi iuris eſt, vt res à Fiſco in contr ouerſiam vocatæ, non illicò dicantur eſſe Fiſci, niſi cauſa prius coram Ordinario Magiſtratu, ſit ne Fiſci, liquidata fuerit. Alioquin perfacilè eſſet ſub prætextu rerum & litium Fiſcalium varias priuatorum hominum cauſſas & actiones defendi.

defendi. Quapropter humillimè ſupplicamus, vt Sereniſſ: Regia Maieſtas clementiorem ordinariorum iuditiorum rationem habeat, more veteri conſeruato.

XXVIII. & XXIX.

Cur hos duos articulos Sereniſſima Maieſtas Regia ad conuentum Regni reÿcere dignata fuerit, nō ſatis perſpicimus, cum ex publicis Inſcriptionibus & diplomatib. ſub ſigillo Regni citra aliquam controuerſiam manifeſtè appareat, centena thalerorum millia Sereniſſimo Regi piè defuncto in vſum & vrgentem neceſſitatem Magni Ducatus Lituaniæ mutuo data, & quatuor Monaſteria huic Ciuitati vicina hypothecæ loco nobis ꝓpterea obligata eſſe, Tum quod reditus telonÿ Cawnen̄ Ciuitati per publicam item inſcriptionem conceſſi hucuſq; non inferantur, cum ingēti Ciuitatis detrimento, quæ interim mutuatæ ſortis nomine non exiguas vſuras quotannis præſtare tenetur.

XXX.

Nihil manifeſtius eſſe poteſt, quam in hac parte Ciuitatis Priuilegium, quod apertè hiſce verbis ex germanico tranſlatis diſponit, Quod nulla Ciuitas neque arx intra quinque milliaria circumcirca debet ædificari, erigi, aut renouari perpetuis futuris temporibus. Item Terrarum Pruſsiæ Conſtitutiones, quæ volunt res venales in vrbibus, & perconſequens non in ſuburbÿs, villis, aut pagis diſtrahi debere.

Mm Cum

Cum verò Schotlandiæ ſuburbium quaſi altera vrbs ædificari cæpta fuerit, & ciuilia ibidem cõmertia, ac omnis generis opificum artificia hactenus tractata, vſurpata & exercita fuerint, cauſam non videmus cur articulus hic ſuſpendi debeat, vel quomodo Priuilegijs & vſu bono cõtra tam manifeſta Priuilegij noſtri verba quid receptum aut approbatum eſſe poſsit.

XXXI.

Æquum eſt vt illi qui in vna Ciuitate paribus fruuntur cõmodis, paria etiam onera ſuſtineant. Quare illi qui in monaſterijs, parochijs, domo Carthuſianorum & alibi habitant, non magis à ciuilibus functionibus liberi eſſe debebunt, quam reliqui ciues et incolæ huius Ciuitatis. Et res infiniti laboris erit cum omnibus illis iure experiri, qui ius & æquum per Ciuitatem euertere conantur.

XXXII.

Quantumuis hic articulus pertineat ad forum Eccleſiaſticum, tamen iniquum eſt, ciues vtriuſque ſexus in cauſsis matrimonialibus extra Ciuitatẽ in alienum forum euocari, quod Officiali nec iure nec legibus Ciuitatis competere certum eſt. Et nihil magis in votis habemus quam vt in ea re vſus & conſuetudo recepta ſeruentur.

XXXIII.

Quod in villa Epiſcopali Stolßemberg, *pleriſq; facinoroſis, furibus, latronibus, decoctoribus, homicidis voluntarijs &c. receptus, præſidium, & ſecuritas præſtatur, abuſu inoleuiſſe nullum eſt dubium, quare etiam merito*

rito,

rito tolli debet. Priuilegio niti non poteſt, cum ea quæ contra leges fiunt nō ſolum inutilia ſed etiam pro infectis habenda ſint. Hæc autem contra diuini pariter ac humani iuris præſcriptum facta, extra controuerſiam eſſe quod aboleri & abrogari debeant.

XXXIIII.

Dominus Abbas Oliueñ quamuis ſui iuris ſit, admoneri tamen poteſt, ne contra ius, homines facinoroſos & ſeditioſos cum ſumma ciuilis iuriſdictionis iniuria apud ſe in monaſterio alat, & ipſis receptum ac ſecuritatem contra ſuam profeſsionem præſtet.

XXXV.

Ne libera Iſtulæ nauigatio impediatur demiſsiſsimis precibus rogamus, & vt Maieſtas Regia ſe in ea re iuxta Priuilegiorum, & Conſtitutionum harum Terrarū præſcriptum conſeruare & conquerentibus iuſtitiam adminiſtrare dignetur.

XXXVI.

Neminem in ſuo iure quod longiſsimi præſcriptione temporis nititur turbari debere plus quam manifeſtum eſt, Quare rogamus ne ſub prætextu vel Priuilegiorum vel alterius cuiuſuis iuris in piſcatione fluminum & aquarum Haab, *ab ijs qui vicina prædia poſsident vlla ratione impediamur.*

XXXVII.

Pro hoc articulo immortales agimus gratias.

XXXVIII.

Erneſtus VVeiber & alÿ nouo hoſtilitatis genere ante triennium vias publicas obſidere cæperunt, ne quid cõmeatus vel aliarum rerum poſſet in Ciuitatem importari, eoq; modo Ciuitatem magno incommodo ac detrimento affecerunt, quod vt illos Maieſtas Regia ſarcire iubeat, non immeritò petere videmur.

XXXIX.

Qui pro Sereniſsimo Rege defuncto vel pecunias ſuas expenderunt, vel fidem ſuam interpoſuerunt, ad Comitia Regni reÿciũtur, cum interim varÿs moleſtÿs debitorum illorum nomine afficiantur, Quare iterum atque iterum rogamus, dignetur Sereniſsima Regia Maieſtas clementiſsimè prouidere, ne propter præſtandas grauiſsimas vſuras præſenti periculo, & creditorum quiduis exigentium temeritati exponantur.

XL.

Ea quæ ad officium noſtrum pertinent Ciuitas quidem libenti animo præſtabit, Verum cum Ciuitatis ærario perdifficile ſit quotannis etiam abſente Maieſtate Regia ſtationem trium dierum, contra aliarum omnium Ciuitatum morem pendere, maiorem in modum iterum atq; iterum obnixè petimus huius Ciuitatis ſumptus hac in parte ad exemplum cæterarum Ciuitatum benigniſsimè moderari.

Propter præcedentes igitur cauſſas ſubmiſſè rogamus, ne nos Mtũs Regia diutius ſuſpenſos tenere, vel maiorem

iorem articulorum ſatis liquidorum partem ad Regni Comitia reijcere, ſed ea potius ex auguſtiſſimæ poteſtatis plenitudine clemētiſſimè tandem abrogare dignetur, vt perſpecta Sereniſſ. Regiæ M^tis clementia & æquanimitate tantò alacriores ad quæuis munia præſtanda, & obedientiam ac fidem noſtram declarandam eſſe poſſimus, Quemadmodum R. eius Mtēm benigniſſimè facturam eſſe amplius non dubitabimus, præſertim quod publici Conuentus decreto liberum ſit Maieſtati Regiæ hanc cauſam terminare, & ex vſu atque cōmodo Ciuitatis decernere, ita vt nihil opus ſit vel incōmoda hæc longius extrahere, vel ad generalia Regni Comitia reijcere.

Forma Placationis cuius in ſuperioribus literis ſæpiuſculè mentio fit.

QVàm dolenter id Senatui & Ordinibus totam Cōmunitatem repræſentantibus acciderit, quod Regiæ Maieſtatis gratia ꝓpter non receptos Dominos Commiſſarios, & ſi quæ alia offenſionis cauſam præbuerunt, ſubditi Maieſtatis illius fideliſſimi præter ſpem exciderint, ipſi Magnifici Domini Commiſſarij inde æſtimare benigne dignabuntur, quod ſtatim poſt felicem illorum aduentum, ad recuperandam Regalem gratiam nihil curæ, laboris, & obſequij prætermiſſum fuerit.

 Cum

Cum enim Sacræ Regiæ Maieſtatis clementia & prīcipali fauore omnem Ciuitatis Ciuiumq́ ſalutem & incolumitatē contineri exiſtimarent, nihil prius, nihil antiquius habendum eſſe putarunt, quam vt viciſſim reſtituerentur eidem qua exciderunt gratiæ Regiæ, quam vti ſemper pro debita ſubditorum fide & ſubiectione ſecundum Deum ſummo venerationis loco, ita nunq̄ illius in re vel minima lædendæ animum vel propoſitum habuerunt, ipſo Deo & vniuſcuiuſque conſcientia teſte.

Initis itaque variè placandæ Regiæ Maieſtatis rationibus, etſi principio Mag: Dominis Cōmiſſarijs duo placationis modi ſcripto comprahenſi propoſiti fuerunt, quia tamen eoſdem ex dignitate principis non eſſe exiſtimatum fuit, denuo de alijs rationibus animis humilimis à Senatu & Ordinibus cogitari cæptum eſt, quantumuis ea res hoc tam perturbato temporum ſtatu, & varia Ciuitatis difficultate planè ſupra vires ardua videretur, quia verò firmiſſimè concepta ſpe humilimè confidunt, Sacram Mtēm Regiam pro officio pientiſſimi & clementiſſimi Principis in conſeruandis iuribus, Priuilegijs, libertatibus, conſuetudinibus & vniuerſis & ſingulis iuriſdictionis & poſſeſſionum prærogatiuis, ſuæ Ciuitatis clementiſſimam habituram eſſe rationē, quemadmodum inter cætera de iſta Maieſtatis Regiæ planè paterna erga ſubditos affectione admodum illuſtria documenta in prohibenda Naruica nauigatione, nō ſolum Ciuitati, ſed etiā toti Regno planè

pernicioſa,

perniciosa, omnium ſubditorum animos in maximarum rerum ſpem erigunt, atque confirmant, Ijs igitur rationibus moti pro debito ſubiectionis ſtudio, nomine totius Cōmunitatis Senatus cum reliquis Ordinibus diu multumq́. eò elaborandum cenſuit, vt re ipſa quam humilime oſtenderet, quanti gratiam & clementiam Sacræ Regiæ Maieſtatis ſubiectiſsimè faceret; quamq́ humilimo obſequio ad prohibendæ Naruicæ nauigationis, Regiæ Maieſtatis conſilia, promptiſsimum animum tanquam fideles ſubditi probatum teſtatumq́ facere vellet:

Quocirca vnanimi tandem omnium conſenſu humilime concluſum eſt, quemadmodum totius Cōmunitatis nomine hiſce præſentibus conſentimus, primum vt accedēte eam in rem Sacræ Regiæ Maieſtatis indulgentia et conſenſu, vetus Pfalgeldy (vt vocant) exigendi ratio augeatur ad hunc modū, vt præter vſitatos duos denarios Pruthenicales de vna qualibet marca, ad Ciuitatis proprietatē & reditus ab antiquo pertinentes, alij duo denarij de vna qualibet marca ex omnibus nauibus & mercibus importandis, exportandiſúe, Sacræ Mtī Regiæ concedantur, quam duorum denariorum auctionem ipſi Mtī Regiæ ex ſummo ſubiectionis ſtudio offerunt:

Deinde Eidem Maieſtati Regiæ centum millia florenorum, triginta groſsis Polonicalib. in ſingulos florenos computandis, humillime donentur, quam quidem centum millium florenorum ſummam, Sacræ Mtīs Regiæ clemētiſsimo

tiſſimo arbitrio relinquunt, vt ſub fide Ciuitatis ſuæ aliunde in annos decem, mutuo accipiat, quo decem annorum ſpacio Ciuitas in ſingula centena octo florenos intereſſe loco numeratura, tandemq́ exactis illis annis decem vniuerſam ſortem exolutura eſt.

Hanc autem Senatus & omnium Ordinum nomine totius Ciuitatis ſubiectiſſimam conſenſionem oblationemq́, vt Sacra Mtās Regia clementiſſimè in eam partem accipere & gratam habere dignetur, quàm poſſunt humillimè ſupplicant, atque obteſtantur, ne quid iſta Pfalgeldij auctione tam Terrarum Pruſſiæ quam Ciuitatis Iuribus, Priuilegijs, immunitatibus, libertatibus & conſuetudinibus in vlla parte præiudicetur, velitq́ Sacra Regia Maieſtas altius expenſa illius Mtis ingenita benignitate & clementia, non ſolum omnium ex ſuperioribus actionibus animo conceptarum offenſionum et ſubortarum ſuſpicionum tandem clemẽtiſſimè obliuiſci, ac Ciuitatẽ ſuam ab omnibus grauaminibus Cõmiſſionum & inquiſitionis benigniſſimè liberare, ſed etiam de omnibus Ciuitatis ſuæ incolis, illorumq́ in Maieſtatem Regiam & vniuerſum Regnum perpetua fide, atque obſequijs, tanquam de fidelibus ſubditis clementiſſime perſuaſa eſſe, eoſdemq́ in gratiam Regiam receptos, pari benignitate & clemẽtia commendatos habere, ac in perpetuam rei memoriam de his omnibus, publicis documentis, ſub ſacra manu & ſigillo confectis, Ciuitati ſuæ pleniſſimè prouidere.

Et

Et cum omnis nouitas videatur periculoſa, ſitq́; ab antiquo Pſalgeldÿ exactio receptioq́; per Senatum, delectis certis iuratis perſonis, adminiſtrata, omnino etiam nunc humilimè confidunt Senatus & Ordines, S. Mtēm Regiam de iſta antiquitus in exigendo recipiendoq́; Pſalgeldio obtenta cõſuetudine nihil immutaturã, ſed ſingulis annis à p̃fatis iuratis et eam ad rem delectis idoneis pſonis ſufficiẽtes rationes recepturã eſſe, vel ſi omninò etiam R. Mtī videretur, poſſent ipſi ſcribæ nomine Mtīs R. ab ipſo Burggrabio Ciuitatis ſingulari iuramento obſtringi.

Ne quid autem difficultatum ac cõfuſionis non modicæ inde exoriri poßit, ſi Maieſtas R. quorundam precibus permota, ſuper iſta cõceßione Pſalgeldÿ literas immunitatis alicui indulgeat, ob eam cauſam Sereniß: R. Mtī ſupplicant, velit iſti rei clementißimè prouidere, ne tales impetratæ immunitates quocunque modo & nomine vllius ſint vnquam roboris.

Cæterum vt hac Sacræ R. Maieſtatis benignitate & placatione vniuerſa Maieſtatis illius Ciuitas cum omnibus incolis pleniſsimè perfruatur, vno omnium ore S. R. Mtī quam ſubiectiſsimè ſupplicant, velit illius Mtās detentos Proconſules, & Conſulem, quorum eadem cauſa in iſta placatione humilimè agitur, clementißimè in gratiam R. receptos, tandem omni moleſtia liberare, ac quàm primum ad ſuos penates domeſticos remiſſos, priſtino loco ac dignitati clementißimè reſtituere.

Nn Poſtremo

Poſtremò quanto animi mœrore non ſolum Magiſtratus, ſed omnes Ciuitatis incolæ hactenus condoluerint, famam, nomen, & omnem exiſtimatiouē Ciuitatis publicam; iſto tam immaturo & contumelioſo libello Fridwaldi per totum Chriſtianum orbem traduci, exiſtimentq́; id maxime ad ipſius etiam Mtīs R. & totius Regni decus & dignitatem pertinere, Ciuitatis & Ciuium famam & fidem vbique ſaluam et inuiolatam eſſe, vti nemo dubitat, ipſam S. Mtēm Regiam clementiſſime expendere, ita eidem quam ſubiectiſſimè vno omnium ore ſupplicant, velit S. Mtās R. ex omnimoda Regia auctoritate per publicum Decretum, alijſúe remedijs, ad abolendum abrogandumq́; libellum idoneis, fidelium ſubditorū rationibus clementiſſime conſulere & ſubuenire. Habitura eſt ea ex re non ſolum ipſa Maieſtas Regia apud omnes ſubditos immortalem gloriam & memoriam defenſæ innocētiæ ſempiternam, ſed etiam factura rem vti æquitati & iuſtitiæ planè conſentaneam, ita cunctis Ciuitatis incolis longe acceptiſſimam, tantoq́; ad quæuis humilimè obeunda obſequia alacriores redderētur, quanto infamoſum auctorē meritæ & legibus conſtitutæ pœnæ acrius extendentur.

Atque hæc quidem omnia, poſteaq̄ ad eum modum à Senatu & Ordinib. Ciuitatis, totius Cōmunitatis nomine probata ſunt, poſtremum M. Dom. Cōmiſſarijs officioſè offerenda eſſe cenſuerunt, eoſdem ſingulari cum obſeruātia rogantes, velint ea planè ex ſubiectiſſimo animo

profecta atq; oblata benigne expendere, & apud S. M^tem R. primo quoque tempore gratioſe cõmendare, vt hiſce rationibus omnium & ſingularum exortarum offenſionum atque difficultatum obtẽta placatione, omnia ſuo priſtino nitori reſtituantur, benigniſſimoq; exitu terminentur, non ſolum omnibus & ſingulis Iuribus, Priuilegÿs, libertatib. immunitatibus, & antiquis conſuetudinibus, quocunque nomine & modo appellatis, in omnibus & ſingulis punctis, clauſulis, & articulis ſuis ſaluis & illæſis permanentibus: ſed etiam vt reliquorum ſæpe exhibitorum et eo ptinentium grauaminũ ex Regia auctoritate, & benignitate, clemens æquiſſimaq; ratio habeatur, idq; plane ad eũ modũ futurũ de S. R. M^te piẽtiſſimo ac clemẽtiſſ. Rege ac Dño ſuo, & de Mag: Dñis Cõmiſſarÿs, Senatus cũ reliquis Ordinib. humilimè & officioſe ſibi perſuadet. Etenim niſi in his tantis tanque ineuitabilib. rerum & temporũ neceſſitatibus ac Ciuitatis grauaminib. de quibus S. M^tI R. multoties ſubiectiſſimè ſupplicatũ eſt, Ciuitati cõſuleretur, ipſi M. Dñi Cõmiſſarÿ pro ſua ſingulari prudentia & æquanimitate gratioſè expendent, quàm id Ciuitati ad conſeruandã illius alioquin valdè afflictæ incolumitatẽ, humilimeq; implenda promiſſa, futurum eſſet graue nimis ac difficile. Quæ oĩa & ſingula vt Mag: D. Cõmiſſarÿ benignius accipere & expendere velint, q̃ hic verbis idoneis & oratione ſatis digna et apta exprimi poſſunt, pro ſua erga eoſdẽ omnimoda obſeruãtia Senat⁹ ac cæteri Ordines Ciuitatis etiam atq; etiam rogant.

Nn ÿ His

HIs de rebus omnibus poſtq̃ Internuncij cum Dominis Conſiliarijs in hoc negocium adhibitis verba cõmutaſſent, & ipſa quoq; Regia Maieſtas Internuncijs in conſpectum admiſsis coràm animi ſui ſententiam oſtẽdiſſet, reſponſum ſuum, quo tractatibus hiſce finem demum imponere vellet, cum Syndico huc remiſit, his conditionibus determinatum.

Reſponſum Sacræ Maieſtatis Regiæ Internuncijs Ciuitatis Regiæ Gedanenſis à Maieſtate Regia ad eorum ſupplicationem datum Bidgoſtiæ xxv. Ianuarij Anno Dñi M. D. Lxxvij.

SAcra Regia Maieſtas ſatis abundè omnia intellexit, quæ Ciuitatis Gedaneñ nomine ab ipſius Maieſtate petebantur; exiſtimat autem ad frequentes Ciuitatis ſuæ Gedaneñ ſupplicationes ſatis ſuperq; vſum eſſe clementia conniuentiaq; ſua Regali, ita vt nõ amplius vtendum ſibi eſſe putet tam diuturna procraſtinatione rerumq; & negotiorum propoſitorum dilatione, verti ea in re iudicat dignitatem ſuam, expedireq; rebus & cõſilijs ſuis cenſet, vt iſta tractatio iampridem inſtituta, nunc tandem finem ſuum ſortiatur, modo & ratione infraſcriptis.

In primis concedit Maieſtas Regia, vt pro concludendis vltimoq; fine terminandis conditionibus à R. Mtẽ

Ciuitati

Ciuitati oblatis, iſto modo quo Regia Maieſtas concluſit ac determinauit in ſpatio ſex dierum Mtī R. ſatiſfiat, pleneq́ de his omnibus Ciuitas Mtī R. reſpondeat. Hi vero dies ad reſpondendum Sacræ R. Maieſtati, per reliquos menſis Ianuarij dies anni præſentis Ciuitati conceßi eſſe cenſeantur.

Primo quidem ducenta millia florenorum numeri & monetæ Polonicalis R. Mtī Ciuitas perſoluere debet, Prima quidem centena millia nunc ſtatim in ſpatio vnius menſis numeret, alia vero centum millia prima die Martij anno proximo futuro Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo Maieſtati Regiæ reponet, & nunc etiam oblationi Statuum Prußiæ innitendo duplicem Acciſam Ciuitas iuſtè & integrè contribuet, eamq́ in theſaurum Regiæ Maieſtatis inferet, prout id melius & vtilius ipſius Maieſtati fore videbitur. De quibus omnibus obligationem forma concepta quæ mittitur faciat.

Illa quæ merè Regalia ſunt, quæ ex Priuilegijs Ciuitas Gedaneñ Maieſtati Regiæ pendere debet, ea quotannis exoluatur, Iſta enim obligationibus aut exemptionibus vllis ſubijci non vult.

De tormentis quatuor bellicis, vnà cum puluere globisq́ bene præparatis ad vſum belli præſtandis, Ciuitas Regiæ Maieſtatis voluntati ſatiſfaciat, in eoq́ R. Mtī morem gerat.

De prorogatione temporis ad Palatium, aliaq́ ædi-

 dificio

dificia Regalia in Ciuitate Gedaneñ extruenda, permittit Maieſtas Regia, ex gratia clementiaq́ ſua, tempus competens Ciuitati ſe conceſſuram eſſe.

De portorio maris negotium, ad futurum Regni Conuentum reijcit, ita tamen vt Maieſtatis Regiæ Scriba peculiaris ibi adſit, iuxta priorem declarationem.

Grauamina quæ autoritate ſua citra cõſenſum Ordinum Regni tollere poteſt, ea tollit, Reliqua ad Conuentum Regni generalem differt, vt de illis ex ſententia Ordinum decernatur. Quæ tamen Mtis R. de Grauaminib. iſtis ſententia ſit, eam peculiari Priuilegio ſuper his conſcripto declarauit. Si vero vult aut magis cupit Ciuitas, non abnuit Maieſtas Regia, vt omnes articuli & omnia grauamina, ac omnes actus Cõmiſſoriales, inter quos & Portorij negotium eſt, ita vt etiam ſcriba interim ad id non adhibeatur, ad futurum Regni Conuentum reijciantur; reliqua tamen placationis capita, ac declaratio Religionis conſeruandæ ſtare debent, loco & tempore ſuo.

Confirmationem Iurium & libertatum iuxta formam præſcriptam quæ mittitur Regia Maieſtas Ciuitati dabit, omniaq́ Priuilegia iuxta illius conteñ conſeruabit, eamq́ authentice nunc extradet, ſi forte Ciuitati placeat, grauamina omnia articulosq́ (placationis conditionibus & capitibus, tum etiam Relligionis conſeruatione, de

quo

quæ ſpecialibus literis cauebitur exceptis) ad futurum Regni generalem Conuentum reijcere.

Literas Reuerſales prioribus non abſimiles Ciuitati dabit, quibus promittet autoritatem ſuam apud Ordines Regni interpoſituram eſſe, vt Ciuitatis ratio habeatur: Grauaminaq́ ipſius illegitimè irrogata diſcernantur & abrogentur.

Ante omnia vero Ciuitas militem dimittat, Regiam Maieſtatem forma concepta deprecetur, Conuentis ſe ſtare obliget, Fidelitatis iuramentum præſtet, omniaq́ faciat, quæ ad ſubiectionis fidelitatisq́ officium ſpectant & pertinent. In quorum omnium fidem ſigillum noſtrū apprimi iuſsimus. Datum Bidgoſtij die xxv. menſis Ianuarij Anno Dñi 1577. Regni vero noſtri Primo,
Stephanus Rex.

HVic reſponſo addita erant literarum exempla quibus de libero vſu Confeſsionis Auguſtanæ nobis cauebatur, quibus item iura ac Priuilegia noſtra confirmari debebant: nec non forma obligationis in ducenta florenorum millia, ijs ſolutionum terminis circumſcripta, qui reſponſo deſignantur. Priuilegium autem de grauaminibus abolendis, cui denuò Reuerſales literæ priorib. non abſimiles coniungebantur, in hanc fermè ſententiam conceptum erat.

Stepha-

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, &c.

SIgnificamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt, vniuerſis & ſingulis. Quod cum Internuncij Ciuitatis noſtræ Gedanēſis, nobis tam ſuo quam omnium Ciuium adeoq́ totius Cōmunitatis nomine obedientiam & ſubiectionem detuliſſent, & petijſſent, vt ea oīa abrogare & abolere dignaremur, in quæ ex diuerſitate Electionis per diuinam prouidentiam & temporum mutationes incidiſſent, vtq́ Ciuitatum gratia noſtra complectentes, illius grauamina, quæ vti dicebant, per abuſum introducta eſſent, è medio tollere dignaremur. Nos igitur ſupplicibus precibus dictorum ſubditorū noſtrorum permoti, poſteaq́ omnia & ſingula nobis oblata grauamina diligenter perſpexiſſemus, & animaduertiſſemus, quædam eſſe eius generis, vt ad cognitionem & diſquiſitionē Senatus & Ordinum Regni ad generalia Comitia neceſſario differenda ſint, quædam vero extra Comitia aboleri & tolli poſſe, vt tollerentur & abrogarentur. Quo nomine illis duximus declarationem noſtram dandam eſſe, quemadmodum etiam harum vigore damus & firmiter concludimus.

I.

Atque inprimis concedimus, vt vſus Auguſtanæ Confeſſionis, vti in Ciuitate, ita etiam extra illius muros

in ipſo-

in ipſorum Iuriſdictione pacificus & quietus ſit, ſine cuiusq; interpellatione, quemadmodum hactenus fuit, & vt nemo Religionis ergò inquietetur vel moleſtetur. Et omnes penes liberum vſum Auguſtanæ Religionis conſeruabimus, manutenebimus & defendemus, quemadmodum id tam in Tranſyluania, quam poſtea etiam Cracouiæ iuramento noſtro Regio confirmauimus.

II.

Propter Electionis diuerſitatem neminem nec publicè nec priuatim moleſtabimus aut prægrauabimus, ſed à vi defendemus & tuebimur. Cuiq; tamen propter illatas iniurias liberum erit ſuo iure vti, & priuatas iniurias iure vlciſci.

III.

Omnia Priuilegia legitimè impetrata confirmabimus & conſeruabimus.

IIII. V. VI. VII. IX.

Totum Cõmiſsionis negotium, & omnia in eo contenta, quibus Ciuitas ſe grauari exiſtimat, Placationem, Cõmiſſorialium Conſtitutionum declarationem, ad futurum Regni Cõuentum reycimus, quemadmodum & Portorij negotium, ea tamen conditione, vt peculiaris Scriba noſter interim adſit, vigore prioris reſponſi noſtri.

VIII.

Speculatores abrogamus & eorum opera in poſterum non vtemur.

X.

Famoſos libellos caſſamus, & prohibebimus, ne ij

vel palam vel clam edantur. Mandabimus autem vt eorum authores ex præſcripto Statutorũ Regni puniantur.

XI.

Cum cõmunis cauſſa ſit, ne ij, qui cum Magiſtratu ſunt, ad Comitia Regni euocentur, exiſtimamus hic de ea nihil agendum vel ſtatuendum eſſe.

XII. XIII.

De Contributione & Executione putamus in Comitijs Regni agendum eſſe.

XIIII.

Magiſtratum & Ciues Ciuitatis Gedanenſis ad Tribunal noſtrum Regium non euocabimus, niſi in cauſis merè noſtris.

XV.

Mandata prima non dabuntur pœnalia ſed ſimplicia Tunc vero Senatus tenebitur ea aut exequi, aut Maieſtatem Regiam, de ſtatu cauſſæ, qua de agitur, informare, ſi non fecerint, ſecunda Mandata pœnalia dabuntur. Decreta etiam contraria ex Cancellaria non prodibunt.

XVI.

Articulum de condendis plebiſcitis ex Priuilegio Caſimiri Regis ad Conuentum Regni reijcimus, cum ea cauſſa omnes tangat, & certum ſit Magiſtratum in vſu illius Priuilegij non fuiſſe.

XVII.

Salui conductus à vi & potentia, non autem à iure dabuntur. In ſpatio vero trium menſium declarari debet, an is qui accepit, Saluo conductu ſit dignus cenſendus.

Infra

Infra trimeſtre etiam Saluum conductum obtinens iure mediante ſe iuſtificabit, aut Maieſtatem Regiam Senatus de eo informabit.

XVIII.

Exemptiones nemini dabimus, præterquam ſeruitoribus noſtris proprijs. Si vero quis Priuilegio aut exemptione abutetur, illum ſecundum rationem exceſſus puniri curabimus.

XIX.

Nihil aduerſus cuiuſquam legitima Priuilegia faciemus, ſed ea ſarta tecta haberi volumus. In poſterum etiam nulli Contubernio Priuilegia dabimus, quæ iuri publico & ſtatui Ciuitatis contraria ſint.

XX.

Contractus, in quantum ad conſeruandam communem tranquillitatem & concordiam initi fuerint, confirmabimus, Sin minus, eos vna cum reliquis Commiſſionis negocijs ad publicum Regni conuentum reijcimus.

XXI. & XXII.

Nemini Ciuiũ literas Moratorias dabimus, niſi qui fortunæ aduerſo caſu bona amiſerint, & de amiſſis teſtimonium à Senatu habuerint, eoq́ nomine commendati fuerint. Mandabimus etiam, vt vnicuique ius & iuſtitia adminiſtretur citra præiudiciũ quorumuis.

 Appellati-

XXIII. XXIIII.

Appellationes & reuocationes in cauſsis criminalibus non admittemus, in cauſsis maleficiorum recẽtis criminis, Executionis rei iudicatæ per Mtẽm Regiam, & quæ tranſierunt in rem iudicatam, præterea in acceſſorijs vim tamen diffinitiuæ non habentibus.

XXV. XXVI.

Citationes, Mandata, Salui conductus, Exemptiones, Inhibitiones, quæ nunc initio huius noui Regiminis, antequam Ciuitas iuramentum præſtitit, ex Cancellaria legitimè extraditæ ſunt, conſeruandas eſſe cenſemus.

XXVII.

Curabimus ne Fiſcalis metas officij ſui excedat, Is vero dabitur vir bonus & poſſeſsionatus.

XXVIII. XXIX.

Debitum centum millium thalerorum Prædeceſſoris noſtri Regis Sigiſmundi Auguſti, quemadmodum & reditus Telonij Cawneñ, ad futurum Regni conuentum reijcimus.

XXX.

Schotlandia cum aliorum Priuilegia ſpectet, Priuilegia & omnia ea, quæ vſu bono approbata ſunt, conſeruari debebunt. Præiudicialia vero iure terminanda ſunt.

XXXI.

Si in Monaſterijs, Parochijs, Domo Carthuſianorum quidquam contra ius & Priuilegia fit, concedimus vt iure agatur.

XXXII.

Officialis

Officialis vſum & conſuetudinem receptam ſeruare, & ab omni nouitate recedere debebit.

XXXIII.

Si ſecuritas illa in villa Stoltzemberg, *abuſu inoleuit, tolli debet, ſi priuilegio nititur, ſeruandum eſt, Iure tamen agendum eſt.*

XXXIIII.

Abbas Oliuen̄ ſua opera Ciuitati ſatiſfacere debebit.

XXXV. XXXVI. XXXVIII. XXXIX.

Ad Regni Conuentum reijciuntur.

XXXVII.

Si cuiquam ratione Telonij merces interceptæ aut ſequeſtratæ ſunt, concedimus, vt iure agat, qui tali affectus eſt iniuria. Non enim volumus, vt in Regno noſtro hoc admittatur contra iura & omnem æquitatem. Neq; quiſq; hoc audeat facere, niſi prius litem conteſtatus fuerit in foro competenti.

XL.

Stationem & quæ Regalia ſunt, ac dignitatem Mtis Regiæ, & ipſius Ciuitatis officium concernunt, ea Ciuitas libenti animo præſtare debet.

Quæ omnia & ſingula ſupradicta à nobis diligenter expenſa, nos cōfirmauimus & approbauimus, et pollicemur, quod eos penes illa conſeruare & defendere velimus. Quæ vero ad Regni Conuentum reiecta ſunt, in ijs Ciuitati noſtræ Gedanenſi gratiam & auctoritatem noſtram R. deferimus, & cum Ordinibus Regni agemus, vt

omnium Ciuitatis grauaminum, quæ ipſis illegitimè irrogata ſunt, æqua ratio habeatur. In quorum omnium fidem &c. Datum Bidgoſtij die 25. Ianuarij Anno Dñi M. D. LXXVIJ. Regni noſtri primo.

Petrus Dunin Volski R. P. Cancellarius.

Subiungebatur forma Deprecationis præſtandæ, quæ fermè talis erat.

SErenißime Potentißimeq́; Rex ac Domine, Domine clementißime, Agnoſcimus & fatemur, nos eſſe Sereniſsimæ Maieſtatis veſtræ & Regni fideles ſubditos, ſed hoc tempore propter diſsidium electionis Regiæ plus quam æquum eſt, contra totius Regni conſenſum & placitum in noſtro errore perſeueraſſe, & tali iacto fundamento, in alios graues errores, & alia grauia delicta, contra Maieſtatem noſtram Regiam & Regnum incidiſſe: Agnoſcimus delictum & culpam noſtram, & rogamus vt ab ea per Sereniſsimæ Maieſtatis veſtræ gratiam & clementiam liberemur, & imploramus Sacram Maieſtatẽ veſtram, vt omnes & ſingulas offenſiones nobis clementißimè remittat, nos pro fideliſsimis ſubditis habeat, & in poſterum Regia ſua gratia & beneuolentia complectatur. Promittimus nos ſemper Maieſtatis veſtræ fideliſsimos & obſequentißimos ſubditos futuros, nec vnquam contra Regni & Terrarum Pruſsiæ tranquillitatẽ tale quid tentaturos eſſe. Petimus vt ad oſcula manuum Mtis.

veſtræ admittamur, & audiamus Mtēm Regiam nos pro fideliſſimis ſuis ſubditis accipere & culpam remittere.

QVanquam autem apparebat, conditiones in eo Reſponſo repetitas, parum à ſuperioribus totius negocij difficultatibus recedere: tamen cum iam & de pace Religionis, & de Confirmatione Priuilegiorum, Regia Maieſtas animum ſuum benigniſſimè declaraſſet, ſperabamus in cæteris etiam, quæ maximè Ciuitatis rationes, famam, & fortunas onerarent, Maieſtatem eius humilimis ſubditorum precibus, adductum iri, quò reliquæ difficultates æquiori temperamento lenirentur. Igitur Internuncios Georgium Roſenbergium, qui iam ex morbo conualuerat, & Doctorem Heinricum Lembken, Syndicum, ſequentibus cum mandatis ac literis, quibus Regiã Mtēm humilimo ſubiectionis ſtudio iterum adirēt, ablegauimus.

Literæ ad Regiam Maieſtatem.

SEreniſſime potentiſſimeq; Rex ac Domine, Dñe clementiſſime &c. Quòd Sereniſſima Reg. veſtra Maieſtas Internūcios noſtros nuper in conſpectū ſuum, rationesq; noſtras & Ciuitatis ſtatum miſerè nūc afflictū ad regias aures admittere, tum & Priuilegiorum confirmationem, & Auguſtanæ Confeſſionis vſum polliceri, clemētiſſimè dignata fuerit, ob tam regalis & planè paternæ manſuetudinis clementiam, gratias quàm poſſumus ac debemus humilimis verbis maximas agimus & immortales.

Maioribus

Maioribus etiam votis ſubiectiſſimè precamur & ſupplicamus, vt Regia veſtra Maieſtas in poſterum eadē etiam benignitate cum Internuncijs noſtris agat, & huius cauſſæ difficultates clementius ad animum reuocet, quàm vt grauioribus quibuſuis cōditionibus, quæ vires noſtras excedunt, Ciuitatem de Sereniſſimis Regib. Anteceſſorib. nunq̄ malè meritam affligi patiatur: quin incumbentia grauamina potius abolere, quàm temeritatis, ſuperbiæ, vel ſtudioſæ ꝓcraſtinationis in horum negociorū tractatione ſiniſtram aliquam de nobis ſuſpicionem concipere, & ſic denique rebus omnibus pacatis finem harum actionum ita clementiſſimè cōſtituere dignetur, vt cum fideliſſimis ſubditis non ſummo iure, non armis, non exitio demum, ſed beneuolētia potius, quæ Regiæ dignitatis eſt maximè propria, tranſegiſſe clementiſſimè videatur. Quod non minori cum laude & æternæ benignitatis teſtimonio R. veſtræ Maieſtatis clementiam poſteris etiam cōmendabit, quàm nos omnibus fidelitatis & obſequiorum ſtudijs humilimè ꝓmereri perpetuò conabimur, &c. Datum Gedani die ij. menſis Februarij Anno Domini M. D. Lxxvij.

Inſtru-

INSTRVCTIO EORVM quæ ad Sereniſsimæ Regiæ Mt̃is Reſpõſum nuper allatum, Ordines Ciuitatis Gedanenſis Internuncijs ſuis Spectabilibus & clariſsimis Dñis, Cõſtantino Ferbero Præconſuli, Georgio Roſenbergio Conſuli, & Heinrico Lembken I. V. D. & Syndico, in mandatis dederunt, die 3. menſis Februarij Anno Dñi 1577.

QVid Sereniſsima Regia Maieſtas Poloniæ &c. Dominus noſter clementiſsimus, ad humilimas Ordinum petitiones nuper expoſitas, clementiſsimè reſpondérit, tam ex literarum monumentis ad præſens negocium pertinentibus, quam ex relatione Dñi Syndici, perquàm reuerenter Ordines intellexerunt. Maluiſſent ſanè ſuperſedere tot reſponſis & legationibus, ipſi quoq; Regiæ Mt̃i fortaſſe moleſtis, & oẽs harum rerum difficultates iampridem æquis conditionibus tranſactas compoſitasq; peroptaſſent. Cuius rei fiduciã ita nunc etiam penes ſummum Deum & Regiam Mtẽm certiſsimè repoſitam habẽt, vti ſinceris animis & humilimo gratificandi ſtudio, maioris etiam quàm in facultatibus ſit, pacificam huius negocij compoſitionem redimere voluerunt.

Cæterum cum res per ſe non ſolum ardua ſit ac diſficilis, verum etiam Ordinum deliberationes in tanta ſuffragiorum multitudine laxiori plærumque ſpacio temporis indigeant, Sereniſſimæ Regiæ Mtī precibus humilimis Internuncij noſtri ſupplicabunt, vt ipſa pro ſua perpetua benignitate, quicquid hactenus interceſſit moræ, quo tardius Ordines & cōſilia ſua terminarent, & Syndicum remitterent, rerum potius difficultati, quàm procraſtinationis culpæ tribuere, quæque nunc etiam maximè Ciuitatē vrgent, ad animum admittere, clementiſſimè dignetur.

I.

Ac primum, quemadmodum Ordines in offerendis ducentis florenorū millibus, ſummum ſe fideliſſimæ ſubiectionis obſequium præſtituros decreuerant: ita ſolutionum tempora, quàm breuiſſimis ſpacijs quib. implendæ fidei pares eſſe poſſent, diſpoſuerunt. Etenim vt in præſentiarum arctiori promiſſionem ſuam adſtringant vinculo, quàm deinceps ſtatis diebus ſoluendo ſint, quid inde ſperādum aliud, quàm vt non ſolum Ordines promiſſis cadant, ſed etiā Regiæ Maieſtatis offenſæ longè magis ac magis indies fiant grauiores? Quinimmò quò plus temporis hiſce tractationibus accedit, eò difficilius futurum eſt primi ſaltem termini præſtandi rationē inuenire, longeq́ benignius ageret Regia Maieſtas, terminum iſtum aliquatenus proferendo, quàm fideles & obſequentiſſimos ſubditos ad impoſſibilium conditionem adigendo.

Auget

Auget huius rei difficultatem, quod hoc afflictiſſimo ſtatu longè plures ac maiores quàm vnquam antea Ciuitatis ſunt impenſæ, cũ ob æris alieni rationes, tum quòd eodem penè tempore Sereniſſimo Daniæ Regi, non exigua pecuniarum ſumma perſoluenda reſtat. Vt nihil nunc dicamus de ſumptibus in poſſeſſiones Inſulares, præſertim ſi vis aquarum, quod planè verendum eſt, fluminis aggeres perrumpat, erogandis. Quæ quidẽ expenſæ eodem fonte Cõmiſſionis illius infeliciſſimæ, quo cætera Ciuitatis grauamina, contra pacti conuenti leges, ſunt oriundæ. Quapropter Regiam Mtẽm humilimis precibus obteſtabuntur Internuncij, vt quod Ordines iam antea ſubiectiſſimo fidelitatis propoſuerunt ſtudio, ſummis ac terminis iiſdem quibus receperunt, Regia Mtas clementiſſimè ſibi ſatisfieri dignetur, nec impoſſibilibus conditionibus, quarum per ſe nulla eſt obligatio, vel vrgeri Ciuitatẽ amplius, vel grauioribus etiam difficultatibus implicari patiatur.

Deinde cum præter Ciuitatis obſequium, Terrarum etiam Pruſsiæ Status, pro conſeruanda publica tranquillitate, centena millia florenorum Regiæ Mtĩ perſoluenda ſuſceperint, citra tamen huius Ciuitatis ampliorem iacturam vel contributionem: Sic enim et renunciatum eſt nobis, & Terrarum Status itidem literis admonuimus: perquam iniquum cenſent Ordines, ſe liberalitatis eius, quòd in rem ſuam publici cõmodi cauſſa collatũ ſit, onere prægrauari. Nam cum eæ pecuniæ quas ipſi promiſerunt, nõ

aliunde, quã ex ciuilium facultatum & publicarũ poſſeſſionum erogationibus, in acciſas, & alias eius generis collationes, comparari poſſint, facilè poteſt intelligi, Ciuitatem vtrique ſimul oneri haudquaquam eſſe ferendo futuram. Qua de cauſſa Regiæ Mtĩ ſupplicant Ordines humilimè, ne quod in Ciuitatis fauorem & impendiorum relaxationem vltrò propoſitum eſt, in eiuſdem præiudicium vel detrimentum deriuetur, quin potius vt ducẽtorum millium obligatio ſine honoris publici ſuggillatione, vel vadimonij ſponſione tam acerba, modis ac terminis ijs quibus formauimus, conſcribatur.

II.

Secundo loco, quod ratione ſubiectionis Regiæ Mtĩ Ciuitas præſtare tenetur, debito ſuo nunquam hactenus defuerunt Ordines, nec in poſterum quantum in ipſis eſt, deerunt. Cæterum Diuus Sigiſmundus Auguſtus, penſionem illam (Ratas vocant) q̃ Sereniſſimis Regib. quotannis pendi ſolebat, ſimul & ſemel Ciuitati, tum cum bellum Liuonicum vrgeret, & Reipublicæ neceſſitas exigeret, pro credito ſeptuaginta millium florenorum, quæ ſua fide Ciuitas ſub vſuris in mutuum accepit, cum Conſiliariorum Regni conſenſu, ſucceſſorib. ſuis in eandem rem obligatis, hypothecæ loco reliquit: Sic vt maiorem partem eius penſionis in vſuras annuas Ciuitas erogaret, reliquũ ad Maieſtatis eius ærarium deferret.

Et vt præter eas pecunias quibus publico nomine

Ciuitas

Ciuitas in creditum iuerat, maius etiam fidei documētum conſtaret, optimo pientiſsimoq́; principi tum temporis etiã Ordines triginta millia florenorum liberali manu donauerunt. Quo magis humilimè confidunt, ipſam quoq; Regiam Maieſtatem, cuius nunc imperium eſt, obligationem Anteceſſoris, verbo Regio ſanctè confirmatam, non minus clementiſsimè ratam, & firmã, ac olim à ſuis ſucceſſoribus ſuo nomine fieri vellet, habiturã. Cuius generis contractus in eiuſmodi penſiones annuas, eodem neceſsitatis tempore, cum alijs etiam Regni ſtatibus initi, robur & firmitatem ſuam vti fas eſt, ſemper obtinuerunt. Quod ſi de ſorte ſeptuagīta millium florenorum Ciuitati rectè ſatiſfiat, nihil obſtabit, quo minus integræ penſiones, vti conſuetum erat, quotannis exoluantur.

III.

Tormenta quatuor bellica quod attinet, Internuncij Regiam Mtem humilimè deprecabuntur, vt eius oneris Ciuitati gratiam clementiſsimè facere dignetur, cum quod Ciuitas inſtrumentis bellicis, quanq; in Regni limine poſita, contra quaſuis hoſtiles impreſsiones, haud ſatis abundat, tum quod hoc apud alios ignominiæ nõ poſtremæ loco futurum ſit Ciuibus, quaſi rebellionis ergò, quam à cogitationibus ſuis ſemper abfuiſſe liquidò teſtantur, ijs tormentis eſſent mulctati.

IIII.

Ad extruendam domum & ſtabulum in vſus Regiæ

Maieſtatis, recognoſcunt Ordines, eo ſe modo, quo Diui Caſimiri Priuilegium innuit, obſtrictos. Confidunt autem humilimè, Regiam Mtēm Anteceſſorum exemplo, Ciuitatis vehementer nunc afflictæ, quoad facere poterit, etiam hac in parte, benigniſſimam rationem habituram.

V.

Porrò quod Regia Mtās negocium portorij maritimi ad generalem Regni cōuentum reijcit, proximis literis ſuis Ordines humilimè ſatisq́ prolixè demōſtrarunt, quæ primum eius negocij tractandi ratio fuerit, quæ conditiones adiectæ, per quem tandem ſteterit, quo minus ad effectum pduceretur. Neceſſarium igitur erit, vt ijſdem quibus antea ſcriptum eſt argumentis per Internuncios noſtros, Regiæ Mtī plenius & humiliori ſtudio res ad animum reuocetur. Enimuerò ſi quid Ordines hoc nomine Regiæ Mtī deberent, vtique nollent aliquid in ſe parum dextrè deſiderari. Cæterum nemini non manifeſtum eſt, omnes harum offenſionum cauſſas ex Regalis Electionis diſsidio natas. Qua in re, quod voto ſuo tandiu Ciuitas inſtitit, quoad Cæſarea Mtās vixit, & Poloniæ regnum acceptare voluit, non magis Ordinibus huius Ciuitatis, quam cæteris Regni ſtatibus, qui idem ſentiebant, vitio verti poteſt, quandoquidē Ordines æquè iampridem ac cæteri, ſubiectionis fidem ſaluis iurib. ſuis parati fuerint profiteri. Proinde cum ex Internunciorum relatu gratiſſimis animis acceperint, Regiam Maieſtatē ob ſuperiores actiones

nes huic Ciuitati ſuæ nolle quampiam rebellionis notam inuri, facile futurum erat, niſi per aduerſarios ſtetiſſet, vt cum Regiæ Mtis bona gratia iamdudum res omnis pacificè tranſigeretur. Quod autem ad placationis tractatum pertinet, negocium iſtud cum ſolo Diuo Sigiſmundo Auguſto, nec cum alio mortalium quopiam Ordinibus interceſſit, in quo neque Succeſſorum eius, neq; Regni Poloniæ, vel minimum vlla fuit facta mentio: Conditiones autem diſertis expreſſæ verbis, vt Regia Mtas centena millia florenorum ſub fide Ciuitatis alicundè fœnori ſumeret, vt eidem Regiæ Mti auctio portorij, quoad in viuis eſſet, cederet: Ciuitatis tam iuri quàm prouentibus id detrimento nō eſſet, vt omnia grauamina quæ tum præ manu erant, penitus abolerentur: demum vt in horum omniū fidem Regijs literis Ciuitati probè caueretur. Quibus conditionibus ex parte Regiæ Maieſtatis minimè completis, æquum bonumq; videtur Ordinibus, ne ſe quidem eius pacti cōuenti nomine cenſeri debitores, nedum vt hoc caſu Comitiorum cenſuram vel decretum agnoſcere teneantur. Ac vt maximè velit Regia Mtas, ſummo fortaſſis iure, prædeceſſoris iſthoc negocium ad ſe pertinere, non ſine ratione dicetur, eam eodem iure, iiſdemq; legibus, quibus prædeceſſor rebus integris tenebatur, vſuram, nec minus ad abolenda grauamina, magis interim accumulata, quàm Ordines ad promiſſi fidem, obligari. Verum cum auctio portorij non cum Ciuitatis ſolum, ſed etiam incolarū Regni, qui merces

ſuas

ſuas huc important, detrimento maximè cõiunĉta ſit, Diuus etiam prædeceſſor ob eam cauſam, dum inter homines eſſet, alio quopiam obſequÿ genere cõmodius depaciſci maluiſset: illud omnino perſuaſum habent Ordines, eo quod ſuperiorum conditionum vice, ducenta florenorum millia propoſuerint, centena verò ſtatus Terrarum addiderint, (vt cæterarum impẽſarum amplius ratio non habeatur) multò plus iam Regiæ Maieſtati, quàm prædeceſſori diem functo deferri, nec vllam ſupereſſe cauſſam qua Ciuitatis Ordines ad duriores præterea conditiones (quod rectum iuſtumq; ſit) adigantur. Eapropter iterum ac iterum humilimis precibus Regiæ Mtī ſupplicant Ordines, ne quid horum negociorum ergò, quæ cum defuncto principe functionem quoque ſuam obierunt, Ciuitati ſuæ fideliſsimæ, contra libertates antiquiſsimas, & iura ſacroſancta, vel præiudicÿ vel fraudis, ratione portorÿ, quo Ciuitas ad impenſas neceſſario ſuſtinendas carere minimè poteſt, præter meritum importari velit, præſertim quod oẽs eius generis abuſus & præiudicia, in ipſo placationis, qua de loquimur, contextu, verbis diſertis excipiantur, tollantur, abrogentur.

VI.

Sequitur quod Regia Mtās grauamina quæ ſcripto ſunt edita, partim abolita iubet eſſe, partim ad Regni Comitia profert. Quod duabus de cauſsis planè moleſtiſsimum eſt Ordinibus: Vna, quod interim, dum Comitia fiant,

ant, rebus non compoſitis, negocium ſiſtitur, Regiæ Mtī cum Ciuitate non rectè, quod oportebat, conuenit, offenſiones remanent: Altera, quod hoc modo, negocium ad Regni Comitia, quibus cum nihil eſt nobis commune, remittitur, & Priuilegij publici caput præſtantiſſimũ, de cauſſis notabilibus (ſic enim verba ſunt) cum conſilio Conſiliariorum Pruſſiæ tractandis, determinãdis & definiendis, cum cõmunis patriæ ſummo præiudicio, vehementer viribus ſuis deſtituitur. Grauamina certè quæ ſcripto ſpeciatim ꝓpoſuimus, parui quidem adhuc depenſa, tanta ſunt tamen, vt ijs non abolitis, breui quidem Ciuitatem nõ ſolum ex iuribus, Priuilegijs, libertatibus, & fortunis ſuis, ad ſummam iniuriam, ſeruitutẽ, & infortunium deponi neceſſarium ſit, verum etiam Ordines promiſſis ſuis, quibus nunc obſtringi volebant, horum præcipuè grauaminum abolendorum cauſſa, nequaquam ſatisfacere ſe poſſe, intelligant. Illud ſaltem in dubiũ non vocant, cum Regia Mtās auctoritatem habeat pleniſſimam cum Ciuitate tranſigẽdi (nam & Diuus Sigiſmundus Auguſtus in Cõmiſſorialibus negocijs eodem vtebatur iure) quinetiam abolẽdorum grauaminum, citra Comitiorum cognitionem, meram rectè valeat vſurpare poteſtatem. Enimuerò ſi ius Regium in eo maximè conſiſtit, vt ſubditorm iura, Priuilegia, libertates confirmentur, ſarta tecta habeãtur, & defendantur, eiuſdem certè ſublimitatis eſt; abuſus, grauamina, præiudicia, quæ quibuſuis modis obrepſerũt,

auctoritate principali, ſine Comitiorum cenſura, vel aſſenſu Conſiliariorum, qui ſua iura ſimiliter tueatur, emendare, tollere, abrogare. Diuerſis & planè contrarijs vicibus cenſentur, priuilegia, & grauamina, quæ reuera non tàm vno loco conſiſtunt, quàm alterutrum ab altero credibile ſit expelli. Nec ſanè multum intereſt, Priuilegia verbotenus, vel literis, vel etiam ſigillis corroborari, ſi grauamina interim ſuo loco non moueantur, quoniam eo modo Ciuitas neque Priuilegiorum vſu, neq; Confirmationis intuitu, quæ per ſe nihil noui iuris apportat, magnoperè gaudebit. Quapropter Ordines denuò ſupplicant humilimis precibus, vt Regia Mtās omnia grauamina, quæ Ciuitatis iuribus, Priuilegijs, libertatibus, conſuetudinibus, quoquo modo derogant, damno, fraudi, noxæ, vel detrimento ſunt, & nominatim Cōmiſſionis negocia, citra Comitiorū cōſultationem, auctoritate ſua Regia terminare, emendare, & penitus nunc abolere, clemētiſſimè dignetur.

Quo pacto Ciuitas de fortunis ſuis longè quam hactenus melius ſperauerit, et rebus omnibus idoncè pacatis, ad præſtandum fideliſſimæ ſubiectionis obſequium quod iam antea recepit, multò fuerit alacrior: Regia verò Mtās, hoc benignitatis genere non ſibi ſolum illuſtriſſimi beneficij memoriam apud poſteros comparauerit, verum etiam ciues & incolas omnes huius Ciuitatis dubio procul ad demerendam tantæ bonitatis gratiam, quantum in ipſis erit, perpetuò deuinctos habuerit.

Confirmatio-

VII.

Confirmationem Priuilegiorum & Religionis cautionem Ordines gratiſsimis accipiunt animis. Hoc ſaltem Internuncij proſpiciant, ne cum Ciuitatis præiudicio ſit, quod in Confirmationis calce ſcriptum eſt, eo modo ſalua fore Ciuitatis iura & Priuilegia, quo primum Regia Maieſtas Regno iurauerit. Iuramentum enim Regium de conſeruandis iuribus vtriuſque gentis Polonicæ & Lithuanicæ, noſtris iuribus & Priuilegijs planè videtur eſſe contrarium. Quapropter vel omittendum erit illud, quod in calce ponitur, vel ea forma Confirmationis petenda quam nos deſcripſimus.

VIII.

His conditionibus cum Regia Maieſtas conſentire clementiſsimè dignabitur, (nec enim Ordines amplius facere poſſunt) & rebus omnibus pacificè compoſitis, Decretum proſcriptionis tam immeritò, quàm iniquè Ciuibus irrogatum, abolebit, omnibus ſimul offenſionibus, damnis & iniurijs, publicis & priuatis, æternæ commendandis obliuioni, non recuſant Ordines quin & fidelitatis iuramentum præſtent, & alia quæ debent ſubiectionis officia ſubeant, & militem quamprimum per ſtipendiorum exolutionem liquebit, à ſe dimittant.

Qq ij Illud

Illud interim operæpretium fuerit Regiam Mtēm humilimis verbis edocere, quod rebus adhuc in tranſactione poſitis, non ſolum milites illi, qui Regiam teſſeram profitentur, in vicinia ſummo cum incolarum detrimẽto, ac penè non exitio, cõmorantur, rapinis & deuaſtationibus prouinciales diuexant, verum etiam in Pomerania, & vlteriori Pruſſia quotidie milites colliguntur, Regiæ Mtis authoritate, contra Ciuitatem Gedanenſem, quinimmò milites qui dimittũtur à Ciuitate, mox in vicinia contra Ciuitatem conſcribuntur. Non poteſt fieri quin Ordines hoc rerum ſtatu multa ſuſpicari cogantur, veruntamen minimè ſperant, Regiam Mtēm, reiectis fideliſſimorum ſubditorum obſequijs, ipſis vim aliquam vel conditionem impoſsibilem inferre, proponere voluiſſe.

IX.

Tandem quod ad Deprecationis formam attinet Ordinibus propoſitam, ſummo certè cum dolore perſpiciunt ita conſcriptam eſſe, vt ſine ignominiæ nota præſtari nequeat. Regia verò Mtās iam antea clementiſſimè conſtituit, humilitate ſibi, non ignominioſa, ſed qualis Chriſtianos decet, ſatiſfieri poſſe, honorem eum qui Deo ſacer eſt ſe non deſiderare. Quapropter Internūcij Mtēm eius ſubiectiſſimis precibus obteſtabuntur, vt omnes offenſiones pro benignitate ſua regali clementiſſimè remittat, et eiuſmodi Deprecationis Ciuitati gratiam faciat, cum quod inde Regiæ dignitati nihil accedet, tum quod Ciuitas, alioquin

quin apud exteros præclari nominis, hoc modo maculam exiſtimationis non leuem ſibi cōparabit. Sin obtineri non poßit, vt Deprecatio penitus exauctoretur, non recuſant Ordines, quo minus Internuncij ſecundum id quod prius in cōmißis habebant, ea forma quam ipſimet conſcripſimus, nomine Ciuitatis piè religioſeq́ deprecentur, ſic vt citra Ciuitatis infamiam fiat. Nec enim Ordines cum ſua & poſterorum nota quoduis delictum agnoſcere poſſunt, à quo ſemper fuerunt alieniſsimi.

Hæc vti ſuperius ſcripta ſunt, ad Regiam Mtēm Internuncij cum humilimo ſubiectionis ſtudio fideliter referent, & operam dabunt vt ijs conditionibus, ſecundū Inſtructionis huius tenorem, negocium hoc difficilimum tandem aliquando bona cum gratia tranſigatur. In quorum omnium fidem Sigillum ſuum Ordines ſcientes apprimi voluerunt.

Literæ, quarum in præcedenti Inſtructione mentio fit, ad Dominos Conſiliarios harum Terrarum in hanc fermè ſententiam perſcriptæ.

SAlute præmiſſa, &c. Quantæ difficultates ex ſuperioribus actionibus, iam ab aduentu Sereniſsimi Regis Dñi noſtri clementiſsimi in haſce Terras, aduerſus hanc potiſsimum Ciuitatem, exortæ fuerint, ſine temporū

 infelicitate,

infelicitate, ſiue malorum hominum opera, notius eſt Reuerēdiſſimæ, Magnificis, Gen. ac Sp. Dom. veſtris, nobis autem longè acerbius, quàm vt hoc loco pluribus libeat cōmemorare. Quemadmodum autem iam tum ab initio, oēs actiones & conſilia noſtra in eum ſolummodo finem animo ſincero direximus, quo iuxta vetuſtiſſimam vnionem, qua Regno Poloniæ coniuncti ſumus, & patriæ cōmunis, & huius Ciuitatis, iura ac Priuilegia, ſarta tecta eſſent, & vitia q̄ paſſim obrepſiſſent, abolerentur: ita poſtq̄ cæteri Terrarum Status cum Ordinib. Regni, ratione noui Principis, in vnum coijſſent, nihil magis curæ nobis fuit, quàm vt hæc etiam Ciuitas ſaluis patriæ iuribus, ſaluum id haberet, quod à maiorib. accepiſſet. Ac in eam rem ſæpius animū noſtrū, ab oī rebellionis ſtudio, q̄ p̄ter meritū nobis irrogatur, cum verbis tum literis, alienū oſtēdimus, ac innocentiæ noſtræ Deum & hoīes teſtes laudare poſſumus. Enīuero petitionib. noſtris æquiſſimis planè reiectis, vel in deteriorē partē acceptis, agri publici hoſtiliter rapinis, depopulationibus, igni, ferroq́; diuexati, & irrecuperabili dānoCiuitas nūc etiā indies magis ac magis affligitur. Vt taceam⁹, Internūcios p̄ter publicæ fidei literas in cuſtodiā datos, nullo certè Diuorū Anteceſſorū Poloniæ Regū exēplo. Cæterū cum nos oēs nihil magis optemus, quàm recuperata Regiæ Mtīs gratia, ſaluis iuribus & priuilegijs, cum cæteris Regni ſtatibus, ſub ei⁹ Mtīs regimine ac tutela pacificè viuere, eamq́; felicitatē etiam poſteris relinquere

cupiamus,

*cupiamus, ideò rebus iterum ac iterũ deliberatis, eas ratio-
nes iniuimus, quibus omnino confidimus Regiam Mtẽm
placari, & offenſiones oẽs ſopiri & aboleri poſſe: tanto
certè cum gratificandi ſtudio, ad ducenta florenorũ millia
præſtãda, quod vix nunc in Ciuitatis facultatib. eſt, præ-
ſertim cum publici prouentus vehementer attenuati, Ciuiũ
facultates hoc perturbato rerum ſtatu magis ac magis ac-
ciſæ, publicum ærarium quotidianis ſumptibus ſit exhau-
ſtum. Proinde cum intellexerimus ex Internuncijs noſtris,
Reuerẽdiſſimam, Magnificas, Gen. & Sp. Dom. veſtras
pro conſeruando prouinciæ ſtatu tranquillo, vehementer
huius controuerſiæ tranſactionẽ cupere, neq; recuſare quo
minus in Ciuitatis ſubſidium, ex Contributione ꝓuinciali,
centum etiam inſuper florenorum millia Regiæ Mtĩ præ-
ſtentur: pro ea benignitate gratias quàm poſſum⁹ habem⁹
maximas, & ſi facultates noſtræ tulerint, meliore quan-
doq; rerũ ſtatu, nõ ingrata memoria ꝓmereri conabimur.
Neq; dubitamus, quin hoc in Cõuentu Grudẽtinenſi ratio-
nes inibunt, quib. ea ſumma centenorũ miliũ, citra Ciuita-
tis vlteriorem moleſtiã vel collationẽ, quàm cõmodiſſimè
cõficiatur. Vertitur hac in re nõ Ciuitatis ſolum incolumi-
tas, ſed in vniuerſum totius ꝓuinciæ ſalus et trãquillitas.
Neq; nos quicq̃ iniquũ, nouũ, vel Regiæ dignitati non cõ-
ueniens petimus, Religionis pacẽ, iuriũ ac libertatum con-
ſeruationẽ, grauaminum abolitionẽ, q̃ Regia Mtãs omnia
ſubditis ſuis ex officio Regio ꝑſtare tenetur, ſic vt hoc ob-
ſequium noſtrũ, gratificandi potius ſtudio, quam cuiuſuis
mulctæ loco ſit cenſendum.*

Qua-

Quapropter iterum ac iterum diligentiſsimis precibus rogamus, benignè dent operam Reuerendiſs: Magnificæ Gen. & Sp. Dom. veſtræ, vt iiſdem rationibus quicquid adhuc eſt controuerſiarum pacificè cōponatur ac ſopiatur, vtq́ in conficiendis, quæ nomine prouinciæ ſuperadiecerunt, cētenis florenorum millibus, Ciuitas eius oneris ſit immunis, cum alioquin maioribus fermè quam facere poſsit præſtationum oneribus ſeſe illigauerit. Facient rem & æquitati conuenientem, & ad præcauenda maioris mali pericula maximè idoneam, nobis autem viciſsim omnibus obſequiorum generibus diligentiſsimè promerendam, &c. Datum Gedani die 4. menſis Ianuarij, Anno Domini M. D. LXXVIJ.

Ordinum ſupplicatio pro grauaminibus realiter abolendis.

CVm Sacra Regia Mtās declarationem ſuam Regiā ratione incōmodorum, difficultatum, atq́ grauaminum huius Ciuitatis iterum proponere clementiſsimè dignata fuerit, eamq́ declarationem vim Priuilegij obtinere voluerit, quāuis priori declarationi parum ita additū fuerit, vt incolæ huius Ciuitatis id ſuo cum cōmodo atq́ emolumento coniunctum fore perſpicere poſſent, pro ſubiectionis tamen atque fidei ſtudio intermittere non potuerunt, quin ea omnia iterum demiſsiſsimis verbis, breuibus tamen, repeterent, atque humilimo ſtudio officioſiſsimè rogarent,

garent, dignetur Sacra Regia Mtās, cum Priuilegiorum confirmationem clementiſſime polliceri, eiuſq́ confirmationis exemplum nobis pro ſingulari ſua Regia clementia transmittere dignata fuerit, ea incōmoda atque grauamina omnia & ſingula, ſine quorū abolitione Ciuitatis Priuilegia & libertates conſiſtere nullatenus poſſunt, & confirmatio abſque ea per ſe nullius momenti ſit, benigniſſimè abrogare & è medio tollere, vt ita Priuilegijs noſtris libere vti, cum non niſi in vſu conſiſtant, & ijs quemadmodum à maiorib. noſtris factum ſemper fuit, frui, abſq́ alicuius impedimento atque interpellatione poſſimus.

I.

Atq́ ad primum Articulum de Confeſſione Auguſtana quod attinet, Sac. R. Mtī immortales planè agimus gratias, quod nobis eius liberum vſum permittere clementiſſimè dignata fuerit, et humillimis precibus maiorem in modum rogamus, vt hæc iſti articulo adhuc addātur verba, vt ea vti poſſint quemadmodum nunc vtuntur, & in eius poſſeſſione pacifica in omnibus templis, monaſterijs, atque Xenodochijs ſunt, neúe ritus ceremoniarum vllo pacto immutentur.

II.

Electionis negocium, & quæ illud ad hanc vſq́ diem quoquo modo tam in Ciuitate quàm extra Ciuitatem cum publicè tum priuatim ſubſecuta ſunt, demiſſiſſimo ſtudio obnixè rogamus, ne cuiquam cuiuſcunq́ ſtatus aut cōditio-

Rr *nis ho-*

nis homini, neq; in iudicio neq; extraiudicialiter vlla ratione vel modo, fraudi, periculo, aut detrimento eſſe poſſint.

III.

Pro tranſmiſſa priuilegiorũ cõfirmatione, Sereniſſ. R. Mti ingentes et immortales agimus gratias, Rogamus autem humillimo ſtudio vt ea adijci adhuc poſſint, quæ per Internuncios noſtros peculiari exemplo exhibebuntur.

IIII.

Vbi Mtās R. per Dei gratiã Ciuitatẽ feliciter ingredietur, iterũ atq; iterum humillimè petimus, vt tum comitatum ſuum ita moderari clementiſſimè dignetur, ne vel oneri ſit Ciuitati, vel inde perturbatio aliqua proueniat.

V. VI. VII. IX.

Cõmiſſorialia negotia, & quæ ijs quomodocunque, ratione placationis, portorij maritimi, atq; Cõſtitutionum adhærent, demiſſiſſimis verbis obnixè rogamus, vt ea omnia & ſingula Sereniſſima Mtās R. clementiſſimè abolere dignetur, cum nihil magis iuribus, Priuilegijs, libertatibus, & conſuetudinibus noſtris ſit contrariũ, Et omnia ea quæ præteritis tẽporibus Dominis Cõmiſſarijs promiſſa fuerint, non purè ſed ſub cõditione, neque indefinitè, ſed ad vitam Maieſtatis Regiæ laudabilis memoriæ Sigiſmũdi Auguſti promiſſa fuerint, quemadmodum id antehac ſatis ſuperq; oſtendimus.

VIII.

Quod Sereniſſima R. Mtās ſpeculatores remouere, nec in poſterũ eorum opera vti cõſtituit, humillimis verbis magnas gratias agimus. Libel-

X.

Libellos famoſos, quod caſſare, & prohibere, ne poſthac vel clam vel palàm edantur, Sereniſsima R. Mtās dignata fuerit, quas poſſumus maximas agimus gratias. Eorum autem authores vt iuxta iura, Conſtitutiones, & harum Terrarum conſuetudinem, punire mandet, demiſsiſsimis verbis rogamus.

XI.

Nihil dubitamus, quin Sereniſs: R. Mtās vnà cum reliquis Statib. & Ordinib. harum Terrarū Pruſsiæ nos penes oīa & ſingula Priuilegia clementiſsimè cōſeruatura, neq; eos qui cum Magiſtratu ſunt, ad Regni Comitia, contra antiquam conſuetudinem, euocatura ſit.

XII.

Humillimo ſtudio rogamus, vt præteritis temporib. in Regno Poloniæ laudatæ Contributiones, quemadmodū iam Mtās R. recipere clementiſsimè dignata eſt, à nobis auferantur. De futuris nihil ambigimus, quin ea in ſpe ſumus certiſsimi, futurum, vt Mtās R. Status & Ordines Terrarum Pruſsiæ penes ſua Priuilegia & libertates clementiſsimè conſeruet.

XIII.

Executionis negocium tale eſt, vt ſi Sacra Regia Maieſtas nos penes Priuilegia conſeruare voluerit, quēadmodum nō ſemel polliceri clemētiſsimè dignata fuit, certū ſit oīa noſtra bona terreſtria, quæ Priuilegijs ita innituntur, vt ab eis auelli nulla ratione poſsint, nobis per oīa ſalua

ſutura eſſe, neque vel Comitiorum vel aliquam aliam cognitionem, neque Executionis rigorem deſiderare.

XIIII.

Quod Sacra Mtās R. neminem ad Tribunal ſuum Regium in cauſis maleficiorum euocare cōſtitutum habet, immortales & permagnas agimus gratias. Cum autem ea exceptio annexa ſit, niſi in cauſſis merè Regijs, maiorem in modum humillimè petimus, vt ſcribatur, Exceptis tamen cauſſis Regiam noſtrā perſonam merè cōcernentibus.

XV.

Quemadmodum pro huius articuli clementiſſima declaratione permagnas egimus antehac gratias, ita nunc etiam humilimas agimus.

XVI.

D. Caſimiri Regis Priuilegium de condendis & abrogandis Plebiſcitis, in dubium vocare nullatenus poſſumus, cum clara & apertiſſima ſint Priuilegij verba, & Ciuitas in eius vſu ſupra hominum memoriā fuerit, Quare rogamus ne Sacra Mtās R. nos ad conuentum Regni eius Priuilegij nomine reijcere, ſed nos penes illud & reliqua omnia conſeruare clementiſſimè dignetur.

XVII.

Pro eo articulo & egimus & agimus permagnas & immortales gratias.

XVIII.

Cum omnes ſimus ſeruitores Sereniſſimæ Mtīs Regiæ, & eius Mtīs ſeruitio ac miniſterio addicti, æquitatis ra-

tis rationem non admittere cenſemus, alios præ nobis, qui ſumus Conſiliarij & Magiſtratus Mtis R. eximere, vel ijs maiores prærogatiuas concedere. Si autem ipſa neceſsitas omninò exigere viſa fuerit, vt ſeruitores ſuos Mtās Regia in Ciuitate habeat, æquiſsimum eſſe iudicamus, vt nobiſcū ad oīa iura & onera ciuilia obligentur & obſtringantur.

XIX.

Lanij priuilegia ſua contra cōmunia Ciuitatis Priuilegia & Plebiſcita, ad turbandam cōmunem Ciuitatis tranquillitatem impetrarunt. Cum autem priuata priuilegia publicis derogare non poſsint, æquitatis & iuſtitiæ rationem expoſcere iudicamus, ea oīa tollere & abrogare.

XX.

Cum tranſactio, quæ ab omnibus Ciuitatis Ordinibus, cum braſcatoribus ex Priuilegij præſcripto inita fuit, ad Cōmiſſoriales actiones pertinere videatur: ſubmiſsè rogamus, vt ea perpetuæ firmitatis robur habere iubeatur, nec ad Comitia Regni reijciatur.

XXI. & XXII.

Pro declaratione clementiſsima ratione Moratoriarum, & earum cauſſarum quæ per appellationem ad Tribunal Maieſtatis Regiæ deuoluentur, antehac egimus & nunc etiam agimus magnas ac humili more gratias.

XXIII. XXIIII.

Vt in actionibus criminalibus Conſtitutiones harum Terrarum, Reſponſa Regia, & mos antiquus obſeruentur maiorem in modum rogamus.

XXV.

Cum hic articulus ad articulum ſecundum de ſubleuanda contumatia & quæ bannitioni quomodocunque adhærent pertineat, ſubmiſſiſſimè rogamus, vt Ciuitas in integrum reſtituatur, & ea incōmoda, Citationum, Mandatorum Decretorum &c. quæ initio huius noui regiminis ante Ciuitatis iuſiurandum, quomodocunque obtenſa ſunt, abrogentur & aboleantur.

XXVI.

Ne Laniones profugi & proſcripti pro tuendis turbulentis & ſeditioſis ſuis conatibus recipiantur ac defendantur maiorem in modum humillimè rogamus.

XXVII.

Ad Fiſcalis officium quod attinet, petimus vt Ciuitatis & eius apertiſſimi Priuilegij clementiſſima ratio habeatur, præſertim cum Ciuitas eo nomine ſemper interpellarit, & ius atq; Priuilegiū ſuum integrum conſeruarit.

XXVIII. XXIX.

Iterum atque iterum humillimè rogamus, dignetur Sereniſſima R. Mtās ea media nobis clementiſſimè oſtendere, quibus ad perſolutionem centum millium thalerorū, et eius quod nobis ex arenda telonij Cawneñ debetur, peruenire poſſimus, vel ſaltem nullam de nobis ſiniſtram ſuſpitionem induere, ſi Inſcriptionis ſeu obligationis vigore hypothecam legitimè vendicauerimus, & noſtro iure vſi fuerimus.

XXX.

Ratione

Ratione Schotlandiæ iterũ atq́ iterũ obſecramus, vt Sereniſs: Mtãs R. Ciuitatis Priuilegij clementiſsimã rationem habere, neq́ negotiũ illud diutiꝰ extrahere dignetur.

XXXI.

In Monaſterijs, Parochijs, domo Carthuſianorum ex præſcripto declarationis Sereniſsimæ Regiæ Maieſtatis iure noſtro vtemur.

XXXII.

Pro huius articuli declaratione Sacræ Maieſtati R. quas poſſumus maximas gratias agimus, Et ſimilem in alijs quoque propediem ſperabimus.

XXXIII.

Ratione ſecuritatis in villa Stolʒemberg, *Sac: R. Mtẽm obteſtamur, vt Ciuitatis ſuæ clementiſsimam rationem habere dignetur. Quantumuis enim Reuerendiſsimus D. Epiſcopus Priuilegium obtẽdat, tamen illud à multis annis, quẽadmodum ex Reſponſis D. Sigiſmundi Regis laudabilis memoriæ apparet, ꝓducere non potuit.*

XXXIIII.

Vtinam Dominus Abbas Oliuẽñ ſuo officio Ciuitati tandem ſatiſfaciat.

XXXV.

Penes liberam Iſtulæ nauigationem vt nos Sac. Mtãs R. ſecundum Priuilegij cōis Terrarum Pruſsiæ præſcriptum conſeruare dignetur, iterũ atq́ iterum obteſtamur.

XXXVI.

Cum piſcationis vſum in flumine Iſtula & lacu Haab. *ſupra hominum memoriã habuerimus, & in eius*

pacifica

paciſica poſſeſsione ſemper fuerimus: Maiorē in modum rogamus, vt in ea poſthac quoq; conſeruemur, neq; ab aduerſa parte turbemur. Quæ ſi aliquid iuris ſe habere exiſtimauerit, Cōmiſſarios petat, nec ſe ipſam Iudicem ſtatuat.

XXXVII.

Quemadmodum pro huius articuli declaratione antea humilimas egimus gratias, ita & nunc quoq; agimus.

XXXVIII. & XXXIX.

Dum Sacræ Mtī R. omninò viſum eſt negocium Erneſti VVeiberi & eorum qui fidem ſuam pro D. Sigiſmundo Auguſto Rege venerandæ memoriæ interpoſuerunt, longius extrahere, nihil tamen dubitabimus quin Mtās R. et Ciuitatis & illorum clementiſsimam rationem habitura ſit.

XL.

Circa ſtationem ita nos comparabimus, ne quid Sac. R. Mtās in nobis deſiderare poſsit. Rogamus autem humillimè vt Ciuitatis ſuæ nunc admodum afflictum ſtatū cōſiderare & eius clementiſsimā rationē habere dignetur.

Atque iterum ac iterum ſupplicibus precibus humillimè rogamus, dignetur Sacra R. Mtās Ciuitatis ſuæ clementiſsimam tandem rationem habere, & ea grauamina omnia & ſingula, ſine quorum abolitione Ciuitatis rationes nullatenus conſiſtere poſſunt, ſine qua Priuilegiorum confirmatio nullius etiam erit momenti, benigniſsimè tollere & abrogare dignetur.

Reuer-

Reuerſales literas Ordines hoc exemplo conſcribi ſupplicabant.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ &c.

SIgnificamus præſentib. literis noſtris quorum intereſt vniuerſis & ſingulis. Quod cum nobis Internuncij Ciuitatis noſtræ Gedanenſis, quædam capita incommodorum, difficultatum atque grauaminum, cõtra ipſius Ciuitatis iura, Priuilegia, libertates atque hactenus receptas conſuetudines introducta, ſcripto quodam atque quadraginta articulis comprehenſa, humillimo ſtudio obtuliſſent atq; petijſſent, vt ea pro gratia et authoritate noſtra Regia tollere, Ciuitatemq; ab ijs grauaminibus immunem facere vellemus. Nos viſis & perſpectis omnibus ijs quæ nobis ſcripto oblata fuerant, examinatisq; ritè omnibus illorum petitionibus, cum animaduerteremus atque apertè perſpiceremus, ea omnia eſſe eius generis, vt ſine illorum abolitione Ciuitatis rationes nullatenus conſiſtere, iura, Priuilegia, libertates, conſuetudines, & quæuis munimenta ſalua eſſe nequaquam poſſent, tum confirmationem quoq; Iuriũ, & Priuilegiorum, quam ab initio Ordinibus & cõmunitati illius Ciuitatis noſtræ polliciti ſumus, inutilem prorſus abſque illorum abrogatione fore: ex plenitudine poteſtatis noſtræ Regiæ ea omnia nobis oblata grauamina è medio tollenda, abolenda & abrogãda eſſe duximus, quẽadmodum etiam tollimus, abolemus & abrogamus præ-

ſentibus literis noſtris, ita vt nullis vnquam futuris temporibus Ciuitati noſtræ eiusq; iuribus, Priuilegijs, ac conſuetudinibus, præiudicio vel damno eſſe poſsint aut debeant. Atque in eius rei fidem &c.

Forma deprecationis quam Ordines non detrectabant.

SAcra Regia Maieſtas ac Domine, Dñe noſter clemẽtiſsime, Agnoſcimus & fatemur nos eſſe S. R. Mtis veſtræ ſubditos fideles, Quia autem hoc tempore diſsidiũ Regiæ Electionis inciderit, nosq; cum alijs multis Regni prouincijs & Ordinibus ex iure & Priuilegio noſtro votum noſtrum in eligendo Rege conſtanter defenderimus, poſtea etiam errore quodã & rerum humanarum euentu incerto, qui nec à prudentiſsimo præuideri poteſt, eo deducti fuimus, vt præter alios omnes diutius in hac intẽtione nullo culpabili propoſito perſtiterimus, Qua ex re Sac. R. M. veſtram nõ parum offenſam dolenter admodũ intelleximus, ideoq; S. R. Miẽm veſtrã humillimis precibus obteſtamur, ſi quid S. R. Mtãs veſtra offenſionum inde contraxerit, vt id pro ſua innata Regia clementia & benignitate clemẽtiſsimè remittere, errorum & offenſionũ obliuiſci, nosq; pro fideliſsimis ſubditis habere, & deinceps gratia ſua & clementia proſequi dignetur. Nos deinceps omnem fidelitatem, ſubiectionem, & obſequium S. R. Mti veſtræ promittimus, nihilq; quod ad fideliſsimorũ

ſubditorum

ſubditorum officium pertinere poſſit, in nobis deſiderari patiemur.

His in medium prolatis, tanta Regiæ Maieſtatis animaduerſa fuit indignatio, vt humilimis Internunciorum precibus planè reiectis, proſcriptionis Decretū publicari, nobis ſecuritatem omnem adimi, nec non aqua & igni iuſſerit interdici, quod ex ſequentibus apparebit. Internuncij vero Conſtantinus Ferberus Præconſul, & Georgius Roſenbergius, cum Secretario qui illis aderat, per equites nonnullos, arbitris omnibus excluſis, neſcimus qui locorum, more captiuorum abducti. Syndicus vix ægrè dimiſſus vltimum Reſponſum ad nos retulit.

Internunciorum ſupplicatio.

SAcra ac Sereniſſima Regia Mtās, potentiſſ: Princeps ac Domine, Domine clementiſſime, Sacræ Regiæ Maieſtati veſtræ humillima ſeruitia & obſequia paratiſſimis animis deferimus, Et ſanè perquàm dolenter & ſummo animi mærore intelleximus, Sacram Regiam Maieſtatem veſtram, ea quæ omnium Ordinum Ciuitatis nomine Maieſtati veſtræ propoſita ſunt, magna cum indignatione & inclementia accepiſſe, conſtituiſſeq́ extremis nunc rationibus procedere, & hanc ſuam fideliſſimam Ciuitatem armis exitioſis aggredi.

ſentibus literis noſtris, ita vt nullis vnquam futuris temporibus Ciuitati noſtræ eiusq; iuribus, Priuilegijs, ac conſuetudinibus, præiudicio vel damno eſſe poſſint aut debeant. Atque in eius rei fidem &c.

Forma deprecationis quam Ordines non detrectabant.

SAcra Regia Maieſtas ac Domine, Dñe noſter clemẽtiſſime, Agnoſcimus & fatemur nos eſſe S. R. Mtis veſtræ ſubditos fideles, Quia autem hoc tempore diſſidiũ Regiæ Electionis inciderit, nosq; cum alijs multis Regni prouincijs & Ordinibus ex iure & Priuilegio noſtro votum noſtrum in eligendo Rege conſtanter defenderimus, poſtea etiam errore quodã & rerum humanarum euentu incerto, qui nec à prudentiſſimo præuideri poteſt, eo deducti fuimus, vt præter alios omnes diutius in hac intẽtione nullo culpabili propoſito perſtiterimus, Qua ex re Sac. R. M. veſtram nõ parum offenſam dolenter admodũ intelleximus, ideoq; S. R. Mtẽm veſtrã humillimis precibus obteſtamur, ſi quid S. R. Mtãs veſtra offenſionum inde contraxerit, vt id pro ſua innata Regia clementia & benignitate clemẽtiſſimè remittere, errorum & offenſionũ obliuiſci, nosq; pro fideliſſimis ſubditis habere, & deinceps gratia ſua & clementia proſequi dignetur. Nos deinceps omnem fidelitatem, ſubiectionem, & obſequium S. R. Mti veſtræ promittimus, nihilq; quod ad fideliſſimorũ

ſubditorum

ſubditorum officium pertinere poſſit, in nobis deſiderari patiemur.

His in medium prolatis, tanta Regiæ Maieſtatis animaduerſa fuit indignatio, vt humilimis Internunciorum precibus planè reiectis, proſcriptionis Decretū publicari, nobis ſecuritatem omnem adimi, nec non aqua & igni iuſſerit interdici, quod ex ſequentibus apparebit. Internuncij vero Conſtantinus Ferberus Præconſul, & Georgius Roſenbergius, cum Secretario qui illis aderat, per equites nonnullos, arbitris omnibus excluſis, neſcimus quo locorum, more captiuorum abducti. Syndicus vix ægre dimiſſus vltimum Reſponſum ad nos retulit.

Internunciorum ſupplicatio.

Sacra ac Sereniſſima Regia Mtās, potentiſſ: Princeps ac Domine, Domine clementiſſime, Sacræ Regiæ Maieſtati veſtræ humillima ſeruitia & obſequia paratiſſimis animis deferimus, Et ſanè perquàm dolenter & ſummo animi mœrore intelleximus, Sacram Regiam Maieſtatem veſtram, ea quæ omnium Ordinum Ciuitatis nomine Maieſtati veſtræ propoſita ſunt, magna cum indignatione & inclementia accepiſſe, conſtituiſſeq́ extremis nunc rationibus procedere, & hanc ſuam fideliſſimam Ciuitatem armis exitioſis aggredi.

Quod vti vniuerſo orbi terrarum nō ſolum, ſed ipſi quoq; Regno, præſertim Terris Pruſsiæ nocebit plurimum, & ad interitū, ipſius etiam Ciuitatis ſpectabit inprimis, ita nos Sac. R. Mtis veſtræ fideliſsimi ſubditi eandē Mtēm veſtrā ſubiectiſsimis ac humilimis precibus obteſtamur, vt pro ſua ſingulari Regia clementia & admiranda rerum moderatione, hanc ſuam fideliſsimam & de omnibus Anteceſſoribus totoq; Regno benemeritam Ciuitatem clementiore animo amplecti, eamq; cum cæteris omnibus inclyti Poloniæ Regni membris ſaluam et florentem conſeruare, ſuſceptumq; illud Sac. R. Mtis propoſitum vt pientiſs: & prudētiſsimus Princeps, quem omnia prius q̄ armis experiri decet, ad iuſtum aliquod tēporis ſpacium differre, nosq; ſub fide Salui cōductus Regij ad Ciuitatē, vt Sac. R. Mtis voluntatem et intentionem ea qua decet fide & diligentia Ordinibus referamus, clementiſs. dimittere dignetur, Quo hac ratione & Sacra R. Mtis veſtræ ſumma benignitas & in tam arduis Reip: negocijs deliberatiſs: animus toti mundo magis magisq; innoteſcere, Ordinesq; hac ſingulari clementia attenta, ad accōmodandum ſeſe Sac. R. Mti veſtræ eo facilius induci poſsint. Pertinebit hoc non ſolum ad Sac. Regiæ Mtis veſtræ perpetuā gloriam totiusq; Regni decus, ſed inſuper etiam apud oēs poſteros nomen ſibi comparabit immortale, quod Ciuitatem illam ſuam tanq̄ pientiſs: pater & clementiſs: Princeps ab interitu ſeruare potius quàm armis opprimere clementiſs: dignata fuerit,

Omnesq;

Omnesq́ Ciuitatis Ordines idipſum ꝑpetuis ſeruitijs & paratiſſimis obſequijs in debita fide ſubiectione & obediẽtia ſedulò extremis virib. humillimè promereri conabuntur. Nos etiam pro exiguis noſtris facultatibus nihil in nobis deſiderari patiemur, quod ad officium bonorum et fideliſſimorum ſubditorum pertinere poſſit: Eandem S. R. M. vt Deus Opt: Max. quam diutiſſ: ſaluam, incolumem, omnibusq́ Regijs fortunis florentem conſeruare dignetur, ardentiſſimis votis exoptamus.

S. Reg. Mtis veſtræ
humillimi ſubditi

Internuncij Ciuitatis
Gedanenſis.

Reſponſum Sac. Reg. Mtis datum Gedanenſibus Bidgoſtiæ die xj. Februarij Anno Dñi M. D. Lxxvij.

PRoſpiciebat animo Sacra Regia Maieſtas Dominus noſter clementiſſimus hæc oĩa, quæ agerentur à Gedanenſibus, impetrandis toties Salui conductus prorogationibus, non alio ſpectaſſe, quam vt rem extraherent ad hoc vſque tempus, quod ad detegenda apertè nefaria ſua conſilia magis idoneum arbitrabantur.

Cuius illorum inſtituti, cum antea non parua indicia hæc eſſent, quod in tractationibus à leuiorib. poſtulatis orſi, grauiora quoties legatos ſuos ad Sac. Reg. Mtẽm remitterent indies adderent, quibus tantum abeſt, vt pro

patrato crimine omnium grauiſſimo Regiæ Maieſtati ſatiſfacerent, vt etiam eam prope gloriando, de crimine hoc admiſſo, magis magisq́; offenderent.

Quod tamen Sacra Reg. Maieſtas patienti ac paterno animo ferebat, ac ea etiam. quæ ad iura illorum & libertates augendas ſpectarent, illis concedebat, quæ non rebellibus, verũ bene meritis de Principe ſuo ſubditis deberẽtur, vt hac ſua clementia eos ad officium reuocare poſſet.

Nihil tamen, vt videt, eos hæc benignitas mouit, cum ad ſuperiora poſtulata iniqua, hæc poſteriora impia ac nefaria prorſus adiecerint, ita concepta, vt iam diu meditatum ſcelus prorſus detegant, & tam Regiæ Maieſtati, quam Reipub: cõmuni Regni Poloniæ, contra iuſiurandum maiorum ſuorum D. Caſimiro Regi eiusq́; ſucceſſoribus ac regno, datum, valedicant, nec ſe cum publicis regni conſilijs, ac ipſo regno, in cuius titulum ac ius, vt maiores ipſorum iurarunt, conceſſiſſent, quidquam commune habere impudenter & nefariè ſcribant.

Iam vero Sacra Regia Maieſtas non ſolum iniquitate & inſolentia poſtulatorum in dies lædebatur, verum etiam alio genere iniuriarum, non modo Ciuitate non exonerata, iuxta formulam Salui conductus, mittendorum ad R. Mtẽm oratorum dati, externo milite, verum etiam maioribus conductis copijs, & nobilium, ac aliorum ſubditorum Sac. Regiæ Maieſtatis vrbi vicinorum, pagis ac ædibus ſpoliatis, direptis, ac etiam exuſtis.

Quamobrem

Quamobrem cum iam apertè conſtet, obfirmatas in ſcelere perduellium Gedanenſium mentes, humanitate Sacræ Regiæ Maieſtatis ac alijs lenioribus rationibus ad officium perduci non poſſe, alijs grauioribus Sacra Regia Maieſtas vti, pœnasq́ meritas de illis ſumere neceſſe habet. Itaque decretum ſuum, quo illos perduellionis damnauit, iam iamq́ publicat & promulgat, omnem ſecuritatem terra & aqua illis adimit, ac tanquā impijs in Principem ſuum ac patriā hominibus, aqua & igne interdicit.
Stephanus Rex.

N*Eque multo pòſt tempore ſecutum eſt Interdictum, quo communicatio commerciorum nobiſcum tam exteris quàm incolis Regni prohibetur, atque adeò Emporium ipſum aliò tranſportatur, quod ex ſequentibus literis Vniuerſalibus euidentius liquebit.*

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ &c. necnon Tranſyluaniæ Princeps.

V*Niuerſis & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis & ſecularib. Dominis Regibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Ciuitatib. & alijs omnibus, ad quoſcunq́ literæ*

nostræ

noſtræ peruenerint, ſalutem & felicitatis continuum incrementum, ſubditis vero noſtris gratiam noſtram Regiam. Pro noſtra benignitate adhibuimus omnes rationes, quibus Gedanum Ciuitatem rebellem ad officium reducere poſſemus, Etenim & ipſi illis conditiones proponebamus, quæ cum ad dignitatem noſtram, tum ad illorum ſalutem & cōmoda pertinerent, vt non modò de antiquis illorum libertatibus nihil diminueremus, verum etiam illos auctiores faceremus. Præterea quoque illorum poſtulata clemēter audiuimus, & quæ iuſta erant, locum dedimus, nihil tamen profecimus Poſtremo enim cum nos diu verbis duxiſſent, ea nobis apertè & inſolenter ꝓpoſuerunt, quibus obfirmatū ſuum in ſcelere animum planè apparuerunt. Quare cū leniora nō ꝓfuerunt remedia, ad alia neceſſaria venire neceſſum habemus, & noſtrum & Regni ius, pro iuſiurandi Ordinibus Regni noſtri dati religione, armis ꝓſequi, & omnes mercaturas in emporio illorum exerceri ſolitas, inhibere, ac omnibus & ſingulis interdicere, vti & his literis noſtris inhibemus & interdicimus, Emporiumq́; & mercaturas omnes tam frumentorum quam aliarum rerum omniū, quæ per mare, flumina ac terram, ab externis hominibus, ex Regnis & ditionib. ſuis, tum etiā à noſtris ſubditis è Regno & dominijs noſtris, Gedanum antea demitti & deuehi ſolebant, in Ciuitates alias, potiſſimum verò Elbingam & Thorunium, ibiq́; emporia rerum omnium inſtituimus atque indicimus, & pro inſtitutis & indictis habere volumus. Proinde

Proinde id ad vniuerſorum & ſingulorũ, quicunq; mercaturas cum ſubditis noſtris exercere ſoliti ſunt, & alijs ad quoſcunque literæ noſtræ præſentes peruenerint, noticiam deducimus. Hortamurq; omnes & ſingulos, ne deinceps Gedanum, ſed eo quo ſcripſimus cum mercantijs ſuis, ſiue per mare, ſiue per terram aut flumina ſe conferant, atque ibi & non Gedani mercaturam ſuam exerceant: præſertim cum maiori commodo & emolumento ſuo hoc facient. Nam cum ipſis ſubditis noſtris, qui frumẽta & alias mercaturas demittẽt, mercari illis licebit. Noſtris etiam cum extraneis omnibus. Quod Gedanenſes ꝑtextu quodam libertatum & prærogatiuarum ſuarum, & exquiſitis quibuſdam modis, illis prohibebant, plurimumq; lucri ad ſua cõmoda conuertebant, non ſine magno præiudicio & damno, non modò externorum, ſed etiam & noſtrorum ſubditorum, cum & totius huius Regni noſtri.

Vt autem omnibus & ſingulis tutus & ſecurus tranſitus cum nauibus, curribus & mercib. quibuſuis ad dicta emporia pateat, nos eiuſmodi omnes tam in eundo, quàm in redeundo, Saluo conductu noſtro & ſecuritate quauis prouidemus, prouideriq; ſemper quoties opus fuerit curabimus. Iamq; exnunc mandamus omnibus ſubditis noſtris, ab alijs verò pro iure amicitiæ ac vicinitatis & fœderum amicè poſtulamus; vt omnes & ſingulos vndecunque eò euntes & nauigantes, & ad ſua redeuntes, cum rebus & mercibus omnibus libere & ſecurè permittant permittiq;

iubeant. Factura Dominationes veſtra nobis rem gratam, pari officiorum noſtrorum genere referendam, ſubditi verò noſtri, pro gratia noſtra ſecus facere non audeant. Datum Bidgoſtij die vij. menſis Martij Anno Dñj M. D. Lxxvij. Regni verò noſtri Anno Primo.
Stephanus Rex.

Ioannes Bornkovvski
Præpoſitus Lancicneñ.

EX eo Reſponſo, quod vltimo loco datum eſt, ſi cum ſuperioribus actionib. probè conferatur, iterum facilè quiuis intelligere, & reipſa quaſi deprahendere poterit, aduerſarios noſtros perpetuos, iam ab initio ſolum in eum finem conſilia ſua præmeditata habuiſſe, quo Ciuitatem arbitrio ſuo premerent, Priuilegijs omnibus, dignitate, iuribus, libertatibus exuerent, prouentibus & fructibus priuarent, ac tandem pedibus ſubijcerent. Quicquid autem horum, ſub ſpecie fidei, ſubiectionis, ac officij noſtri, mandatis & perſuaſionibus obtineri non potuit, vi tandem & ferro, prætextu dignitatis & auctoritatis Regiæ Maieſtatis, conati ſunt extorquere. Quaſi nimirum Regia dignitas in opprimendis ſaltem ſubditis, & non potius in tuendis eorundem iuribus ac libertatibus, conſpectior eſſet. Interim haud erubeſcunt, ore ſatis illoto, nos & conciues noſtros tot criminibus nefarijs, & ignominia plenis, paſſim onerare & traducere, quæ, Deo volente, nullis

nullis vnquam temporibus in nos, veris rationibus, & iure integro, ꝓbare valebunt. Quam in rem, nec ipſam Regiam Mtēm, nec quoſuis viros bonos, non ſuſpectos, iuris & æquitatis amātes, cuiuſuis vel maioris vel minoris ordinis, arbitros, iudices, & cognitores non recuſamus.

Primum enim, quod in eo Reſponſo nobis impingitur, quaſi hæc omnia quæ acta ſunt à nobis, impetrandis toties Salui conductus prorogationibus, non aliò ſpectaſſe, quam vt rem ad hoc vſque tempus magis idoneum extraheremus: ſanè tractationes aliquoties habitæ, quarū ſuperius, ſuo cuiuſuis ordine, mentio fit, ſatis oſtendunt, quàm arctè ſemper totius rei rationes ex latere noſtro circumſcriptæ fuerint, ſic vt plerunque ne temporis quidem eius vſuram integram habuerimus, quo ſaltē res præſentes cum conditionibus earundem, accuratè ſatis vix animo complecti, nedum ex publicis omnium Ordinum deliberationibus certi quidpiam ſtatuere, vel Internuncijs cōmittere, poſſibile fuerit. Qua de cauſſa nemo certè vitio nobis rectè vertet, quod ad deliberandas res tam arduas, in tanta propoſitarum conditionum varietate, prorogationem literarum, quæ ſtrictè nimis dabantur, aliquoties petiuerimus. Enimuerò ſi tum ab initio bona gratia cōſequi licuiſſet id, quod iure nobis competebat, quodq; Regia Maieſtas ex officio Regio ſingulis ſubditis debet, haud ſanè tot tractationibus opus fuiſſet, quinimmò difficultates poſtea ſecutæ facilius potuiſſent præcaueri.

Ex contrario non eſt obſcurum, quàm feſtinanter & diſtrictè plærunque nobiſcum actum fuerit, cum Mariemburgo Gedanum vſque, ſurſum verſum, quinq; primum dies, mox biduum, Grebino triduum, biduum, dies etiam vnicus, Torunio Gedanum vltrò citroq; vix duodecim, Bidgoſtia demum ſex dies, ad rerum grauiſsimarum deliberationem & expeditionem, concederentur: præſertī quod interim, ſtantibus Salui conductus literis, pactis etiā inducijs, & Internuncij detinebantur, & ab incendijs ac populationibus aduerſus Ciuitatis ſubditos nihilomagis temperabatur. Quæ res argumento nobis fuit, hoc agi ſolum ab aduerſarijs, vt hiſce terroribus Ordines circumuēti, neglectis ſuis iuribus, Priuilegijs, & libertatibus, ipſorum arbitrio ſeſe, vitam, & fortunas ſubijcere cogerentur.

Quod autem additur, ad detegenda apertè nefaria conſilia noſtra, rem à nobis protractam, non eſt dubium, ſi calumniatores vel minimam eius criminationis ſpeciem præ manu ꝓbabilem habuiſſent, quin haud occultaſſent. Nos verò nullius conſilij nobis conſcij ſumus, vel coram Deo nefarij, vel apud bonos viros ignominiæ loco ponēdi.

Porrò quod huius inſtituti ſubijcitur indiciū, quaſi in tractationibus ſuperioribus; à lenioribus poſtulatibus orſi, grauiora indies addiderimus, non vt pro patrato crimine Regiæ Maieſtati ſatiſfaceremus, ſed Eandem, propè gloriādo de crimine admiſſo, magis magisq; offenderemus:

haud

haud recuſamus quo minus etiam hac in parte ſuperiorū ſaltem actionum teſtimonio dijudicemur. Ex quibus luce meridiana clarius apparet, nos ab initio tractationis ad finem vſq; nec ſecus in vltima quàm in prima legatione nihil aliud fermè petiuiſſe, ſupplicaſſe, reſeruaſſe, q̃ Religionis, & iurium, Priuilegiorum, ac libertatum idoneam grauaminum abrogationem, Decreti proſcriptionis, & cautionem, quicquid inde mali fuit exortum, abolitionem. Hæc præcipuè fuerunt, tam prima, quam vltima petitionū capita, prout omnes Inſtructiones Internuncijs datæ, nec non plæraque literæ cum ad Regiam Maieſtatem, tum ad Conſiliarios & Status perſcriptæ, ſatis abundeq́; teſtantur. Et quanquam interdum etiam aliæ conditiones, pro rerum præſentium neceſsitate, fuerunt interiectæ, veluti de Cæſarea Maieſtate, de iuramento Regio, vel ſimiles, eæ tamen cum ipſo tempore cauſſam etiam mutarunt, nec vnquam à nobis pertinacius, quàm præſens rerum ſtatus poſtulabat, ſunt deſideratæ. Quinimmò nihil magis in omnibus iſtis tractationibus curæ nobis fuit, quàm vt honeſtis quibuſcunque rationibus, quæ ſaltem in facultatibus noſtris eſſent, gratiam & clementiam Regiæ Maieſtatis promereri, & ſub eius feliciſsimo regimine ſaluis iuribus & Priuilegijs tutò degere poſſemus. Tantum abeſt vt inter propoſita humilimæ ſubiectionis obſequia, de quouis crimine, cuius minimè conſcij nobis ſumus, gloriari debuerimus.

Quod autem iurium & Priuilegiorum noſtrorum obſeruantes ſumus, deq́; ijs more maiorum, prout Anteceſſores Sereniſsimi Poloniæ Reges conſueuerunt, rectè nobis caueri petimus, nemo certè ad vllum crimen, nedum rebellionis notam, iure detorquere poterit hoc, cuius ex fide noſtra nō nobis ſolum, ſed poſteris etiam noſtris ſumus obnoxij.

Viciſsim verò quibus modis ex altera parte, nomine Sereniſsimæ Regiæ Mtīs, propoſitæ conditiones, de die in diem accumulatæ, exaſperatæ, quàm feſtinanter ab vno poſtulati iuriſiurandi capite, ad contumaciæ decretum, ad vim armatam, cædes, direptiones, incēdia deſcenſum, mox ad conditiones Ciuitati maximè pnicioſas, tandem etiam ad impoſsibiles omnino pecuniarum ſummas paulatim deuentum fuerit, ſic quidem vt hoc negociū ex Electionis diuerſitate recens ortum, ad veteres Cōmiſsionis illius infeliciſsimæ controuerſias, cum haud dubia rei tam publicæ quam priuatæ pernicie, traduceretur: ex ijs quæ ſupra ſuo recenſita paſsim ſunt ordine, liquidius apparet. Enimuerò quò leuiora fuerunt poſtulata noſtra primo loco propoſita, eò facilius initio componi potuerant, ſic vt illi nunc ipſi, qui Regiam Mtēm ad alia conſilia impulerunt, harum ſe difficultatum quibus deinceps conflictati ſumus, authores fateantur neceſſum ſit, nec illarum cauſſam meritò nobis impingere debeant.

Quod ad Confirmationem iurium ac Priuilegiorū pertinet, eam promiſſam nobis eſſe ſcimus (eorundem autem au-

tem auctioni quidquam acceſsiſſe non ſanè meminimus) Veruntamen adiunctæ Confirmationi clauſula, nimirum ex iuramento Cracouiæ præſtito Priuilegia ſalua fore, non immerito nobis ſcrupulum iniecit, quandoquidem iuramentum illud ea ſaltem complectitur, quæ iuribus vtriusque gentis Polonicæ & Lithuanicæ non ſint contraria. Cuius generis iuſiurandum vti Sereniſsimis Anteceſſorib. Regibus in harum Terrarum iura non fuit vſitatum: ita videri poterat cum ſummo noſtrorum iurium, & libertatum præiudicio coniunctum. Quocirca Declarationem eiuſdem iuramenti, ne detrimẽto iuribus noſtris eſſet, ſæpius humilimis precibus deſiderauimus. Quam cum hactenus obtinere non potuerimus, metuendum fuit, Cõfirmationem eam non multum cõmodi iuribus et priuilegijs noſtris allaturam. Quanquam autem peculiarem Confirmationis formulam, talem qualem Ciuitati putabamus commodiſsimam, humilimo ſtudio ꝑponeremus: non ideo tamen eum Regiæ Mtī modum præſcribere volebamus, vt non priori Confirmationi, modò clauſula nobis præiudicio non eſſet, acquieſcere voluiſſemus.

Præterea cum ſummo noſtrorum omnium dolore nobis obijcitur, quaſi ad ſuperiora poſtulata iniqua (de quibus iam dictum eſt) hæc poſteriora impia ac nefaria prorſus adiecerimus, ita cõcepta vt iamdiu meditatũ ſcelus prorſus detegant, quib. tam Regiæ Mtī quam Reipublicæ cõmuni Regni Poloniæ contra iuſiurandũ Diuo Caſimiro

Regi,

Regi, eiuſq; ſucceſſoribus, ac Regno datum valedicamus, neque nos cum publicis Regni cōſilijs ac ipſo Regno quidquam cōmune habere impudenter & nefariè ſcribamus. Quod ſanè crimen quemadmodum nunquam ne cogitatione quidem cōcepimus, ac planè diuerſum ſæpius ac ſæpius in ſuperioribus literis publicè conteſtati ſumus: ita nobis non poteſt non vehementiſſimè dolere, perpetuos aduerſarios noſtros nunc etiam verba noſtra tam euidēter calumniari, & in contrarium ſenſum improbè detorquere. Videre licet nos in ſuperioribus tractationibus his plerunque verbis vſos fuiſſe: res iſtas de quibus agimus & præſertim grauamina propoſita, cum Regni comitijs nihil habere commune: nos publico terrarum Pruſſiæ Priuilegio, de cauſſis notabilibus cum conſilio Conſiliariorum Pruſſiæ determinandis inhærere. Hoc in eam nunc partem accipitur, quaſi Regiæ Maieſtati & Regno valedicamus, nec cum Regno quicquam habere commune velimus. Quæ ſententia quàm ab ipſis verbis aliena ſit, nemo non intelligit. Facilè verò vel ex hoc vno colligi poteſt, quod reipſa quoq; ſumus experti, qua fide & integritate in ſuperioribus tractatibus verba noſtra interdum accepta, & per interpretes ad Regiam Maieſtatem relata fuerint. Enimuero quæ ratio ſit Incorporationis maiorum noſtrorum cum Regno Poloniæ, quibus iuribus ac libertatibus ad regnum acceſſerint, in reſponſo noſtro quod

Legatis

Legatis Regijs Reuerẽdiſſimo Dño Epiſcopo Culmenſi, et Magnifico Dño Palatino Breſtenſi die 12. menſis Septẽbris anno ſuperiori datum eſt, fuſius oſtenditur. Illud nunc ſaltẽ admonere pſens res poſtulat, quod quẽadmodũ eius Incorporationis vigore, Pruſsia non minus ac Lituania, vel alia quæuis prouincia, liberum Regni Poloniæ membrum effecta fuit, & vnà cum cæteris prouincijs ſolam Regiam Mtẽm, nec vllum hominem alium, caput ac dominum ſuum agnoſcit, eaq; de cauſſa peculiarem ſuam Rempublicam, peculiares Cõſiliarios, peculiaria iura, priuilegia, libertates, conſuetudines habet, ac eadem omnia vltra hominum memoriam liberè vſurpauit: ita ſumma cum iniquitate coniunctum apparet, quod cõtra maiorum morem, contra priuilegiorũ expreſſa verba, Status ac Ordines Pruſsiæ, multis grauibus ac intolerabilibus oneribus & difficultatibus, ad necem priuilegiorum publicorum, et extremã totius prouinciæ calamitatem, per annos aliquot fuerint inclemẽter afflicti, obruti, ac penè peſſundati. Cuius rei præcipuum præbet argumentũ Vnio noua, qua contra vetuſtiſsimam Pruſsiæ libertatem, ad oĩa Regni onera, à quib. ex præſcripto priuilegiorum immunes ſumus, quæq; maiores noſtri nunquã agnouerunt, perperam trahi cæpimus. Hinc Executio ſtatuti Alexandrini, Contributiones, & alia onera Maiorum incorporationi planè contraria, ſunt enata Per contrarium autem præcipua Priuilegiorum capita, præſertim de dignitatib. & officijs, de

cauſsis notabilibus, & alia eius generis, penitus labefacta-ta, oppreſſa, & ineptis interpretationibus planè deprauata cernuntur. Hinc iuramētum illud nouum Regiæ Maieſtatis, à prædeceſſorum exemplo longè diuerſum, de iuribus Polonicis & Lituanicis, ſcilicet ad harum Terrarū Priuilegia & libertates obliterandas, & Pruſſos demum ad manciplorum conditionem redigendos, recens excogitatum. Hinc nimirum Priuilegia maiorum noſtrorum ſanguine conſignata, quaſi non legitimè fuerint obtenta, vel quaſi iuri publico derogent, in dubium reuocari cœperunt. Sanè ſi maiores noſtros perpetuam illam cum inclyto Poloniæ Regno coniunctionē, cum tot oneribus, grauaminibus, præiudicijs, & ſiniſtris iurium interpretationibus, cōmunem eſſe voluiſſe probandum ſit, non quidem libertatē, maximis facultatū iacturis, nec non vitæ et ſanguinis impendio quæſiuiſſe, ſed de ſeruitute leuiore potius in grauiorem tranſiuiſſe, meritò viderentur. Quod neque Incorporationis legi, neq; Diuorum Regum teſtimonijs et exemplis, neq; perpetuis moribus inuenitur cōſentaneum. Proinde quicquid in præiudicium ac fraudem iurium ac Priuilegiorum admiſſum conſtat, propius eſt, vt ex præſcripto Priuilegiorum emendetur, quàm vt interpretationibus ex Comitiorum Cenſura conquiſitis, contra mentem vnionis, & maiorum morem, in dubium debeat reuocari. Polonia, Lituania, Ruſsia, Pruſsia, vnius corporis membra ſunt, ſingulæ ſuis iuribus, Priuilegijs, moribus, ſeparatim

rati m

ratim vtuntur fruuntur, nō vt vnum membrum cæteris imperitet, vel aliud ab alio pedibus ſubiugetur, ſed vt ſub vno Regis ſui capite conſtituti, citra cuiuſuis iniuriā, ſua libertate gaudeant omnes. Proinde cum huic Ciuitati plura fermè grauamina, quàm cæteris ſtatibus, contra iura & libertates ſuas, obtruſa fuerint, nec appareat de illorū emendatione cogitari, quinimmo augeri paulatim illa manifeſtum ſit, vt hoc palàm agi videamus, quo pacto Priuilegijs eneruatis, Ciuitatis publici prouentus imminuantur, publicæ poſſeſſiones auferātur, cōmoda nauigationis & ius maritimum eripiantur, nemo certè vel vitio nobis vertere, vel ad ſeceſſionem detorquere meritò poterit, quod non ſtatim initio cum cæteris prouinciæ ſtatibus ad ſubiectionem & iuſiurandi vinculum acceſſimus, priuſquā de iurium & priuilegiorū tot modis labefactatorū indemnitate nobis caueretur. Præſertim cum aduerſarij ſummum etiam ornamentum ac præſidium huius Ciuitatis, Priuilegium ſcilicet Diui Caſimiri de plebiſcitis condendis & contributionibus imponendis, maximis maiorum noſtrorum ſumptibus, & fideliſſimis obſequijs diuturno bello promeritum, in ambiguum ſenſum pertraxerint, nec obſcurum eſſe poſſit, quid de cæteris fuerint æſtimaturi. Non iam prolixius illud commemorabimus, nos vti Priuilegio conſtitutum eſt, ad Coronationem Regiæ Maieſtatis legitimè vocatos non fuiſſe,

V v ij ſed

ſed quod præſentis negocij proprium eſt, negari minimè poteſt, maiores noſtros, ratione iurium & Priuilegiorum ſuorum, nec non irrepentium vitiorum, ſolam Regiam Mtḗm interpellaſſe, nec præter eam cum alio quoq; agere voluiſſe, nedum illorum de Priuilegijs ſuis cognitionē ſubire, quos Dominos nō agnoſcerent. Oſtendit hoc ipſum aperte Legatio Pruſsiæ Statuum, ad Diuum Sigiſmundum Anno 1542. hanc in rem miſſa, in qua Internuncij ſequentibus inter cætera verbis vſi expreſsim fuère: Quoniam nobis & fratribus noſtris plus præſidij eſt in naturali illa clementia & æquitate Maieſtatis veſtræ, quàm in contentioſa verborum & argumētorum explicatione, ipſas Priuilegiorū literas, quibus nitimur, publica fide exceptas, reponimus et proſternimus ad pedes Mtis veſtræ, cui poteſtas eſt, vel conculcare eas, ſi id cōmeriti ſumus, vel rata inuiolataq; cōſeruare ea, quæ ſolenni pactorum fœdere ſanctè recepta, & frequentibus approbationibus, verboq; & manu Regia non ſemel firmata &c. Item: Cum ſit

actionum

actionum noſtrarum ſumma, vt cuique iura ſua ſalua maneant, obſecramus ne diutius nos Mtās veſtra in hac ambiguitate ſuſtineat, ſed petentibus nobis reſpōdere dignetur, volet aut non volet Priuilegia noſtra integra nobis conſeruare & manutenere, ſimulq; nobis integra reſtituere, quæ contra Priuilegia noſtra ſunt alienata, ac ſcripto aliquo hanc ſuæ volūtatis declarationem nobis atteſtari, vt de actis noſtris, & huius legationis noſtræ ſucceſſu, fidē fratribus noſtris facere nobis liceat, ac omnibus Mtis veſtræ ſubditis referre, quæ ipſis reſtet Libertatis ſpes & conditio. Non enim, Sereniſs: Rex, propterea huc miſsi ſumus, vt de ſtatu & libertatibus noſtris iudicio cōtendamus cum quoquā, minimè verò vt eorum ſubeamus cognitionem, quorū ſuperioritatem non agnoſcimus, ſed quorundam ex

 illis

illis aduerſitatem experimur. Negocium nobis cum nemine eſt, niſi cum Sacra Maieſtate veſtra, quæ vt pacta & conuenta, & toties promiſſa ſeruet, diuino & humano iure nobis eſt obligata, &c.

HÆc cum Maiores noſtri tum petiuerint, & aliàs ſæpe flagitauerint, quantum eſt delictũ illud, quod nos etiam præſentium grauaminum abolitionem ab ipſa Regia Maieſtate, tanquam Capite, citra Comitiorum diſceptationem, ſupplices rogauimus? præſertim cum præcipua grauaminum illorum, aduerſus publicas libertates, prætextu decretorum Comitialium irrepſerint. Neque verò vel cum æquitate, vel cum Ciuitatis emolumẽto coniunctũ fuerit, vt de Cõmiſſionis & Placationis negotio, cum Dominis Regni Conſiliarijs diſceptemus, vel illorum cognitionem deſideremus. Quemadmodum enim iſthæc Cõmiſſio ſuperioribus annis, ad noſtrorum omniũ ſummam iniuriam, & Ciuitatis perniciem, ab aduerſarijs nõſtris cõpoſita fuit, eo colore, quaſi multa Reipublicæ vitia per eam tollenda vel emendanda viderentur, tandem autem res oĩs ad oppreſſionem quorundã ex magiſtratibus, ad imminutionem Priuilegiorum, & iuriſdictionis ciuilis, demum ad defalcationem prouẽtuum publicorum apertè fuit directa, quod aliàs in eius Cõmiſſionis tractatibus ſuo loco ꝑlixius demonſtratum fuit; Ita iam antea, cum eiuſmodi negocia

cia

tia, in Regni Comitiјs diſceptarentur, præter inſolentem iuris ordinem, etiam aduerſarios & accuſatores, eoſdem iudices noſtros in cauſſa propria pati coacti fuimus. In placationis autem negocio Cõmiſſarij adeò periculoſè neq; ſine ſuſpicione rem tractarunt, vt poſt placationem extortam, non ſolum magnifica ſua promiſſa, de grauaminibus ex pacto abolendis, in dubium retraherent, verum etiam Ordinum huius Ciuitatis obligationem reciprocam, planè aduerſus contrahentium mentem, & conditiones diſertè interpoſitas, cum ſummo Ciuitatis præiudicio perperam interpretarētur. Qua fide verò nobis abſentibus Legationem renunciauerint, quo pacto rem tranſactam docuerint, non quidem omnino conſtat nobis, veruntamen non obſcurè fuit animaduerſum, Dominos Regni Conſiliarios in Commiſſariorum partem adeo pertractos, vt nō immerito recuſauerimus illorum cognitionem, ijs in negocijs, quæ cum ſolius Regiæ Maieſtatis perſona nobis intercedebant, quæque Commiſſariorum opera per qualemcunque relationem nobis inſcijs & abſentibus præoccupata fuerant. Neque ignotum eſt, eos ipſos qui Ciuitati ſemper varijs modis aduerſati ſunt, hos etiam motus ad Ciuitatem opprimendam, abſque Comitiorum auctoritate quam nobis opponere ſolent, vt plurimum concitaſſe. Ex quibus omnibus ſatis abundeq; patet, quàm perperam & irreligioſè nos criminentur aduerſarij, quaſi Regiæ Maieſtati & Regno valedicere, nec quicquam cum illis

illis habere cõmune, vel etiam à Regno ſecedere velimus. Enimuerò ſi propoſitum illis eſt, Ciuitatem tot grauaminibus de quibus querimur, non exonerare, ſed ad extremã potiùs calamitatem redigere, quod iamdudum ex Decreto proſcriptionis, & eius promulgatione, nunc etiam ex hoc vltimo Reſponſo, quod hoſtilis inſtar denunciationis eſt, non obſcurè comprobatur, nemini dubium eſt, Ciuitatem ipſo facto à Regni cõmunione excludi, nec in poſterum, iuribus ac libertatibus ereptis, pro Regni membro ampliùs cenſeri. Nec aliud certè ſibi volunt, noſtrarum mercium, bonorum, ac nominum, paſſim in Regno & Terris Pruſsiæ, tanquam hoſtium res eſſent, ſequeſtrationes, pignorationes, direptiones, nuper inſtitutæ.

Additur deinceps in eo Reſponſo, quod Sac. Regia Mtãs inſuper etiam alio læſa fuerit iniuriarum genere, non modò Ciuitate non exonerata, iuxta formulam Salui conductus, mittendorum ad R. Mtẽm oratorum dati, externo milite: verumetiam maioribus conductis copijs, & nobilium ac aliorum ſubditorum, Sac. Regiæ Mtis vrbi vicinorum, pagis ac ædibus ſpoliatis, direptis, ac etiam exuſtis. Cæterum militis quidem conſcribendi rationes ſuo loco non ſemel explicauimus, quas iterum hîc repetere non eſt operæprecium. Equidem cum inter medias actiones de modo pacificationis inſtitutas, non exercitus ſolum Regius ceruicibus noſtris immineret, ſed inſuper etiàm paſſim intra & extra prouinciam plures milites, pedites, equites,

(inter

(inter quos nõnulli nomine noſtro) conſcriberẽtur, arma & inſtrumenta bellica cõpararentur, milites etiam à nobis exauctorati, mox contra Ciuitatẽ ad ſtipendia vocarẽtur, maris etiam vicini littora, per Erneſtum VVeierum incipe-rent infeſtari: nemo certè ſanus negauerit, rationibus no-ſtris eo ſtatu rerum accuratius aliquantò fuiſſe proſpiciẽ-dum. Nec enim naturalis iuris indulgentia nobis denegata videri poterat, pro tutela corporis, vxorum, liberorũ, for-tunarum, dignitatis, priuilegiorum ac libertatum, vim & iniuriam ꝓpulſandi, quam in brutis etiam animalib. ne-mo vnquam reprehendit. Quanquam ne ius quidem gentium, quod hoſtium etiam Legatis ſacroſanctum eſt, in noſtro-rum Internunciorum perſonis vidimus obſeruari.

Verum quidem eſt, Salui cõductus literis conditionẽ eam adiectam, vt militem dimitteremus, quapropter initio planè non conſultum nobis videbatur, Internũcios ea legẽ mittere, cum nec rationes ſtipendiorum tam celeriter exol-uendorum in promptu eſſent, nec ſatis tutum videretur, rebus nondum cõpoſitis Ciuitatem omni pſidio deſtituere, milite pſertim Regio magis ac magis indies ſuppleto: viris tamen nonnullis primoribus, & Regni Conſiliarijs diligẽ-ter adhortãtibus, ne quid ſiniſtri de R. M. ſuſpicaremur, neúe rei tranſigendæ occaſionẽ prætermitteremus, bonam ſpem facientes, legationem hanc cum totius Reipublicæ commodo fore procul dubio coniunctam, plus illorum ad-monitioni quàm ſuſpicioni minus neceſſariæ tribuimus.

Minus etiã deinde periculi ſubeſſe putauimus, cum actionibus vltrò citroq́ vẽtilatis, Saluus cõductus ſine expreſſa conditionis eius clauſula prorogaretur, ac Dñi Conſiliarij quibus cum Internuncijs tractandi negocium datum erat, omnimodam ſecuritatem illis pollicerentur. Tandem cum Georgius Roſembergius huc remitteretur, & facilè intelligeret, conditiones quæ tum repetebãtur, ab Ordinibus minimè receptum iri, ideoq́ maioris offenſionis cauendæ cauſſa, legationis illius gratiam ſibi fieri peteret, Magnificus Dominus Palatinus Breſtenſis, nomine R. Mtis ipſi denunciauit, daret operam mãdatis efficiendis quãntam poſſet, quemcunq́ res finem ſortitura fuiſſet, abſque eius fraude vel periculò futurum. Quibus nihilominus in partem reiectis, præter cæteras contumelias, violentias, et iniurias, quibus durante Legatione varijs modis Internuncij fuerant affecti, poſtremũ etiam Bidgoſtia, neſcimus in quos carceres, ab armatis hominibus ſunt abducti, & promulgato Reſponſo, de quo diximus, extremæ hoſtilitatis Decretum Ciuitati denunciatum.

Qua de cauſa, ſi quid in his rerum motibus fortè vicinis, ijs præſertim qui malignis ſuis cõſilijs haſce turbas excitarunt, damni quidq́ datum eſt (quod tñ ante proſcriptionis decretum editum noſtro mãdato factum haud meminimus) non eſt quod meritò nobis adſcribant Nam & antea cum quotidianis ab initio deprædationibus, incẽdijs, & vaſtationib. agrorum, poſſeſſionũ, & colonorum,

plus

plus ſatis ad idem exemplum irritaremur, militem tamen noſtrum, & Ciuium multitudinem ab eruptionib. quantũ eius fieri potuit, diligenter cohibuimus Enimuerò ipſimet homines religioſi, monaſteriorum incolæ, cum in calamitate publica Ciuibus palàm inſultarent, & Inſulanorum incõmodis gaudere viderentur, ac incendia quaſi trophæa quædam digito demonſtrarent, inſperatum tumultum in Ciuitate, ſibi autem exitium penè conciliarunt, multis ad vim ſpectantibus, & eodem impetu monaſterijs nonnullis direptis ac ſpoliatis. Tumultu ſedato, nõnullis etiam comprehenſis & in carcerẽ cõiectis, quidquid monaſtici mundi vel ſuppellectilis conquiri potuit, in fidelem cuſtodiam repoſuimus. Ac vt maximè quis de damno iniuria dato conqueri poſſit, detrimenta profectò quæ nobis tam publicè quàm priuatim eodem motu rerum irrogata ſunt, plusq́ decies illa, cum iniuriarum atrocitate, tum incõmodorum magnitudine, ſuperant ac excellunt. Sanè quod in hoc genere quidam iure ſe facere cõtendunt, cæteris, quod idem ſibi licere putent, crimini vel iniuriæ verti non oportet.

Quod autem ad Oliuenſe monaſterium attinet, quamuis iampridem Abbatem eius malum admodum experti ſumus vicinum, qui non poſtremus fuit ſemper recentis huius calamitatis auctor, perinde vt iam antea Ciuitatis incommodis ſtudere conſueuit, & in monaſterium ipſum ſecũdum formam hypothecæ nobis inſcriptæ, iure noſtro iamdudum vti poteramus: tamen & loci

 religionem,

religionem, & pignoris integritatem antehac negligere noluimus. Verum cum non obſcurè animaduerteremus, ex ipſius Abbatis conſilio, militi peregrino ſtationem & præſidium, ad circumſidendam & oppugnandam Ciuitatem in monaſterio deſtinari, magis ex ſecuritate Ciuitatis publica videbatur, locum ſuſpectum deſtruere, quàm munitionibus ab hoſte poſitis, quotidianas inde ex vicino deprædationes, & longinquam obſidionem expectare.

EX his omnibus, quæ ſuo ſuperius ordine cõmemorauimus, liquidò patet, præſentes haſce pturbationes, non ex aliquo temeritatis propoſito, vel rebellionis ſtudio, ſed diſsidio potius Electionis habitæ, primum exortas: Ad quas deinceps bona cum gratia ſedandas & pacificè cõponendas, quanq́ nihil certè quod vel fidei, ſubiectioni, & officio noſtro conueniret, vel iuri conſentaneũ, vel demum in facultatibus & æquitate poſitum eſſet, detrectauerimus, neq́ nunc detrectemus: tamen neſcimus quo fato, vel temporum infelicitate, nihil hactenus æqui impetrare potuimus. Quin potius vrgentibus & inſtigantibus illis, qui perpetuos Ciuitatis aduerſarios geſſerunt, qui neque Regni, neque Terrarum Pruſsiæ commodis, vti par erat, conſulunt, ſed mero odio, & priuatis affectionibus ſtimulati, in perniciem eius feruntur, vis armata primum illata, mox cædes, deuaſtationes & populationes perpetratæ, incendia paßim facta, tandem proſcriptionis Decretum

latum,

latum, nobis & omnibus Ciuibus & incolis, terra mariq́ ſecuritas adempta, ac tanquam impijs in Principem & patriam hominibus (cuius criminis minimè nobis conſcij ſumus) aqua & igni interdictum. Neque minori cum iniuria paulò pòſt, prætenſo Regiæ Maieſtatis nomine paſsim in Regno grauiſsimæ de nobis calumniæ ſparſæ ſunt, quaſi conditiones in hiſce Tractatibus ſemel initas retractare, vel ad reprobum ſenſum detorquere vellemus, multoq́ maiora quàm in conuentis fuiſſet nunc demum poſtularemus. Nos certè nō ſolum præter æquiſsimas conditiones, de quib. ſæpe dictum eſt nihil amplius petiuimus, neque nunc quid aliud petimus: verum etiam poſt allatū interdicti reſponſum cum per literas, tum per interpoſitas perſonas, quibus ad Regiam Maieſtatem eſſet aditus, in hunc vſq́ diem non deſtitimus orare, precari, ſupplicare, fidem & obedientiam deferre, non parum etiam à ſuperioribus conditionibus remittere, ſaltem vt Regiæ Maieſtatis gratiam, pacem, tranquillitatem, quibuſcunque tandem, honeſtis modò, rationibus redimere ac recuperare poſſemus. Verum ne ſic quidem precibus noſtris huc vſque locus relinquitur, ſed omnia potius in eum finem comparari videntur, quo Regni Conſiliarijs & Ordinibus aduerſum nos concitatis, Ciuitas hoſtiliter oppugnetur, & ad extremam calamitatem (quod DEVS auertat) redigatur.

Ex quo perſpicimus, neceſſitatem nobis etiam nolentibus & vim deprecantibus impoſitam, chariſſimæ patriæ noſtræ, maiorum opera & ſanguine comparatas libertates, iura, & Priuilegia, iuxtà cum libero Auguſtanæ Confeſſionis vſu, quantum in nobis eſt defendendi, facultatibus, vita, & ſanguine propugnandi, vim, iniuriam, contumeliam, necem, ac ſeruitutem, à nobis, liberis, & vxoribus propulſandi. Quam in rem opem & auxilium immortalis Dei ſupplices imploramus, et eiuſdem conſilio exitum per ſe dubium deuotè cõmendamus. Cuius prouidentia dubio procul iſthæc calamitas, in pœnam deliƈtorũ noſtrorũ, quibus æquè vt cæteri mortales quotidiè ſumus obnoxij, nobis cõciliatur. Neq; verò deſperam⁹, vel ea fiducia decidimus, quin non ſolum pro paterna ſua clementia, condonatis benignè deliƈtis, oculis miſericordiæ ſuæ viciſſim ad nos reſpiciet, verum etiam pro iuſticia ſua, in calamitatis iſtius auƈtores et inſtigatores ſuo tempore vindicabit, vt malum quod alijs concinnarunt, in ipſorummet ac complicum caput redundet, tandem etiam pacem ac tranquillitatem rerum omnium deſideratiſſimam, ijs quibus facilimè poteſt modis cum volet, nobis ac vicinis clementiſſimè reſtituet.

Cæterum poſtquam in hunc caſum res deuenit, palàm ac ſolenniter coram omnibus hominib. conteſtamur, & ipſorum etiam poſterorum memoriæ relinquimus, ſi qua deinceps, ex his rerum initijs, vel Poloniæ Regno

vel

vel Terris Pruſsiæ, grauior calamitas vel perturbatio fortaſsis oriatur, vel ſi qua ob eam rem à Regno Poloniæ ſeceſsio & auulſio contingat, vel demum, vt res in malum ſemper procliuiores ſunt, quidpiam atrocius quàm nunc exiſtimari poſsit, inde proueniat, totum id abſque culpa noſtra futurum, & illorum ſolummodo conſilijs & inſtinctu commiſſum iri, qui turbarum harum auctores ſunt, quique per iniuriam, & illegitimæ proſcriptionis prætextu, Ciuitatem hanc, neglectis æquiſsimis & honeſtiſsimis noſtris precibus ac conditionibus, à Regno Poloniæ iampridem abſciderunt, & quantum in illis eſt, neci ac excidio proſtituerunt, eoq; pacto nos ad neceſſariam honoris, famæ, vitæ, fortunarumq; defenſionem, vi & armis hoſtili animo illatis, compulerunt.

QVapropter omnes ac ſingulos ſupradictos, Inuictiſsimos, Sereniſsimos, Reuerendiſsimos, Illuſtriſsimos, illuſtres, magnificos, ac generoſos, Chriſtiani nominis Cæſares, Reges, Electores, Principes, tam Spirituales quam Seculares, Prælatos, Palatinos, Comites, Caſtellanos, Barones, Dominos clementiſsi:

mentiſsimos, gratioſiſsimos, gratioſos, ac plurimum honorandos, nec non Præconſules, Conſules, Ciuitates, Status ac Ordines, amicos, vicinos, fœderatos, ac cæteros harum literarum noticiam habituros, per omnia ſacra, deuotiſsimis precibus, humilimè, ſubiectiſsimè, humiliter, demiſsè, diligenter, ac reuerenter, obſecramus, petimus, ac oramus, dignētur ac velint, præſentis ſtatus periculis expenſis, pro amore & ſtudio pacis ac tranquillitatis publicæ, clementiſsimè ac benignè auctoritatem & operam ſuam interponere, ac nunc etiam æquis & honeſtis rationibus apud Sereniſsimã Regiam Maieſtatem Poloniæ, nec non Regni Cōſiliarios, Status & Ordines (quos hanc in rem peculiari nomine, perquàm reuerenter ac diligenter oramus, monemus, & hortamur) intercedere, quo res

hæ

hæ ſatis iam perturbatæ ad pacificum ſtatum reducantur, & reſectis belli difficultatibus, omnes controuerſiæ, bonis & æquis conditionibus, citra Ciuitatis extremam calamitatem & detrimentum, ſopiantur & componantur. Quam in rem, quoad in nobis eſt, quod honeſtum, æquum, fidei, ſubiectioni, & officio conſentaneum, ac in viribus & fa ultatibus poſitum erit, bonorum virorum arbitrio, nunc etiam vt antea, nihil recuſamus vel detrectamus. Sin autem (quod abominamur) nec precibus noſtris humilimis, nec æquis aliorum interceſsionibus, quod ius faſque eſt obtineri poterit, Eoſdem perquàm humilimè, demiſsè, & reuerenter obſecramus ac rogamus, vt ipſimet tanquam æquitatis & pietatis amantes, vi & armis oppreſſorum cauſſam clementer & benignè ſu-

 ſcipere,

ſcipere, ſuaque auctoritate, gratia, fauore, ope, & auxilio nobis ſuppetias ferre, commeatu alijſque rebus neceſſarijs liberaliter ſuppeditis, Ciuitatem hanc contra vim armorum iniuſtam defendere, & ab exitio vendicare dignentur. Pertinet hoc ad perpetuam non harum ſolum Terrarum, ſed ipſius etiam orbis Chriſtiani tranquillitatem conſeruandam, & nos cum vniuerſis Ciuibus & incolis, eam clementiam, gratiam, beneuolentiam, opem, defenſionem, & aſsiſtentiam, erga Cæſ: & Reg: illorum Maieſtates, Reuerēdiſsimas, ac Illuſtriſſimas, nec nō illuſtres Celſitudines, Magnificas, & generoſas Dominationes, et cæteros ſigillatim omnes, omnibus viciſsim quibuſcunque poſſumus ac debemus ſeruitiorum, obſequiorum, & ſtudiorum generibus, humilimè, demiſsè,

reuerenter

reuerenter ac diligenter promereri, gratique animi memoria perpetuo complecti, nec non, ſi quid Deo largiente in facultatibus noſtris aliquādo fuerit, æquisſimo ſtudio compenſare pro viribus conabimur. Datum Gedani, Menſe Aprili, Anno Domini ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo ſeptimo.

SOLI DEO LAUS ET GLORIA.

Excuſum Gedani in officina typographica Iacobi Rhodi.

APPENDIX DECLARATIONIS ORDINVM

Ciuitatis Gedanẽſis de præſenti rerum ſtatu menſe Aprili nuper euulgatæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GEDANI
Menſe Iulio
1577.

OMNIBVS AC SINgulis quorum intereſt, præſentium literarum noticiam habituris, repetita ſeruitiorum, & obſequiorum noſtrorum cõmendatione, pro cuiuſuis ordinis & dignitatis conditione, notum teſtatumq; denuò facimus, nos Præconſules, Conſules, Scabini, Centumuiri, totaque Cõmunitas Ciuitatis Gedanenſis.

Superiori menſe Aprili Declarationem veram, quibus de cauſis Ordines huius Ciuitatis cum Sereniſsimo Poloniæ Rege &c. Domino noſtro clementiſsimo, aduerſariorum impulſu, iampridem in eam, quæ nunc etiam durat controuerſiam pertracti fuerint, pro rationibus innocentiæ noſtræ palàm demonſtrandis, typis excudi curauimus (quam tamẽ hactenus, ſpe cõficiendæ pacis, quò

minus ante menſem Iulium euulgaretur conſultò ſuppreſsimus) in qua præteritarum actionum rationes & circumſtantias, vſque ad Reſponſum quod vltimum Bidgoſtiæ noſtris Internuncijs datum erat, quo nobis aqua & igni interdicitur, ac hoſtilia denunciantur, quæ paulò pòſt ſecuta ſunt, ſatis prolixè demonſtrauimus, quantum quidem res præſens exigere videbatur. Adiecimus in fine rationes innocentiæ noſtræ, quam cum ſummo noſtrorum omnium præiudicio varijs modis in eo reſponſo proſcindi manifeſtum eſt, & his fermè terminis Declarationē qua de loquimur cōcluſimus.

Cum autem progreſſu temporis, bello iam illato, dum Ciuitas & portus obſideri, ac palàm hoſtilia patrari cæperunt, nihilominus actiones alię, pro componendis offenſionibus, & pace recupe-

randa:

randa fuerint inſtitutæ, non abs re viſum fuit, ea quæ vel priorib. deſunt, vel in poſterum acceſſerunt, præſertim quæ pacificationis tractatum concernunt, eodem quo prius ordine, paucis ſaltem ſubtexere, quò dilucidius & rerum geſtarum ſeries, et precum noſtrarum perpetua ſumma, recuperandæ pacis aſsiduo ſtudio continuata, palàm ob omnium oculos ponatur.

AC primum inter cætera Declarationi noſtræ neceſſariò videntur addendæ literæ Maieſtatis Regiæ, quibus Conuentus Inowladiſlauiam indicebatur, quæ cum ſummo ſanè noſtrorum omnium dolore fuerunt coniunctæ, cum quod in ijs non minus ac in reſponſo Bidgoſtienſi, noſtræ fidei ſubiectionisq; ſtudio perperam detrahitur, tum quod harum Terrarum ſtatus & Ordines ad partem belli contra Ciuitatem ſuſcipiendi, præter conditionem à ſe pacis cauſa prius initam excitantur, quod ex ipſarum literarum tenore liquidò cognoſcitur.

LITERÆ QVIBVS CONVENTVS Inowladiſlauienſis indicitur, ad Terrarum Pruſsiæ Conſiliarios editæ.

Stephanus DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitię, Liuoniæq́ꝫ &c. Dominus, & Tranſyluaniæ Princeps.

MAgnifice ſyncerè nobis dilecte: Quem tãdem exitum conſilia & tergiuerſationes Gedanenſium habeant, quorſum friuola ac ſimulata ſubiectionis & fidelitatis eorum oſtentatio & pollicitatio euaſerit, & ſi antea ſatis, tamen vel maximè intelleximus ex eo reſponſo, quod Roſenbergius ad nos poſtliminio reuerſus vna cum Syndico attulit. Non putamus ignorare Sync. T. quid hoc omni tempore cum illis actum ſit, quid Thoruny tractatum, quàm longa expectatione & patientia eorum obſtinatas voluntates etiam cum noſtra indignitate tulerimus. Et ſperabamus quidem poſt multas & frequentes tractationes Roſenbergiũ paulò ante à nobis iſthuc ablegatum aliquas alias pacis ſtabiliendæ rationes adferre debuiſſe, nihil tamen attulit. Etenim valetudinem aduerſam cauſatus Gedani reſtitit, Ciuitasq́ per Doctorem Lemkium Syndicum plura adhuc quam antea nobis ſcripto obtulit & flagitauit. Quæ quidem etſi videbamus ad extrahendum tempus tantummodo comparata fuiſſe, tamen vt clementia & benignitate noſtra vincerentur, eorum omnibus petitionibus acceptis & diligẽter examinatis, finem his omnib. tractationibus talem impoſueramus.

In primis

*In primis quidem Reſponſum & declarationem conditio-
num à nobis oblatarum illis dedimus, cuius exemplū S.T.
mittimus. Grauamina quæ ipſi ſoli poteramus abrogare,
dato Priuilegio abrogauimus, Cōmiſsionis negotium ad
futurum Regni cōuentum reiecimus, vt de eo ex omnium
Regni ordinum conſenſu decernatur. Formam confirma-
tionis Iurium in ampliſsima forma citra omnem exceptio-
nem illis dedimus: vt nihil ſupereſſet, quod eorum ani-
mos obſtinatos à præſtanda fidelitate, ac relinquēda teme-
ritate retrahere poſſe videretur. His itaque conſtitutis,
ſex dierum ſpacium datum eſt vt Senatui & Cōmunitati
ea omnia videnda mitterentur. Expectati ſunt duodecim
dies, quibus cunctationem hanc certam pacem parituram
eſſe credebamus. Ecce autem Roſenbergius cum Syndico
aduenit, Reſponſum nobis attulit, in quo non modo ea,
quæ pacto, & reſponſo noſtro concluſa fuerunt, inuerſa
ſunt, Verum etiam multa alia adiecta, quæ non modo di-
gnitatem noſtram, verum etiam iura publica perſtringe-
re videbantur. Etenim ducenta millia, quæ nos non pla-
cationis, ſed debitorum Regno retētorum nomine ab illis
pacti eramus, quæ ipſi etiam tempore conſtituto ſoluere
promiſerant, in tempus poſtea longiſsimum ac incertum
tranſtulerunt. Cōtributionem acciſæ abiecerunt. Regalia
noſtra quæ nobis à Ciuitate ſingulis annis pendi ſolent, in
dubium vocarunt, Cōmiſsionem abrogari autoritate ſo-
lummodo noſtra extra conuentū voluerunt. Cum Regno
nihil*

nihil ſe habere cõmune ſcripſerunt: & alia quæ non commemoramus, quæ ex hoc illorum reſponſo, quod etiam mittimus, facilè S. T. intelliget. Quid Saluo conductu durante fecerint, omnib. notum eſt. Internuncijs pacis prætextu ablegatis, nihil minus quam pacem in Ciuitate tractarunt. Hanc propugnaculis & ante muralibus extructis munierunt, militem qui dimitti debuit auxerunt, eruptiones multas fecerunt, ex villis & domibus Nobilium prædas egerunt, villas incenderunt, Euentus vt demonſtrauerit, illos non pacificationis ſed ludificationis cauſam nobiſcum egiſſe. Tacemus alia eorum innumera in nos & Rempub. commiſſa delicta, iam videmus eorum animos planè obcæcatos in perniciem ſuam ruere, ſed nobis Deus teſtis eſt quod lenis & clementis Principis officio hactenus vſi ſumus, & curauimus vt illos ad ſanam rationiq; obſequentem mentem reduceremus. Nihil profecerunt hortationes, Legationes, perſuaſiones, cunctationes noſtræ. Expectatum diu eſt, cum ſumma etiam & noſtra & Reipub. indignitate, nihil eſt prætermiſſum, quod ad quietem & tranquillitatem publicam retinendam pertinere videretur. Quid igitur aliud reſtat faciendum, quam ne nobis & Reipub. deſimus, atq; vt ſequamur & ſuſcipiamus ea conſilia, quæ ratio ſuadet, & iuſtus dolor exprimit. Quæ cum ita ſint non dubitamus Sy. T. pro ſuo erga nos & Remp. ſtudio nobis conſilio & auxilio non defuturam. Conuocamus Senatores Regni Inowladiſlauiam

nian

uiam ad 15 diem Martij, Dabit igitur operam S. T. vt eò veniat, & eam manum quam poterit, in ſubſidium nobis & Reipub. adducat. Quo in genere quidcunque S. T. noſtri & Reipub. cauſa fecerit, id certe non fruſtra impendet. Etenim nos eam quam debebimus officij ipſius rationem ſuo tempore habebimus. Ad Turcarum Imperatorem mittimus Generoſum Iohannem à Szienno Caſtellanum Haliciẽſem, cum præſcripto Legationis eo quod in Comitijs Thorunienſibus concluſum erat. Miſſuri itidem Oratores ad Moſcorum Principem ſumus, quibus vero cum mandatis mittere debeamus, & quam longi temporis inducias cum illo conſtituere, hortamur vt S. T. nobis conſilium ſuum per Cubiculariũ noſtrum perſcribat: quod hanc Legationem ſtatim mittere velimus, cum hoc negotium iſto rerum ſtatu moram pati non videatur, pro gratia noſtra & officio ſuo S. T. ſecus non factura. Quam bene valere cupimus. Datum Bidgoſtij xj. die Februarij Anno Dñj 1577. Regni vero noſtri Anno primo

Stephanus Rex.

Appendix literarum.

IAm igitur armis petendos eſſe decreuimus, & contra illos Decretum rebellionis extendendum duximus, quod certè conſilium à nobis non voluntas ſed neceſsitas extorſit. Ad id igitur ſpectat & pertinet hoc etiam vt Sync. & Fid. veſtræ duo millia peditum nobis oblata quamprimũ

apud nos ſiſtant, atque vt quam celerrimè conficiantur omninò curent. Contributionem præterea Acciſæ nobis per Sync. & Fid. veſtras promiſſã & concluſam in Theſaurum noſtrum inferant ac inferri curent, atque hoc vtrumque tam miles quam pecunia vt quàm citiſsimè, celerius etiam quam in conuentu Graudentinẽn̄ concluſum eſt, ſtatuatur, Sync. & Fid. veſtræ efficiant. Cupimus enim occaſionem nullam prætermittere, noſtræ & Reip. iniuriæ ex Ciuitate rebelli quam primum vindicãdæ. Notæ ſint præterea vobis rationes Cõmeatus ſubminiſtrandi, vt ſuſcepti belli ratio ordinata fiat, ac nemini damnum ac præiudicium adferat. Nos vero dabimus operam, vt militari diſciplina in bonum ordinem redacta, bellum hoc iſti Prouinciæ nullum damnũ adferat, atque deinceps oĩa ita conficiantur, vt agnoſcant omnes Deum bonæ parti fauiſſe, & nunq̃ ſecundauiſſe impios & ſceleratos ſubditorum conatus erga Regem & Dominũ, nulla ipſis cauſa ſed ne ſuſpicione quidẽ malæ cauſæ obnoxium. Cupimus vt Syn. & Fid. veſtræ rem in cõmune quamprimum conferant, aut quod iam conſtitutum habent, quam celerrimè nobis explicent. Cupimus Sync. & Fide. veſtras bene valere. Datum Bidgoſti die xj. Februarij Anno Domini M. D. Lxxvij. Regni vero noſtri primo.

Stephanus Rex.

NOn minus mœrori nobis fuerunt vniuerſales literæ, paſsim ſparſæ, quæ diuerſas in publica Ciuitatis ſalute,

lute, Ciuium factiones innuere videbantur, ac ideo qui Regiæ Maieſtatis partes fouerent, cum rebus & bonis ſuis intra præſtitutum tempus Ciuitate iubebantur excedere. Enimuerò neminem bonum Ciuem animaduertimus qui non ſaluis priuilegijs & libertatibus publicis, intra Ciuitatem manens, ſubiectionis fidem Regiæ Maieſtati præſtare vellet, neque neceſſarium erat, vt ideo quiſquam ad pleniorem fidei teſtificationem lares ſuos remq; familiarem deſereret. Literæ de quibus loquimur tales ad nos perlatæ ſunt:

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ &c.

SIgnificamus præſentibus quorum intereſt vniuerſis & ſingulis, harum noticiam habituris. Quod cum naturæ legumq; ratio iubeat bonos præmio, malos autem pœna affici, & videatur æquitati conſentaneum eſſe, vbi mali bonis miſcentur, efficere, ne vtrorumq; vna eademq; ratio habeatur, ſed iſti quidem clementiæ, illi verò ſeueritatis ſententiæ ſubijciantur. Ideo nos cum accepiſſemus, in Ciuitate Gedanenſi rebellionis ac defectionis nefaria nota hoc tempore contaminata multos eſſe probos & modeſtos ciues, qui peſſimorum ciuium conſilia abhorrent, ac in fide nobis et Regno debita perſtant, eius tamen in Ciuitate cõditionis ſunt, vt malis admixti, & inter ſpem ac metum poſiti iſthic hæreãt, his itaq; cõmiſeratione dignis ſubuenire volentes, ne in pœnas perduellium incurrant,

B 2 vitaq;

vitæq́ famæ & facultatum ſuarum iacturam patiantur, ex clementia noſtra concedendū eſſe duximus, prout hiſce p̄ſentibus concedimus, vt omne periculū vitæ fortunarūq́ ſuarum euitantes, infra totos viginti dies incluſiuè à data præſentium computandos è Ciuitate Gedanenſi diſcedere, migrare, & ſe à conſortio & ſocietate rebellium ſegregare, libereq́ ac tuto cum rebus ac facultatibus ſuis egredi poſſint ac valeant, Ita tamen, vt ſine fuco & fallacia, fidelitatem ſuam nobis re & nomine teſtentur, & literas paſſus à nobis ſiue à præfecto militiæ noſtræ capiāt. Quicunque verò poſt præfatos viginti dies in Ciuitate Gedanenſi permanſerint, hos omnes cuiuſcunque conditionis ſunt, infames, rebelles, perduelles, hoſtes patriæ habendos eſſe decernimus ac iudicamus. Quod vt ad omnium noticiam deueniat, has præſentes voce præconis publicari, & in portis Ciuitatum & oppidorum affigi mandauimus. In quorum fidem ſigillum noſtrū apprimi iuſſimus. Datum Bidgoſtij die xij. menſis Februarij Anno 1577. Regni vero noſtri Anno primo.

Ex Commiſsione
S. R. M. propria.

Petrus Dunin Volski
No. Epūs Pr. & R. P. Cancell.

CÆterum ſuperioribus literis ad Terrarum Conſiliarios ſcriptis permotos, res ipſa nos monebat, vt ad Eoſdem Grudenti tum congregatos, in hanc ſententiam denuo perſcriberemus.

Ad

Ad Conſiliarios & Status Terrarum Pruſsiæ.

Salute & obſequiorum cõmendatione præmiſſa &c. Quanquam non ita pridem ad Reuerendiſs: Mag: Gen: & Sp. Dom. veſtras de ſtatu rerum præſentium ſigillatim, quæ neceſſaria videbantur, perſcripſimus: tamen cum audiremus Eaſdem cum cæteris Statibus, literis ac poſtulatis Regiæ Mtis adductas, Grudenti conuentum agere, facere non potuimus, quin nunc etiam horum temporum conditionẽ, quæ niſi maturo conſilio prouideatur, toti Pruſsiæ perniciem allatura videtur, iiſdem ad animũ denuò reuocaremus.

Ac primum quod ad literas Sereniſsimæ R. Mtis attinet, quibus præter meritum inſimulamur, quaſi per nos hactenus ſtetiſſet, quo minus rebus controuerſis in pacatum deductis, pax & tranquillitas recuperata fuerit: certò nobis conſcij ſumus, & compluribus literis teſtati fuimus, nos in omnibus hanc ob rem inſtitutis actionibus, pro ſummis facultatum noſtrarum viribus, eas inire voluiſſe conditiones, quibus nec fidem, nec ſubiectionem, nec vllam æquitatis rationem, conciliandæ paci parem, detractaremus. Nam quod dicitur priuilegium nobis pro grauaminum abolitione datum, priuilegiorum verò cõfirmationem in ampliſsima forma conceſſam, illo quidem idcirco parum nobis proſpectum videtur, quod præcipua gra-

uaminum capita, quæ maximè nobis oneri ſunt, ad cognitionem Comitiorum Regni reyciũtur, ex quibus vt plurimum illorum controuerſia deſcendit.

Hoc enim pacto non ſolum Ciuitas, ſed vniuerſa Prouincia maximum ſanè iurium et priuilegiorum præiudicium patitur, quandoquidem notabiles cauſſæ, quibus verbis publica noſtrorum omniũ incolumitas continetur, quæ non in Comitÿs Polonicis, ſed in ipſa Prouincia cum conſilio Conſiliariorũ Pruſſiæ tractari, terminari, definiri debebãt, rebus ac iurib. Polonicis cõmiſcentur. Sic enim contrarÿs exemplis, præcipuum hoc principalis Priuilegÿ caput, in abuſum trahitur, & interpretatione ſiniſtra prorſus euertitur. Deinde per nudam priuilegiorum confirmationẽ parum nobis vtilitatis accedit, niſi grauamina & abuſus eorundem tollantur, quibus non abolitis, haudquaq̃ libertates, iura & Priuilegia manent integra, ſed ſumma cum noſtrorũ omnium iniuria ad nihilũ redigũtur. Proinde Reuerendiſs: Mag. Gen. & Sp. Dom. vrãs perquàm reuerẽter ac diligenter oramus, ne ꝓpenſæ nimis eſſe velint ad quamuis ſiniſtram de nobis opinionem concipiendam, ſed innocentiæ quoq; noſtræ rationibus locum aliquem benignè relinquant.

Non ignorant ipſæmet, quibus modis per annos aliquot, nõ nos ſolum, ſed etiam vniuerſa ꝓuincia fuerimus afflicti, quibus item interpretationib. libertates & priuilegia in ſenſum planè ſiniſtrum detorta, ſic vt vix vnum

illorum

illorum caput ſit, quod nō vel corruptum fuerit, vel planè ſubuerſum. Quò minus vitio nobis verti poteſt, quod cum noſtra, tū cōis patriæ priuilegia, q̄ & ipſa nobis cōmunia ſunt, ſarta tectaq́ perpetuò cupimus. Sanè nihil hic aliud quærimus, de ſolis libertatib. ac priuilegijs agitur, q̄ maiores noſtri ſuis facultatibus, ſuoq́ ſanguine pepererūt. Horum veſtigijs inhærentes, vt eadem priuilegia poſteris per manum tradamus, eo quo nos accepimus modo, non maximè ſolum optamus, verum etiā debito quodam adſtrictos nos opinamur. Nec interim verò fidem & ſubiectionem detrectamus, nedum pacem aſpernamur, quam vti ſemper præ rebus cæteris petiuimus, ita nunc etiam omnibus facultatum noſtrarum viribus redimere non recuſamus. Quapropter iterum atq; iterum diligētiſſimis precibus rogamus benignè velint operam dare Reuerēdiſſimæ Mag: Gen. et Sp. Dom. veſtræ, quibus cōmunis patriæ ſalus ex officio Senatorio pluſquàm cæteris incūbit, quo maturè periculis imminentib. quàm optimè cōſulatur, & R. Mīs animus ad tutiora conſilia ꝓmoueatur, ne ſit neceſſum totam prouinciam eo quo iam inceptum eſt modo, vaſtari, vel vnà nobiſcum ad extremam redigi calamitatem.

Neque certè confidimus, Eas ad oppugnationem noſtri ſuppetias duorum millium militum comparaturas. Meminimus enim, hanc eius rei ab initio fuiſſe rationē, vt vel militem eum pro ſecuritate prouincialium in tres menſes alerent, vel ineundæ pacis gratia nonnullam pecuniæ ſummam conferrent.

Verum cum nihilominus audiamus, nouas contributiones laudari, munitiones, arma, & inſtrumenta bellica ad nos oppugnandos ex Ciuitatibus ſubminiſtrari, facilè quidem intelligi poteſt, quid tandem inde mali conſecuturum ſit, vniuerſæ nempe prouinciæ & incolarum, qui bellicis iniurijs maximè ſunt obnoxij, vaſtitas, clades, & exitium: nec vlla profectò poterit tam exacta diſciplinæ militaris ratio confici, vt non maximum inde damnum ad prouinciam redundet. Meliora ſanè ſperabimus, & in Earundem Dom. veſtrarum interceſſione, conſilio, & ſolicitudine belli abolitionem, pacis autem redintegrationē ſitam fore confidimus: præſertim quod etiam alias ob cauſſas peſtis hæc leuibus initijs exorta, latius aliquantò ſerpere poſſit, quàm nunc aliquis cogitatione complectatur. Non eſt obſcurum, qua temeritate nuper Erneſtus VVeierus Danos quoſdam ſub vicino maris promōtorio aggreſſus, pecunia, mercibus, ac rebus omnib. ſpoliauerit, ac euacuatis demum nauibus huc remiſerit. Quòd ſi Sereniſſimus Daniæ Rex, qui iam antea naues inſtructas & armatas in pcinctu habet, ſubditorum iniurias vlciſci volet, quantum inde detrimenti ad incolarum plurimos, quantum periculi ad portum noſtrum redundabit? Quid ſi eadem occaſione alij quoque Principes ad arma deueniant, quanto labore tantum incēdium poterit ſopiri? vt taceamus merces omnes, quæ ex Regno deuehuntur, vnà cum nauibus, quæ per fretum Danici maris excurrere ſolent, diſcrimen

pignorationum,

pignorationum, & direptionis, in eorum qui ſe læſos hoc loco conquerentur compenſationem, qaudquaq̃ euaſuras: nobis autem ac cæteris itidem cõmerciorum & nauigandi liberum vſum penitus ademptum iri.

Præterea certis rumoribus huc affertur, Ciuium noſtrorum merces & bona tam in Regno Poloniæ, quàm in terris Pruſsiæ paſsim, etiam à Conſiliarijs nonnullis, pignorari, confiſcari, vel prædæ exponi. Quod vti eodem iuris ordine, quo ſuperiores iniuriæ, procedit: ita minimè fuerit iniquũ, damna Ciuium illorum, ex rebus, mercibus, & pecunijs, quas incolæ Regni & Pruſsiæ non contemnendas in Ciuitate reliquas habent, eodem modo reſarciri. Quo maioribus votis expetendum, vt æquis ac prudentibus rationibus, & publicæ quæ videntur imminere calamitates, & priuatorum iniuriæ, quãtum adhuc fieri poſſit, maturè amputentur. Neque merito noſtro quis dixerit, ob Oliuenſis monaſterij deſtructionem, iſthæc mala nobis inferri. Nam cum Abbatis iſtius conſilia minimè nos laterẽt, ac apertè intelligeremus, per Erneſtum VVeierum caſtris & munitionibus locandis locum eum deligi, quibus Ciuitas oppugnaretur, magis ex vſu Ciuitatis videbatur monaſteriũ deſtruere, quàm obſidionis perpetuæ diuerticulum vltrò præbere, præſertim cum iam publicè nobis aqua & igni fuiſſet interdictum, & hoſtilia quæq; denunciata.

Tandem illud etiam recordari ſine dolore non poſ-

ſumus, Internuncios noſtros, præter publicarum literarũ fidem, & ſecuritatis pollicitationem, captiuos detineri, & præter ſuperiores iniurias & contumelias, nunc etiam durius quàm æquum eſt, tractari: qui cum mandati ſui præſcriptum excedere nõ potuerint, nihil certè per ſe mali cõmeruerunt. Quare cum nec aditus ad Regiam Mtẽm, nec locus liberè de Republica dicendi nobis relictus ſit, quinimò potius oĩa quæ fideli & ſincero à nobis animo petuntur, in contrariam partem accipiuntur, denuò quàm maximis poſſumus precibus rogamus, vt apud Reg. Maieſtatẽ Reuerendiſſ: Mag. Gen. & Spect. Dom. veſtræ, cum pro publicæ tranquillitatis cõmodo, tum quod ipſarũ etiam vt plurimum intereſt, auctoritatẽ ſuam interponere per Internuncios ſuos non grauentur, & æquis & tolerabilibus conditionibus quicquid eſt cõtrouerſiarum, ſine Ciuitatis extremo detrimento pacificè componatur, bellum et inde prouentura mala quàm longiſſimè propulſentur. Quantum in nobis eſt, neq; fidem ſubiectionis, neq; rationem æquitatis vllam, ſaluis iuribus & priuilegijs noſtris, meritò deſiderari patiemur, &c. Gedani die xvj. Martij Anno Domini M. D. Lxxvij.

AD ea reſcripſerunt dñi Conſiliarij, Se quidem iam antea hoc eodẽ in negocio nec labori, nec interceſſioni, nec facultatibus ſuis in Acciſa conferenda peperciſſe, quod exiſtimaſſent hoc modo controuerſias oẽs componi debuiſſe, nec immeritò ſe dubitare, nũquid amplius operæ

ſibi

ſibi foret huc impendendum: præſertim quod rem iam longè apertius in diſcrimen adductam, Regiæ verò Maieſtatis offenſionem magis ac magis prouocatam animaduerterent: Nihilominus tamen, ne deinceps quoq; publico pacis conciliandæ ſtudio defuiſſe viderentur, denuò ſe literis ſuis apud Regiam Maieſtatem interceſſuros, ac operã daturos, ſi quibus imminenti calamitati remedijs occurri, & in tranquilliorem ſtatum prouincia reduci poſſet.

Scripſimus in eandem Sententiam ad Dominos Regni Conſiliarios, vicinorum etiam Regum ac Principum interceſsionem humiliter implorauimus, nihil reliquũ facientes, quod ad pacem conditionibus æquis & honeſtis retinendã, & calamitates q̃ bellum comitari ſolent auertendas pertinere videretur. Verum vti poſtea res ipſa docuit, nihil his omnibus proficere potuimus.

Exemplum literarũ ad Dominos Conſiliarios & Status Regni ſcriptarum.

Reuerendiſsimi, Illuſtriſsimi, Illuſtres, Magnifici ac Gen. Dñi, &c. Coniectura facilè aſſequimur, nos, obortis hiſce difficultatibus, quibus, pròh dolor, præter meritum & omnem expectationem noſtram, nunc conflictamur, apud Reuerendiſs: &c. D. vrãs traduci, quaſi ij ſimus, qui non tantum S. Reg. Mti Dño noſtro clementiſsimo rebellare, ſed etiam rationes noſtras ab inclyti Poloniæ Regni rationibus ſeiungere, & ei vltimũ valedicere decreuerimus.

Notum eſt autem dubio procul Reuerendiſs: &c. D. veſtris, nos in præſentes difficultates nō temerario quodam auſu aut rebellandi animo delapſos eſſe, ſed propter electionē Regiam, cui noſtra ſuffragatione ita acceſſimus, vt ab ea, propter varia quæ à Romano Imperio & eius ſocijs, non tantum huic ciuitati, ſed etiam vicinis Regionib. impendêre videbantur pericula atque incōmoda, nobis tam facilè recedere non fuerit integrum, ſed in oēs partes aduertendus erat animus, ne, cum de nobis potiſſimum terra mariq́; agatur, præſens damnum atque periculum, cum omni vicinia, contraheremus.

Interim vero multoties & per literas & per Internuncios noſtros teſtati ſumus, nihil de noſtra fide, obedientia ac ſubiectione dubitandum eſſe, nos exemplo Maiorum noſtrorum nihil minus facturos quam vt fidem falleremus, & rationes noſtras ab inclyti Poloniæ Regni rationibus ſeiungeremus. Quomodo vero nihilominus potiora ciuitatis bona deuaſtata, & nos publicorum hoſtium numero habiti fuerimus nihil hic attinet dicere, cum ea Reuerendiſs &c. D. veſtris exiſtimemus eſſe notiora, quā vt longiori explicatione egeant, Quamuis eam ob rem ne minimum quidem admittere voluerimus, quod ab obediētia fide et ſubiectione noſtra alienum eſſet, ſed quàm primum licuit, ad Sac. Regiam Mtēm Internuncios noſtros ablegauimus, qui ſubiectionem noſtram deferrent, & nihil amplius ſubmiſsè peterent, quam vt Sac. R. Mtās nos

penes

penes Religionem Auguſtanæ confeſſionis, iura, Priuilegia, libertates & antiquas conſuetudines, abrogatis quæ per hoſce aliquot annos proximos contra irrepſerunt incõmodis atque difficultatibus, clementiſſimè conſeruare dignaretur, atque vt nobis ad eius Mtis gratiam, obliteratis omnibus ex hiſce erroribus enatis offenſis, reditus benigniſſimè pateret. Et quamuis res omnis ex integro componi tum non poſſet, cum Thoruny Sac. Mtãs Reg. publica Comitia indixiſſet, nos tamẽ vt extra omnem culpam nos poneremus, in nobis nihil deſiderari paſſi ſumus, ne ij videri poſſemus, qui bello nos minus neceſſario implicare cõſtituiſſemus, ſed Syndicum noſtrum Thorunium quoque miſimus, vt ſecuritatis literas pro Internũcijs noſtris impetraret, & ſimul innocentiæ noſtræ rationes, & quo in ſtatu res noſtræ eſſent, cum oretenus, tum per literas, quas eius fidei cõmiſeramus, explicaret. Is vero in hoſpitium ita concluſus fuit, ne pedem vſpiam efferre poſſet, Quin Magnificus D. Palatinus Sandomirieñ, ad quem, præſentib. adhuc aliquot alijs Senatorib. vocatus fuerat, literas nomini Regio inſcriptas in ipſius conſpectu aperuit, atque perſcrutatus eſt antequam ad Sac. Mtẽm R. perferrẽtur. Cum reliquis vero omnibus, quæ tam ad Reuerendiſſimas &c. D. veſtras, quam reliquos proceres perſcriptæ fuerant, propoſito interdicto, ne quidquam earum cuiquam exhiberet, domum ad nos, impetratis tamen pro Internũcijs noſtris publicis literis remiſſus fuit. Quibus cum con-

ditiones fermè impoſsibiles additæ fuiſſent, diu multu mq́ deliberauimus, num Internuncios mittere vellemus nec ne, verum vicit plurimorum ſententia, qui affirmarent cum ex aula Sacræ Maieſtatis Regiæ, tum aliunde quoque perferri, Nihil aliud Maieſtatem Regiam quam animum demiſſum & humilem, humiles ac ſupplices preces expoſcere, Ea igitur in parte ne quidquam etiam prætermiſiſſe exiſtimari poſſemus, Internuncios noſtros, præter omnium fermè hominum expectationem Thorunium ad generalia Comitia ablegauimus, vt eam ſubiectionis & obedientiæ noſtræ ſententiam non tantum Sacræ Maieſtati Regiæ, ſed omnibus etiam in vniuerſum Statibus & Ordinibus Regni & omnium reliquarum Prouinciarum ſubmiſſo ſtudio peragerent, innocentiæ noſtræ rationes in publicis Comitijs explicarent, & quo in ſtatu res noſtræ eſſent omnibus exponerent, Verum in conſpectum Reuerendiſsimæ &c. Dominationis veſtræ & reliquorum Ordinum admitti non potuerunt, ſed mandata ſua ſeorſim quibuſdam deputatis Regijs explicare, & præterea neminem vel ex Senatoribus vel reliqua nobilitate adire coacti fuerunt. Quinimò contra aperta verba literarum ſecuritatis, quarum exemplum Reuerendiſsimis &c. D. vrīs transmittimus, ita in cuſtodiam conditi fuêre, vt facinoroſorum inſtar nuſquam illis egredi liberum aut tutum fuerit. Deinde ad tractatus vbi peruentum eſſet, ne quid nobis merito imputari poſſet, ita nos ad retinendam in

cõmuni

communi Repub. pacem & tranquillitatem publicam comparauimus, quemadmodum nullam vnquam ciuitatẽ etiam manifeſtiſſimæ rebellionis conuictam, quo crimine famam noſtram ſemper vacaſſe extra controuerſiam eſt, feciſſe vllis hiſtoriarum monumẽtis proditum eſt, cum ſupra vires facultatum noſtrarum, exulcerato hoc rerum ſtatu, Ciuitatis rationib. nũc valdè attritis, & ære alieno, propter Poloniæ Regnum oppreſſis, modo Sacra Regia Maieſtas nos penes iura, Priuilegia, libertates & conſuetudines noſtras, abolitis quæ in contrarium irrepſerunt grauaminibus, conſeruare clementiſſimè dignaretur, non vero alicuius debiti gratia, ducenta florenorũ millia, quatuor ſaltem annorum ſpatio exoluenda humillimè obtulerimus. Et ne quid ad recuperandam Mtis R. gratiam, & cõmunem tranquillitatẽ conſeruandam quoquo modo deeſſet, Status etiam & Ordines harum Terrarum centum florenorum millia ſe daturos eſſe receperunt, modo miles abduceretur, & omnia in priſtinum ſtatum reducerẽtur. Verum eorum omnium nulla haberi potuit ratio, ſed ſupradictæ pecuniæ ſumma in tam anguſto tẽporis ſpacio nihilominus à nobis extorqueri cœpta fuit, quo eam cogere omnino fuit impoſſibile, Et id præterea à nobis poſtulatum eſt, ſine quo Ciuitatis rationes nullatenus conſiſtere aut ſaluæ eſſe poſſunt. Acceſſit etiam illud quod præcipuorum capitum Priuilegiorum noſtrorum gratia ad Comitiorum cognitionem reiecti fuerimus, cum quibus

nobis

nobis ex harum Terrarum Priuilegio nihil cõmune eſt. Cum omnes notabiles cauſſæ quæ has Terras concernunt, cum harum Terrarum Conſiliarÿs in hiſce Terris tractãdæ terminandæ & diffiniẽdæ ſint. Præterq; quod Priuilegia noſtra, in quorum libero vſu & pacifica poſſeſſione, cum maioribus noſtris ſupra centum viginti annorum ſpatium atque ita ſupra hominum memoriam fuimus, nunc tandem Comitiorum cognitioni Decretis ſubÿcere nulla ratione poſſimus.

Hiſcè vero omnibus non attentis, nihilominus in admodum anguſto temporis ſpacio tam ingens pecuniæ vis à nobis extorquebatur, quo eam cõflare non fuit poſſibile, Et cum citra damnum & detrimentum noſtrum irrecuperabile eo modo præſtari non poſſet, Internuncÿ noſtri in Poloniæ Regnum, in quem locum neſcimus, contra aperta literarum ſecuritatis verba abducti, & nobis per Syndicum noſtrum literæ ſub manu Regia & Regni Sigillo miſſæ ſunt, quibus non tantum fama & exiſtimatio noſtra indignis planè modis proſcinditur, ſed Decretum cuius promulgationi ab initio propter obſeſſa omnia itinera, intereſſe nõ potuimus, quo perduellionis præter meritum noſtrum damnamur, publicatur, omnis ſecuritas tam terra quam aqua nobis adimitur, & tanquam impÿs in principem & patriam hominibus aqua & igne interdicitur, quemadmodum id Reuerendiſſ: &c. D. veſtræ ex adiecta earum literarũ copia melius cognoſcere poterũt.

Ex

Ex ſupradictis igitur omnibus Reuerendiſſ: &c. D. veſtræ colligere dignabuntur, num in nobis, quo ad fidem, obedientiam & ſubiectionem noſtram, quidq̃ deſiderari paſſi fuerimus, & num ſatis cauſſæ ſit, fideles ſubditos flamma & ferro perſequi, bona Reipub. deuaſtare, innocentem ſanguinem fundere, & nobiſcum tanq̃ cum fœdiſſimis hoſtibus, vel illis hominibus agere, qui rationes ſuas ab inclyti Poloniæ Regni rationibus vnquam ſeparare conſtituerint, quod nullo tempore in mentem noſtrã veniſſe, aut ad cogitationes noſtras penetraſſe, ille nobis teſtis eſt, qui corda & renes hominum ſcrutatur.

Et licet nobis obijci poſſit, nos plærisq̃ defectionis ſuſpicionem præbuiſſe, eò quod militem externũ conſcripſerimus, et etiamnum in Ciuitate retineamus, & quemadmodum non ita pridem famam de nobis vulgatam fuiſſe cognouimus, quaſi familiares noſtros in Germaniam ad accerſenda externa auxilia, & ineundas de mutãdo principe rationes, mittere debuerimus, Item quod vicinum nobis Oliueñ Monaſterium ſolo æquare præſumpſerimus: tamen optimæ mentis conſcientia nos conſolamur, neminẽ verè dicturum, nos militem rebellandi animo collegiſſe vel apud nos alere, Cum illum ab initio, allatis ex varijs locis belli rumoribus, tantum ad tutandas Ciuitatis portas conſcripſerimus, Neque eius numerum augere conſtitueramus, niſi bona ciuitatis hoſtiliter occupata, deuaſtata, igne abſumpta, homines trucidati, abducti, in perpetuam

 ſeruitutem

ſeruitutem venditi, & animus noſter ad alias ſuſcipiendas cogitationes impulſus fuiſſet. Quod vero illum etiamnum apud nos retinemus ea cauſa eſt, quod miles varijs in locis tam Regiomonti quam in Germania quoque per Erneſtum VVeierum cōſcribitur, illiq́ locus cōmeandi Neotichi, in inſula maiori, & in agro Puceñ, in hac noſtra vicinia, aſsignatur, qui nobis varijs modis inſultat & dira omnia minatur. Quamuis nos nihilominus pacis percupidi, maiorem iam equitum partem exauctorauerimus, et reliquos etiã mittere cuperemus, niſi à nobis miſsi, ab Erneſto VVeiero aduerſus nos illuc conſcriberentur.

Quod etiam familiares noſtros in Germaniam ad accerſenda externa auxilia, et ineundas de mutãdo Principe rationes mittere debuerimus, non exiſtimam⁹ quenq̃ futurum, qui id ſe ita habere aſſeuerare poſsit, ſed euentus, Deo benè iuuante, docebit, nos id in rem noſtram, nõ tãtum pro cõmodo huius ciuitatis, ſed etiam totius Regni Poloniæ feciſſe. Oliueñ Monaſterium quod diruere ac demoliri coacti fuerimus, occaſio non ex nobis ſed ipſo Dño Abbate profecta eſt, ex cuius indicijs cognouimus, Erneſtum VVeierum opportunum quendam locum ſibi & ſuo militi eligere debuiſſe, Cum autem locum magis oportunũ ad incõmodañ huic Ciuitati & eius rationibus non inueniremus, ſatius eſſe duximus Monaſterium illud deijcere, quam hoſti oẽs nobis damnũ inferendi occaſiones præbere.

Ex quibus omnibus circumſtantijs nihil dubitam⁹, quin.

quin Reuerendiſs: &c. D. V. apertè pſpiciant, non tantū in nobis culpæ reſidere, quantum in nos, ṗter omne meritum noſtrum, ab aduerſarijs, qui per hoſce aliquot annos nihil aliud quam huius vrbis excidium et ſanguinem noſtrum ſitierunt, conijcitur. Et eam ob cauſam maiorem in modum et obnixè rogamus, obſecramus et obteſtamur, vt hæc negotia q̄ magnam ſecum molem trahere videtur, penitius conſiderare, in medium conſulere, & authoritatem ſuam apud Sac. Mtēm R. gratioſiſsimè interponere dignentur, vt oēs iſtæ, præter expectationem noſtram, enatæ difficultates abſq; cōmuni incōmodo ſopiri & complanari poſsint, cum hoc malum, quod leue fortaſsis quibuſdā videtur, latius ſerpere poſsit, quam quiſquā nunc cogitatione aſſequitur. Exiſtimamus enim Reuerendiſs: &c. D. V. iam antehac cognouiſſe, quomodo Erneſtus VVeierus non ita pridem quaſdam naues Danicas, aliquot ſaltē ab hinc milliaribus, vi aggreſſus ſit, omnib. bonis ſpoliauerit & nihil reliqui fecerit, quod ad extremū illorum excidiū ptinuerit, vnde facilis cōiectura eſt, Sereniſs. R. Daniæ, qui aliquot naues onerarias cū triremib. nō paucis inſtructas habere dicitur, id æquo animo minimè laturum, ſed data opportunitate illud damnum atq; detrimentū huic viciniæ daturum eſſe, quod oēs hæ Terræ vix auertere poterunt: Præterq; quod verendum eſt, ne per eam occaſionem multi Germaniæ & aliorum locorum Principes excitentur, qui eas difficultates concilient, quas humana ratione aſſequi difficile ſit.

 Præterea

Præterea cum fermè omnes naues ex his locis per fauces Sundicas & Regnum Daniæ neceſſario tranſire cogantur, periculum eſt, ne illæ viciſsim detineantur, & illis qui Erneſtum VVeierum ſpoliati ſint tantiſper concedantur, donec ipſi damnum hîc illatum plenè ſarciatur, Quod quanto cum periculo atque detrimento harum Terrarum cõiunctum ſit, Reuerendiſs: &c. D. veſtræ gratioſiſsimè expendere dignabuntur. Adhæc non tantum rumore quodam ſed etiam conſtanti fama huc perlatum eſt, merces noſtras nõ tantũ in Regno Poloniæ ſed etiam in hiſce Terris ſequeſtrari, & in publicam quaſi prædam exponi. Quod vero quam graue nobis ſit, ipſæ Reuerendiſs: &c. D. veſtræ cogitent, & vix nobis temperare poterimus, quin tam Regnicolarum quam indigenarũ aqud nos extantia & bona & debita, illorum viciſsim poteſtati permittamus, quorum bona vel ſequeſtrata vel in publicam prædam data oſtendentur, Quas autem difficultates ea res paritura ſit Reuerendiſs: &c. D. veſtræ conjectura facillimè reperient. Atque ea propter tanto maiori ſtudio obſecramus & obteſtamur, dignẽtur eas gratioſiſsimè inire rationes, quibus Sac Reg. Mtãs ad alia quærenda media quibus omnes hæ præter noſtram expectationẽ enatæ difficultates ſopiri et componi poſsint, inducatur, cum fidem, obedientiam & ſubiectionem non detrectemus, neque in nobis quidquam deſiderari vnquam paſsi fuerimus.

Sin vero æquiſsimarum precum noſtrarum nulla

ratio

ratio haberi, ſed præter meritum noſtrum, iuribus, Priuilegijs, libertatibus & conſuetudinibus noſtris, quarum ſaltem conſeruationem, & incõmodorum atq; grauaminum quæ contra ea irrepſerunt abolitionem humillimè petimus, vis aliqua inferri debebit: Deum & Reuerendiſſ: &c. D. veſtras teſtamur, Nos ijs malis atque incõmodis quæ inde quoquo modo ſubſequi poſſint occaſionem nullã præbuiſſe, Cum toties iteratæ ſupplicationes noſtræ nõ auditæ nec acceptæ fuerint, & nos tñ ita nos comparauerimus, vt omnium rectè ſentientium cenſuram atque iudicium ea in parte facilè feramus, Cum almam pacem, atque iura, libertates & Priuilegia noſtra, Maiorum noſtrorũ ſanguine parta, denuo cum omnium fermè facultatũ noſtrarum profuſione redimere, & ita nos comparare voluerimus, ne de fide obedientia & ſubiectione noſtra quiſquã dubitare potuerit, neque etiamnum poſſit.

Poſtremo cum Internuncij noſtri contra præſcriptum literarum ſecuritatis in exilium illud, præter omnẽ expectationem noſtram & omnium gentium iura miſſi fuerint, obſequioſè & obnixè rogamus atq; obteſtamur, dignentur apud Sac. Mtẽm Regiam Reuerendiſſ: &c. D. veſtræ gratioſiſſimè intercedere, vt priſtinæ libertati quãprimum reſtituantur, Cum nihil magis omnium incolarũ animos percellere viſum ſit, quam quod Internuncij Ciuitatis contra aperta Saluiconductus verba in cuſtodiã conditi fuerint, Et omninò ſunt dubij quantum in poſterum

non tantum ſuſceptis tractationibus ſed etiam literis Regijs fidei habere debeant.

Quam noſtram ſollicitudinem atque intercesſionem pro fidei noſtræ debito ſuſceptam & interpoſitam vt Reuerendiſs: &c. D. veſtræ pro ſuo candore gratioſisſimè accipere dignentur maiorem in modum & obnixè rogamus atque obſecramus, Eaſdem immortali Deo cum cumulatisſima rerum omnium acceſsione diutisſimè ſaluas & incolumes ſumma animi deuotione cõmendantes. Datum Gedani die 10. Marcij Anno 1577.

Porrò quid pro liberatione captiuorum Internunciorum vltrò citroq́ literis agitatum fuerit, quibus maximè de Saluo conductu, cuius nomine paſsim iniuriam captiuis fieri conquerimur, diſceptatum ſit, ex ſequentibus liquidò patet.

Literæ Ordinum ad Regiam Maieſtatem pro detentis Internuncijs.

Sereniſsime Rex ac clementiſsime Dñe, Perlatum eſt ad nos, Sereniſs: Reg. Mtẽm veſtram Internuncios noſtros, quos pro ſubiectionis noſtræ officio, ad euitanda omnis generis pericula, freti literis ſecuritatis Sacræ Mtis veſtræ, ad generalia Comitia Thorunium ablegaueramus, vbi Mtãs veſtra eos denuò Saluo conductu ſuo Regio adhibita propria Regia manu & Regni Sigillo, ne vllum de ipſorum ſecuritate poſſet oboriri dubiũ, clementiſsimè

munire

munire dignata ſuit, ante dies aliquot Bidgoſtia in Poloniam abduci curaſſe. Quare nos qui eos ad Sac. Mtēm veſtrā ablegauimus, & illis vt iter illud ad generalia Comitia ſuſciperent, iniunximus, opere pretium facturos exiſtimauimus, ſi præſentes noſtras literas ad Mtēm vrām R. ſubmiſsè daremus et humillimo ſtudio rogaremus, Ne S. M. V. R. Internuncios noſtros literis Mtis veſtræ manu ꝓpria ſubſcriptis & Regni Sigillo appreſſo munitos, quibusq́ ea clementiſsima promiſsio facta fuit, vt poſt ſuſceptarum tractationum determinationē domum ad nos ſecurè redirent, contra diuinum & ipſum ius gentium eo pacto ꝑgrauare dignetur, neúe quæ aliàs multarū Regiarum virtutum prædicatione paſsim extollitur, illud ſibi nomen adſciſcere eamq́ famam ſubire, quod fideles ſubditos, quibus nihil magis vnq̃ in votis fuit, quam vt recuperata Maieſtatis veſtræ Regiæ gratia, nullam malo occaſionem præberent, contra præſcriptum literarum ſuarum in extremum periculum conieceri.

Non autem ſperamus nos vllam Maieſtati veſtræ ad eas ſuſcipiendas cogitationes occaſionē dediſſe, cum fermè ſupra facultatum noſtrarum vires, ad recuperandam Mtis veſtræ gratiam, ſi qua in parte offendiſſe exiſtimari poſſemus, ita nos comparauerimus, quemadmodū nullam vnquam Ciuitatem feciſſe memoria proditum eſt.

Et planè cōfidimus, Sereniſs: Mtēm R. clemētiores adhuc inituram rationes, nec minus neceſſarium bellū aut

Chriſtiani:

Chriſtiani ſanguinis profuſionem, quam nos vnice euitare ſemper cupiuimus, quamq; in rem oẽs facultates noſtras detulimus, vt pax & tranquillitas in cõmuni Repub. cõſeruari poßit, ſuſcepturam eſſe, ſed potius liberalitate fideles ſubditos, qui ſubiectionem & obedientiam nunquã detrectarunt, quam metu & auſteritate in officio retenturam eſſe. Nos vicißim ita nos comparabimus, quemadmodum fideles & humiles ſubditos, Saluis iuribus & Priuilegijs facere conuenit. Iterum atq; iterum ſubmißè rogantes, dignetur Internuncios noſtros pro ſua Regia clementia & bonitate ad nos clementißimè remittere, & nobis reſponſum optatum ad has noſtras literas benignißimè dare, &c. Datum Gedani 20. Febr. Anno 77.

Ad quas literas Domini Cancellarij ſic reſponderunt:

S*Cripſiſtis ad Sac. Regiam Mtẽm dominum noſtrum clementißimum litteras, quas amanuenſis quidam nunciorum Ciuitatis Regiæ Torunenſis huc Bidgoſtiam attulit, traditas illi à quodam Iacobo Ridier, cum Torunio Bidgoſtiam nuncios ſubſequeretur. Quando de ijs literis reſciuimus, diu ſane quid nobis faciendum foret perplexi fuimus, vtrum eas acciperemus, & acceptas Sacræ R. Mtĩ recitaremus. Quo minus eas acciperemus, & R. Mtĩ recitaremus, retinebat nos humanitas, quam erga hanc Ciuitatem etiam peccantem retinemus, vt ſcilicet cupiamus,*

piamus, ſi nõ poſſit cõciliare ſibi gratiã R. Mtis, ne illius M. magis offendat, Itaq; cum animaduertiſſemus, vos prioribus veſtris ſcriptis, aſperiora verba aſperſiſſe, verebamur ne ſi q̃ in his quoq; litteris reperiretur aſperitas, M. R. ſatis iã à vobis alio modo offenſam, magis irritaret. Nõ recipere itidẽ altera ex parte inhumanũ videri potuit. Cũ pſertim nihil reſtaret, quo min⁹ nobis in mentẽ veniret, vos errore agnito, tandẽ fortaſſe de officio veſtro cogitare cepiſſe, et literas haſce ſcripſiſſe, quib. id quod antea R. M. debuiſtis, vos exoluturos, pfiteremini. Accepimus igitur eo conſilio, vt eas primum ipſi aperiremus & plegeremus, quod pro iure magiſtratuũ, quos in hoc regno gerim⁹, nobis licebat. Eo cõſilio, vt ſi eæ literæ, ad reconciliandum vobis gratiã S. R. M. vtiles eſſe poſsẽt, illius Mtãs oſtẽderemus, ſin min⁹, de errore in quo hæretis vos admoneremus. Perlectis literis animaduertimus, nihil vobis de priſtina animorũ veſtrorũ obfirmatione deceſsiſſe. Hoc ſolũ vos agere, vt nuncij veſtri Gedanũ remittantur, graui & cũ acerba expoſtulatione: eos detineri cõtra ius diuinũ, ac omniũ gentiũ, et cum laudis, ac exiſtimationis S. R. M. periculo. Ne igitur hac noua & inſigni iniuria, S. R. M. magis magisq; offenderetur, non putauimus illi reddẽdas eſſe literas haſce, ipſa indignas, vobis, ſi redderẽtur, pnitioſas. A nobis autem hoc habete, Salui cõductus hanc primã & potiſsimã legẽ fuiſſe, diſerte cũ poteſtas hiſce nuncijs veniẽdi Toruniũ daretur, pſcriptam, vt, milite dimiſſo, et ciuitate pacata, venirẽt, ac veniam deprecarentur. Hoc nõ ſolum minime factũ fuiſſe, ſed ſub tractationis tẽpus, nouũ militem adductũ, copias ex vrbe, q̃ nobilum ac aliorum ſubditorũ S. R. M. domos ac poſſeſsiones vexarunt, diripuerunt, exuſſerunt, emiſſas conſtat.

Quibus rebus etſi à vobis ipſis Saluus conductus violatus fuerit, nihil tamen adhuc graue de hiſce nuncijs veſtris S. R. Mtās conſtituit. Nec cōſtituet, niſi de re tota ſimul. Ea ratione, vt quandoquidem Ciuitas peruerſorum hominum fraudulentis conſilijs ac factionibus concitata, remedia leniora & paterna ſpernit, nec vllum inſolentiæ ſuæ modum habet, operam det, vt eam neceſſarijs remedijs ad officium reducat, & vt illius improbos, ac factioſos ciues, cauſam huius mali, adeptus, coniunctim de ipſis ſtatuat, & hac corruptela & tetra lue, Ciuitatem purget, & liberet. Valete, Bidgoſtiæ die iij. menſis Martij, Anno Dñj M. D. Lxxvj.

Petrus Dunin VVolski nominatus Epūs Præmislieñ, & Regni Poloniæ Cancellarius.

Ioannes Zamoiski de Zamoſcie, R. P. Vicecancellarius Belſeñ, Kniſsneñ, Zamcheñ Capitaneus.

Reſponſum Ordinum ad literas Dominorum Cancellariorum.

REuerendiſſime & Magnifice Dñe, &c. Literæ Reuerendiſſ: & Magnificæ D. veſtrarum nobis ante dies aliquot traditæ, et in corona noſtrum omnium publicè perlectæ fuêre. Ex quibus cognouimus Reuerendiſſ: & Magnificæ D. veſtris noſtras literas, quas non ita pridem ad Sacram Mtēm R. Dominum noſtrum clementiſſimum Internunciorum noſtrorum nomine humillimo ſtudio perſcripſeramus redditas eſſe, Et quam ſolicitudinē habuerint,

habuerint, ne Sacra Mtas Reg. per eas magis offenderetur &c. Quo nomine, quàm etiam quod priſtinam erga nos humanitatem & beneuolentiam retinuerint, Reuerendiſs: Mag. D. veſtris immortales planè ac permagnas agimus gratias. Quamuis nihil magis in votis habuiſſemus, quàm vt Sac. Mti R. illæ noſtræ literæ traditæ & perlectæ fuiſſent, cum nihil aliud humillimè & demiſsiſsimè petierimus, quam vt Internuncij noſtri cuſtodia illa liberati, ſecurè ad nos ex præſcripto literarum ſecuritatis, domum redire poſſent, Atque exiſtimauimus noſtri, tanquam bonorum virorum, illud eſſe muneris, omnem curam atque ſolicitudinem pro Internūcijs noſtris & eorum liberatione adire. Quod vero addidimus illos contra ius diuinum & omnium gentium abductos eſſe, non ſperauimus ea re, Sac. Mtem R. offendi debere, cum Reuerendiſs: & Mag. D. veſtris, ex iure & ſcripto & omniū gentium notum ſit, Internuncijs id non imputari, quod ab ijs peccatum videri poſsit (quamuis ea in parte innocētiæ noſtræ rationes ſæpius oſtenderimus) à quibus miſsi & ad ſuſcipiendum Internūciorum munus impulſi ſunt. Nam ſi nobis vitio vertitur, quod conditionibus in Saluo conductu propoſitis eò nō ſatisfecerimus, quod miles à nobis conſcriptus miſſus non fuerit: optaſſemus quidem ad eam rem commodè perficiendam, cum idoneum ac ſufficiens temporis ſpatium, tum eam occaſionem, qua nobis militem præter voluntatem noſtram diutius retinendi cauſſa

 nulla

nulla data fuiſſet. Nos enim militem mittere iuſsi ſumus, cum interim alij fermè in conſpectu & oculis noſtris, rapinis, homicidijs & incendijs modum nullum facerent, Quæ nos cum extrema fermè noſtra internetione & excidio ſpectare, & tamen nos non cōmouere debuimus. Et quāuis ea non eo modo perpetrata, & nobis militem retinendi talis occaſio data non fuiſſet, tamen id Internuncijs imputari non potuiſſet, Cum literæ ſecuritatis non Internuncijs, ſed nobis & vniuerſæ cōmunitati datæ fuerint, Et Internūcij non ſuo, ſed noſtro nomine eò profecti ſint & munus illud Legationis ſuſceperint, eamq́; ob cauſam nō eo modo tractari debuiſſent. Ac licet priores literæ ipſis patrocinari non potuiſſent, tamen poſteriores Thorunij clementiſsimè conceſſæ, eos ab eo onere meritò ſubleuare debebant, cum in illis ea expreſſa verba contineantur; Quod liberum illis eſſe debeat, ad illud temporis ſpatium; quo ſuſcepta tractatio atque compoſitio durauerit, ſecurè, vltrò citroq́; cōmeare & denique ad ſuos domum redire. Quam ſecurè autem vltrò citroq́; cōmeare potuerit, illis in cuſtodiā ita conditis, vt nuſq́ egredi tutū aut liberū fuerit, vt taceamus, quod nunc poſtremò accidit, Reuerē liſs: & M D veſtris notius eſt, q̄ vt de ijs multa ſcribere neceſſe ſit. Et quāuis dici audiamus, poſteriores literas tantum prorogationem eſſe priorum, tamen ipſo iure poſteriores prioribus ſemper derogant, niſi earum expreſſa mentio in poſterioribus fiat. Militis autem in poſterioribus nullam mentionem fieri tam certum eſt, quam quod certiſsimum.

mum. Si itaque prioribus conditionibus in poſterioribus literis cautum eſſe debuiſſet, nihil neceſſe fuiſſet addere illa expreſſa verba: Quod liberum illis eſſe deberet, poſt finitam negotiorum compoſitionem, domum denique ad ſuos redire. Imò etiam ſi abſque vllo Saluo conductu ad Sac. Mtēm Regiam à nobis ſubiectionis deferendæ gratia miſſi fuiſſent, Non tamē videmus, licet à nobis quidquam commiſſum eſſet, quamobrem Internuncij detineri & in cuſtodiā dari deberent. Ex quibus cum Reuerēdiſs: & Mag D. veſtræ gratioſè animaduertant, eas noſtras literas, non offendēdi gratia, ad S. M. R. humillimo ſtudio pſcriptas eſſe: quanti poſſumus maximis precib. enixè rogamus, dignētur pro ratione officij ſui, nihilominus cōtenta illarum noſtrarū literarum, ſi aſperius ſcriptas eſſe iudicauerīt, quod nos factum fuiſſe non exiſtimaueramus, M. R. gratioſiſſimè pro ſingulari ſua beneuolētia & humanitate explicare, & S M. R. Dominū noſtrum clemētiſſ: eò benignè inducere et pmouere, vt Internūcijs noſtris ad ſuſceptas tractationes reuertendi poteſtatē ex præſcripto illorum mandatorū q̄ nuper ſamato Ioanni Bolemanno publicæ tranquillitatis retinendæ ſtudio tranſmiſimus, clementiſſimè faciat. Quod quemadmodum ad retinendā cōem pacem plurimum facturū eſſe iudicamus, ita etiam in nobis nihil deſiderari patiemur, et illud ſtudium humanitatem ac beneuolentiam omnibus quibus poterimus modis reipſa de Reuerendiſſ: & Mag. D. veſtris quouis tēpore pmereri conabimur.

 Ad.

Ad poſteriorem vero illarum literarum partem, quæ Reuerendiſſ: & Mag. D. veſtræ ſcribunt, Nihil graue adhuc de Internũcijs noſtris Mtēm R. conſtituiſſe, nec decreturam niſi de re tota ſimul. Ea ratione, vt quādoquidem ciuitas peruerſorum hominum fraudulentis cōſilijs ac factionibus concitata, remedia leniora & paterna ſpernat, nec vllum inſolētiæ modum ſtatuat, operam det, vt eam neceſſarijs remedijs ad officium reducat; & vt illius improbos ac factioſos ciues, cauſam huius mali adeptus, cōiunctim de ipſis ſtatuat, & ea corruptela & tetra lue Ciuitatem purget & liberet quod attinet, dolemus ſanè ex animo, nos in eam ſuſpitionem incidiſſe, cum nunq̃ ij fuerimus, neque per Dei gratiam futuri ſimus, qui vllum inclyto Poloniæ Regno infidelitatis argumentum præbuerimus, ſed ita nos potius geſſerimus, vt cuiuſuis cēſuram & iudicium ea in parte facilè feramus. Atq; eam ob cauſſam maiorem in modum & obnixè rogamus, ne eiuſmodi verbis famam noſtram, quam ijs criminibus ſemper vacaſſe, nihil ambigimus, extenuare, nec exiſtimare velint, nos quidquam contra officij noſtri debitum tentare, quemadmodum animos Reuerendiſſ: & Mag. D. veſtrarum maleuolorum perſuaſionibus occupatos videmus, quaſi factionibus laborare, & alter abſque altero in his difficillimis Reipub: negotijs quidq̃ ſtatuere aut agere debeat, ſed hoc ſibi potius perſuaſum habere, omnia vnanimi conſenſu, cōmunicatis conſilijs, fieri, vt alicui ſeorſim

ſim

ſim nihil eo nomine imputari poſſit. Cum ad retinendam cōmunem tranquillitatem, ad retinenda Priuilegia & libertatés noſtras, hæc omnia à nobis omnibus, ſumma cogente neceſſitate ita in actum deducta fuerint. Nec aliam cauſam videmus, cur hæ Terræ flamma & ferro miſerandum in modum, quemadmodum pròh dolor captum eſt vaſtētur. Nos enim ſi quis reſpiciat, nonne ab initio, quamuis Cæſaris electioni noſtra ſuffragatione ita acceſſimus, vt ab ea ſine cōmuni incommodo nobis recedere non eſſet integrum, nihilominus eam eſſe animi noſtri ſententiam diximus, quod rationes noſtras ab inclyti Poloniæ Regni & harum Terrarum rationibus ſeiungere nō decreuiſſemus, de fide obedientia, & ſubiectione noſtra dubitandum nō eſſe? Nonne ad eam peragendam ſentētiam Internūcios noſtros Grebinum primum, deinde ad publica Thorunen̄ Comitia ablegauimus, vt omnibus in genere innocentiæ noſtræ rationes oſtenderemus? Nonne ad recuperandam Sac. Mtis R. gratiam, ſi qua in parte offendiſſe exiſtimari poſſemus, omnes fermè facultates noſtras, ducenta nimirum florenorum millia obtulimus, & ita nos comparauimus, quemadmodum nullam vnquam ciuitatem feciſſe hiſtoriarum monumētis proditum eſt? Nonne ad deprecandum Internūcios noſtros Thorunium miſimus, & ita nos per oīa geſſimus, quemadmodum fideles ſubditos decet? Sed quid quæſumus hactenus obſtitit, quo minus hæc negotia complanarentur, quam ne Priuilegiorū

confirmatio

cõfirmatio, daretur, et ne grauamina, ſine quorum aboli-tione Priuilegia cõſiſtere & ſalua eſſe nulla ratiõe poſſũt, tollerentur? Quod de iure nobis cõpetebat, quod nunc amplius in dubium vocari non poteſt, cum in Priuilegiorum vſu cum maioribus noſtris ſupra hominum memoriã fuerimus, ex eo omnis huius mali cauſa conflata eſt, Quam autem recte, ij viderint, qui Sac. Mtẽm R. eò impulerunt. Sed nos nihil dubitabimus, quin Deus qui mortalia iuſtis oculis aſpicit, ea aliquando reuelaturus & in apricum deducturus ſit, & quam tum ij, qui nunc omnes adhibent artes & media, ne ea Sac. Mtĩ Reg. à nobis ad amuſſim explanentur, gratiam relaturi ſint, videbunt.

Quî enim præteritorum annorum res geſtæ S. Mtĩ Reg. Principi nuper in hoc Regnum aduentãti notæ eſſe poſſunt? Qua ratione ab aduerſarijs noſtris nobis & Priuilegijs ac iurib. noſtris varijs modis detractum ſit, Quomodo omnem operam nauarint, vt nos paulatim viribus & Priuilegijs omnibus exutos, ſub iugum mitterent. Sed Reuerendiſſ: & Mag. Domini, ea Priuilegia noſtra maiorum noſtrorum nõ tantum facultatibus, ſed etiam ſanguine parta ſunt, multum ſudarunt, antequã iugum excuterent, & nos libertati priſtinæ reſtitutos ad inclyti Poloniæ Regni ſceptrum vltrò ac ſua ſponte adducerent, & nihil poſſet excogitari iniquius, quam nunc eam illis gratiam in nobis ſuis poſteris referri.

Atque cum nullas ſufficientes cauſſas ſubeſſe exiſtimemus, Sac. Mtẽm Regiam ad ſumenda aduerſus fideles

deles ſubditos arma impellendi, Reuerendiſs: & Mag. D. veſtras, quantis poſſumus maximis precibus rogamus & obteſtamur, dignentur ſuam, qua apud M. Reg. plurimum poſſunt, authoritatem gratioſiſsimè interponere, ac intercedere, vt alias clemẽtiſsimè dignetur inire rationes, quibus omnes iſtæ enatæ difficultates pacificè ſopiri et cõponi poſsint, cum ſaluis Priuilegijs & iuribus noſtris fidem obedientiam & ſubiectionem non detrectemus, neque in nobis quidq̃ deſiderari vnquam paſsi fuerimus. Neque de ſingulari humanitate & beneuolentia Reuerendiſs: et Mag. D. veſtrarũ dubitabimus, quin ſuas partes benignè interpoſituræ ſint, præſertim quod hoc malum latius ſerpere poſsit, q̃ quisq̃ nunc cogitatione aſſequitur. Exiſtimamus enim Reuerẽdiſs: & Mag. D. veſtras iam antehac cognouiſſe, quomodo Erneſtus VVeierus quaſdã naues Danicas vi aggreſſus ſit, omnib. bonis ſpoliauerit, et nihil reliqui fecerit, quod ad extremum illarum excidium pertinuerit. Vnde facilis coniectura eſt, Sereniſs: Regem Daniæ, qui aliquot naues onerarias, cum non paucis triremibus, inſtructas habere dicitur, id æquo animo minimè laturum, ſed data opportunitate illud damnũ atque detrimentum huic viciniæ fortè daturum, quod omnes hæ Terræ vix auertere poſsint: Præterquam quod verendum eſt, ne per eam occaſionem multi Germaniæ & aliorum locorum Principes excitẽtur, qui eas nobis difficultates concilient, quas humana ratione aſſequi difficile ſit.

Præterea cum fermè oẽs nauês ex his locis per fauces Sundicas & Regnum Daniæ neceſſario trãſire cogantur, periculum eſt ne illæ viciſſim detineantur, & eorum, qui per Erneſtum VVeierum ſpoliati ſunt poteſtati tãtiſper pmittantur, donec illis damnũ hic illatũ plenè ſarciatur. Quod autem quanto cum periculo ac detrimento harum Terrarũ & huius ſeorſim Ciuitatis ac portus coniunctum ſit, Reuerendiſſ: & Mag. D. veſtræ pro ſua ſingulari prudentia gratioſiſſimè expendere dignabuntur. Atq; ea propter tanto maiori ſtudio obſecramus & obteſtamur, dignentur apud Sac. Mtẽm Reg. D. n. c. benignè intercedere, vt omnia hæc negotia pacificè ſopiantur & oĩa pericula atque incõmoda ab his locis per Dei gratiam bonis modis auertantur. Erit viciſſim noſtra ſempiterna cura, vt nullum ſtudij aut obſequij genus in cõteſtanda noſtra obſeruantia vnquam intermiſſuri ſimus; Ac iterum & iterum maiorem in modum & obnixè rogamus, ne Reuerendiſſ: & Mag. D. veſtræ has nãs literas in aliam quam optimam partem accipere gratioſè dignentur, neq; exiſtimare nos ijs hæc, quæ de iurium ac Priuilegiorum noſtrorum violatione dicta ſunt, adſcribere, cum ſciamus eas omni culpa ea in parte vacare, nec eiuſmodi conſilijs interfuiſſe, ſed tantum ad declarandam innocentiam noſtram, vt eatam Sac. Mtĩ R. quam Reuerendiſſ: & Mag. D. veſtris quas cor Principis eſſe nouimus, innoteſcat, & rebus noſtris tanto cõmodius conſuli & proſpici poſſit. Sin vero

hæ

hæ preces & ſupplicationes noſtræ multifariam interpoſitæ exaudiri non debebunt, quod neutiq̃ ſperamus, nos Deum, Reuerendiſſ: & Mag. D. veſtras ac omnes homines teſtamur, nos ijs malis atque incõmodis quæ inde quoquo modo ſubſequi poſſint occaſionem nullam præbuiſſe, cum id fecerimus, quod bonos viros & fideles ſubditos facere conuenit. Datum Gedani die 16. Martij Anno Domini M. D. Lxxvij.

QVanquã autem deinceps res indies in deterius vergere cæpit, ac in Conuẽtu Inowladiſlauienſi, paucis ex numero Conſiliariorũ Regni præſentibus, & opem pollicentibus, Nuncijs autem Nobilitatis minimè comprobantibus, bellum aduerſus Ciuitatem decretum fuit, interim exercitus Regius Dirſchauiæ & vicinis in locis magis ac magis augeri, omnisq̃ generis damnis ac dep̃dationibus Ciuitatem affligere, quo factum eſt vt & noſtri milites tot iniurijs laceſſiti eruptionem facerent, haud quidem feliciter, quod eorum plurimi cæſi ſunt: Tamen quoniam indicio certorum hominum cognouimus, magnificos Dominos Palatinum Sandomirienſem, & Exercitus Regij præfectum Ioannem Sborouium, etiamnum haud alienos eſſe à ſtudio intercedendi apud Regiam Maieſtatem, quo controuerſia compoſita, ab armis ad pacem perueniri poſſet, impetratis publicæ fidei literis, Internuncios noſtros miſimus, qui cum illis hac de re colloquerẽtur, ac inprimis exF 2 plorarent,

plorarent, quibuſnam medijs vel conditionibus rem tandem confici poſſe cenſerent. Habitum eſt colloquium calendis Maij in pago Leſcen̄, vbi verbis de rei ſumma pluribus vltrò citroq́ commutatis, hanc vnam eſſe viam recuperandæ pacis, & euitandæ calamitatis extremè cenſuerunt, vt literis ad Reg. Maieſtatem humilimè perſcriptis, ſubiectionis fidem deferremus, confirmationem Priuilegiorum, & abolitionem grauaminum ſupplices peteremus, ſimul Dn̄os Regni Conſiliarios interceſſionis ergô imploraremus, priuſquā ad extrema, quæ iam inſtarent, Reg. Miās procederet. Pollicentes ſe literas noſtras ſimul cum ſuis ad Regiam Mtēm miſſuros, & operam ſuam quantam maximè poſſent interpoſituros. Hoc conſilium ſecuti, eo quo ſequitur modo ſcripſimus.

Literæ ad Regiam Maieſtatem.

SErenisſime Rex & clementisſime Dn̄e. &c. Quam varij hiſce præteritis temporibus inter S M veſtram R. & hanc ciuitatem, ratione electionis Regiæ, caſus intercesſerint, & quibus difficultatibus cōflictati fuerimus ſuperuacaneum eſſe arbitramur M. veſtræ Reg. ad animum iterum reuocare, cum ea antehac & per literas & aliàs quoque ſatis ſuperq́ demōſtrata fuerint. Vnū nunc ſaltem cōmemorabimus, Nos, licet multis hactenus incommodis affecti fuerimus, nunquā tamen in animum induxiſſe, multo vero minus rem huc deducere voluiſſe: cum

ab ipſo

ab ipſo deditionis initio, quo Maiores noſtri ad inclyti Poloniæ Regni ſceptrum vltro ac ſua ſponte acceſſerunt, & illud ſibi ſummo officio ſummaq́ obſeruantia deuincire ſemper cõtenderunt, nulla macula vnq̃ eo nomine vel ipſis vel nobis etiam inuſta fuerit: quod à Poloniæ Regno vel ſeceſſionem parare, vel ab eius corpore contra iuſiurãdum à Maioribus noſtris datum, & vetuſtiſſima incorporatione ſegregare nos conſtituiſſemus, Quin potius oĩa ea incõmoda & difficultates, tanq̃ fideles ſubditi, perpetui q̃ quidquam fide & ſubiectione noſtra indignum admittere voluimus, & nihil aliud humillimis & demiſſiſſimis precibus rogauimus, q̃ vt S. R. M. veſtra nos penes iura, Priuilegia, libertates & conſuetudines noſtras, abrogatis q̃ in contrarium irrepſerunt incõmodis atq; difficultatibus conſeruare clementiſſimè dignaretur. Verum adeò nihil humillimis iſtis precib. noſtris impetrare potuimus, vt ad cumulum difficultatũ ſemper etiam aliquid adderetur; & animus S. R. M. veſtræ (quod ex anim⁹ dolem⁹) præter omnẽ expectationẽ noſtrã, magis magisq́ offenderetur. Ne autẽ quidq̃ ꝓpterea intactum relinqueremus, ſæpius et per literas & aliàs quoq; tentauimus, num iſthæc negotia ad eum finem perduci poſſent; vt animo M. veſtræ emollito, nobis priſtina rerum facies per oĩa reſtitueretur. Quod tñ inſtitutum noſtrum Deo fortaſsè peccatis noſtris irato, ad hec vſq; tẽpora incaſſum cecidit, donec varijs intercedẽtib. remedijs ante paucos dies in Mag. ac Gen. Dom. Ioannis Coſtka à Stẽberg Palatini Sãdomirien. et Ioãnis Zborow-

Caſtellani Gneſneñ & Exercitus Mtis veſtræ ſupremi præfecti colloquium veniremus, perſcrutatum, num ea ſupereſſent remedia, quibus animus Sac. Reg. Mtis veſtræ leniri, & quidquid hactenus dubium atque cōtrouerſum fuiſſet, pacificè componi & complanari poſſet. Qui vnicum illud adhuc ſupereſſe remedium arbitrati ſunt, vt literas noſtras, ad Sac. Mtēm veſtram R. in eam ſententiam humillimè daremus, qua fidem, obedientiam & ſubiectionem demiſſè deferremus, & ſupplicibus precibus rogaremus, dignaretur Sac. Reg. Mtās veſtra ex ſingulari Regia & verè paterna gratia atque innata clementia, nos penes iura, Priuilegia, libertates & cōſuetudines, abolitis & abrogatis quæ in contrarium irrepſerunt incommodis atque difficultatibus, clementiſſimè conſeruare: Et quemadmodum ipſis tanquam de re æquiſſima dubium non eſſet, ita etiam ſtudio & literis ſuis conatibus noſtris minimè defuturos.

Cum igitur arbitraremur ijs remedijs publicam pacem & tranquillitatem reparari, & enatis difficultatibus ad eum modum conſuli & mederi poſſe, ac ea re nihil potius aut antiquius vnquā habuerimus, ea quoque in parte à fide, ſtudia & diligētia noſtra nihil decedere voluimus, ſed has noſtras qualeſcunque literas ad Sac. Mtēm Reg. humillimo ſtudio dandas eſſe cenſuimus, ſuppliciter rogātes & obteſtantes, dignetur Sacra Segia Mtās veſtra nos pro fidelibus ſubditis clementiſſimè accipere, & in fideliſ-

ſimorum

ſimorum clientum numero benigniſſimè habere, quo nomine Mti quoque veſtræ Regiæ debitam fidem, obedientiam & ſubiectionem noſtram humillimis verbis deferimus, modo Sac. R. Mtas veſtra nobis per reuerſales ſuas literas, de Religionis, Auguſtanæ ſcilicet Confeſſionis, libertate, iurium, Priuilegiorum, libertatum, & conſuetudinum indemnitate & grauaminum abolitione clementiſſimè cauere dignetur, vbi fidelitatem noſtram ex æquo & bono præſtiterimus, nihil dubij vel controuerſi in ijs omnibus relictum, ſed omnia quæ in hoc Electionis acciderunt negotio, vel diſſidium illud quoquo modo tam publicè quam priuatim ad hoc vſque temporis momentum ſubſecuta ſunt, ita ſublatum iri, vt nemini cuiuſcunque ſtatus vel conditionis periculo, fraudi, vel detrimento eſſe poſſint. Quæ omnia cum ab æquitate nullatenus videantur aliena, nihil ambigimus, quin Sac. Reg. Mtas veſtra, tanquam pius & Chriſtianus princeps, ea omnia nobis clementiſſimè conceſſura, & id quoque ad gloriæ atque laudum ſuarum cumulum adiectura ſit, quod iura & libertates noſtras non ſaltem ſartas tectas eſſe, ſed pro Regia ſua clementia augere quoque & cum totius vrbis incolumitate priſtino nitori reſtituere voluerit. Et nos ita quoque nos comparabimus, ne à fidelium clientum & ſubditorum officio vel latum vnguem receſſiſſe exiſtimari poſſimus, Quin in eam rem omnibus neruis incumbemus, vt pro cōmodo & incolumitate Sac. Reg. Mtis veſtræ in omnibus

rebus

rebus licitis & in facultatibus ac poteſtate noſtra poſitis, non tantum omnes fortunas noſtras, ſed vitam etiam ipſam & ſanguinem, neceſsitate exigente, profundamus.

Poſtremo cum Internuncij noſtri, præter omnem expectationem noſtram in Regnū Poloniæ abducti fuerīt, ſupplicibus precibus rogamus, dignetur Sac. R. M. veſtra illis eam gratiam & clementiam benigniſsimè exhibere, vt priſtinæ libertati reſtituti, ad harum controuerſiarum cōpoſitionem nobiſcum admitti poßint. Erit viciſsim ea noſtra ſempiterna cura, vt nullum ſeruitij & obſequij gen⁹ in conteſtanda obedientia & ſubiectione noſtra, pro tanto tamq; illuſtri ac verè Regio beneficio vnquam intermiſſuri ſimus, omnia noſtra ſubiectionis ſtudia & obſequia iterum atque iterum Sereniß. Mtī veſtræ tanquam Regi noſtro clementiſsimo ſumma animorum ſubmiſsione ſuppliciter deferentes. Datum Gedani die 4. Maij Anno Domini M. D. Lxxvij.

Ad Regni Conſiliarios.

Reuerendiſsimi, Illuſtres, &c. Non tantum Reuerendiß: &c. D. veſtris exiſtimamus notum eſſe, ſed famam etiam longè lateq; vulgatam, qua ratione propter diuerſitatem electionis Regiæ in præſentes, quibus pròh dolor conflictamur, difficultates inciderimus, cui tantum propter cōmunem ſalutem & vtilitatem aliquāto diutius quam reliqui oēs fecerint inhærere viſum fuit,

Quamuis

Quamuis eam ob cauſam à vetuſtiſſima maiorum noſtrorum incorporatione ſaluis iuribus & priuilegijs recedere noſtri non fuerit inſtituti vel propoſiti, quemadmodum ſæpius eam noſtram eſſe ſententiam tam per literas quam oretenus etiam oſtendimus, ita vt non ſatis cauſæ fuiſſe exiſtimemus, nos ad eum modum quemadmodum cum cõmunis Reipub: diſpendio cæptum eſt perſequẽdi, cum definitum ac certum ſit, nos ad hoc vſque temporis momentum ne minimam quidem alicuius ſeceſſionis ſuſpitionem præbuiſſe, Et leniora fortaſſis potuiſſent adhiberi & moderatiora remedia atque conſilia, res illas dubias atq; controuerſas ſopiendi & componendi.

Cum vero immortali Deo, peccatis fortè noſtris irato, aliter viſum fuerit, hanc eius animaduerſionem atque paternam caſtigationem nos patienter ferre, & diuinum eius auxilium veris gemitib. implorare oportet, vt ſpiritũ pacis adhuc clementiſſimè mittere dignetur, cuius diuino afflatu & inſpiratione quidquid ſupereſt cõtrouerſiarum & difficultatum pacificè ſopiri & complanari poſſit. Et quemadmodum ea in re nihil vnquam in nobis deſiderari paſſi fuimus, ita etiam data occaſione ante paucos dies eo nomine ad Magnificos & Generoſos Dominos Ioannem Coſtka à Stemberg Palatinum Sandomirieñ, Mariæburgeñ Dirſchauieñ Puceñq;, & Ioannem Zborouiũ Caſtellanum Gneſneñ, Sereniſſ: Mtis R. Exercitus ſupremum Præfectũ, Odolauieñ, VVendeñ & VVolpeñ Capitaneos,

G Internuncios

Internũcios noſtros ablegauimus, perquiſitum num quædam adhuc ſupereſſent remedia, quib. alma pax his Terris atque huic inprimis Ciuitati reponi & priſtina rerum facies per omnia reſtitui poſſet. Qui eam remedij rationem nobis oſtenderunt, vt literas noſtras ad S. M. R. D. n. c. humillimo ſtudio daremus, illiq́ fidem, obedientiã & ſubiectionẽ debito modo deferremus et polliceremur, ac demiſſiſſimis verbis rogaremus, vt nos cum reliquis ſuis ſubditis penes iura, Priuilegia, libertates & conſuetudines noſtras, abrogatis quæ in contrarium irrepſerunt incõmodis atq́ difficultatibus, clemẽtiſſimè cõſeruare dignaretur. Atque vt Sac. R. Mtãs ad nos ea ratione complectendos facilius ac clementius permoueri poſſet, vt ſimul ad Reuerendiſſ: Illuſtriſſ: Illuſtres Mag. & Gen. D. veſtras obſequioſè ſcriberemus & diligenter peteremus, dignarẽtur apud Sac. Mtẽm R. authoritatem ſuam noſtro nomine gratioſiſſimè interponere, atque benignè intercedere, ne nobis ea ſubiectionis noſtræ delatio fraudi vel periculo ſit, ſed vt nobis ante eius profeſſionem de Religionis, iurium Priuilegiorum ac libertatum indemnitate idoneè caueatur & proſpiciatur. Quod fidele præfatorum Dominorum conſilium quemadmodum amplexi ſumus, ita quoq́ ad S. Mtẽm Regiam literas noſtras humillimo ſtudio dedimus, & Reuerendiſſ: Illuſtriſſ: Illuſtres Dom. veſtras hiſce quoque compellandas, & enixo ſtudio ac diligẽter rogandas eſſe exiſtimauimus, vt noſtri propter cõmunem ſalu-

tem

tem benignam rationem habere, & apud Sacram Maieſtatem Regiam Dominum noſtrum clementiſsimum authoritatem ſuam interponere & pro nobis gratioſiſſimè intercedere dignentur, vt Sacra Reg. Maieſtas pluris cōmune bonum, quam quicquid offenſionum interceſſerit, pluris cōmunem harum Terrarum ſalutem atq; huius Ciuitatis incolumitatē, qua omnium reliquarum prouinciarum felicitas quouis tempore augeri per DEI gratiam poteſt, quàm propoſitam vindicationem, qua omnia peſſum ire neceſſe eſt, clementiſsimè facere dignetur, & ea conſilia benigniſsimè ſuſcipere, quibus omnes enatæ offenſæ atq; difficultates, ſine publico incommodo & ſanguinis humani fuſione ſopiri ac cōplanari potius poſsint, quàm vt Terræ hæ, quemadmodum pròh dolor cæptum eſt amplius deuaſtentur, & Ciuitas hæc ad extremam calamitatem redigatur, Cum fidem obedientiam & ſubiectionem non detrectemus, ſed Priuilegiorum ſaltem ac libertatum conſeruationem humillimè ac obnixè petamus. Nihil dubitantes Reuerendiſsimas Illuſtriſsimas Illuſtres ac Magnificas Dom. veſtras tanquam patres patriæ & defenſores vniuſcuiuſque libertatis eò magis noſtri benignā rationem habituras & nequaquam permiſſuras eſſe, vt Priuilegijs, iuribus & conſuetudinibus noſtris præiudicium aliquod adferatur, quod ipſi ſuis libertatibus & prærogatiuis nihil detractum vel derogatum cupiant,

ſed eas ſartas tectas per omnia ſibi conſtare velint, vt ita nobis fieri non patiantur, quod ſibiipſis fieri nolint.

Poſtremo cum Internuncij quoque noſtri præter omnem expectationem noſtram in Regnum Poloniæ abducti fuerint, maiorem in modum & obnixè etiam rogamus, vt Reuerendiſſ: Illuſtriſſ: Illuſtres ac Mag. Dom. veſtræ pro illis quoque apud Sereniſſ: Mtēm Reg. intercedere dignentur, vt priſtinæ libertati quā primum reſtitui, & ad harum controuerſiarum compoſitionem nobiſcum admitti poſſint. Facturæ rem non tantum ſuæ æquanimitati maximè conuenientem, ſed publicæ etiam tranquillitati valdè accōmodam, & nobis omnibus obſequiorum ac ſeruitiorum generibus quouis tempore promerendam. Datum Gedani die 4. Maij Anno 1577.

HÆ literæ, quanq̃ ab initio dati nobis conſilij ſpem non exiguam fecerant, poſtea tamen expectationi reſpondere minimè videbantur. Interim cum Magnifico domino Exercitus Regij præfecto, non deſitum eſt agi, ſi qua facultas eſſet vel amplius de rei ſumma colloquendi, vel Internuncios ad Regiam Maieſtatē ablegandi. Cumq́ certiores facti fuiſſemus Maieſtatem Regiam Mariæburgum adueniſſe, iterum ad Eandem humillimè ſcripſimus, fidem & obedientiam detulimus, conſeruationem Priuilegiorum, & abolitionem grauaminum, proſcriptionis, & offenſarum, ſupplices deprecati ſumus, Dominorum

etiam

etiam Regni Conſiliariorum interceſsionem denuò petiuimus. Eas autem literas neque Regiæ Maieſtati neq; Conſiliarijs exhibitas, memoratus Dn̄s Præfectus ad nos remiſit, hoc adiecto, ſibi curæ futurum vt etiam abſque literis illis res conficeretur. Conuentum deinde eſt de colloquio Iutlandiæ habendo, & ad condictum diem Internuncij à nobis ablegati cum his fermè mandatis, vt literarum de quibus antea diximus capita repeterent, ſimul oſtenderēt difficultatem exoluendi ducenta florenorum millia quæ conditionib. adiecta fuerant, explicarent rationes portorij maritimi, Priuilegiorum, ac grauaminum, de quibus neceſſarium eſſet Ciuitati literis publicis caueri, priuſquā ad iuſiurandum adigeretur. Eaq; capita breuiter his articulis circumſcripta ſunt:

Articuli Declaratorij Regiæ Ciuitatis Gedanenſis.

I.

IN ijs literis, quas ad Sacram Maieſtatem Regiàm, Dominum noſtrum clementiſsimum humilimo ſtudio dedimus, ſubiectionem noſtram ſubmiſsè detulimus, modò nobis Sacra Maieſtas Regia Reuerſalibus ſuis literis, de Religionis libertate, iurium, Priuilegiorum, libertatū ac conſuetudinum indemnitate clementiſsimè cauere, & ea omnia quæ hoc Electionis diſsidium quomodolibet ſubſecuta ſunt, benigniſsimè tollere ac remittere dignetur.

II.

Ad recuperandam Sereniſſimæ Mtis Regiæ gratiam, & abroganda omnia & ſingula incōmoda, Maieſtati eius Reg. ducenta florenorum millia demiſſè obtulimus. Quæ Mtas quoq; Reg. clementiſſimè accepit, ſed exoluendarum penſionum ſaltem diuerſitas quædam interuenit.

Cum verò interim maximos ſumptus facere coacti fuerimus, & grauia damna ſuſtinuerimus, neque modū aut rationem inueniamus, qua tantam pecuniæ ſummam eo temporis ſpacio quod antea diximus, perſoluamus, humilimè rogamus, vt tolerabilia nunc proponantur media, quibus munus promiſſi conficere cōmodè poſſimus.

III.

Ad portorij auctionem & Cōmiſſorialia negotia quod attinet, eam ſpem conceperamus, fore, vt ducentorū millium florenorum oblatione Sereniſſimæ Maieſtati Regiæ per omnia ſatiſfieret, Cum verò animaduertamus, nos ea re hactenus nihil profeciſſe, cognoſcere percupimus, quid tandem ſit, quo negotijs ijs omnibus & ſingulis ſuprema manus imponi poſſit.

IIII.

Grauamina illa, quæ contra manifeſtum tenorem iurium, Priuilegiorum, libertatum & cōſuetudinum irrogata ſunt, nihil dubitamus, quin Sac. Mtas R. abſque aliqua mora clementiſſimè abolitura ſit. Et reliquorum nomine eam quoque gratiam benigniſſimè factura, vt primo quoque tempore tollantur & abrogentur.

His

HIs itaque de conditionibus, cum magnifico Domino Præfecto, die tertio menſis Iunij per internuncios noſtros variè tractatum diſceptatumq́ fuit. Ac ille quidē aſſeuerabat, R. Mtēm priuilegia clementiſsimè confirmaturam, grauamina quæ poteſtatis eius eſſent abolituram, nolle Maieſtatem eius ſubditos perdere, pacem cum illis colere, vim autem belli in Tartaros hoſtes conuertere malle, modò vt ipſimet etiam ſubiectionis officia præſtaremus, gratiam principis expeteremus, ac verbo eius Regio fidem haberemus. Omnia tandem quæ Internuncij propoſuiſſent, bona ſe fide relaturum ad Reg. Mtēm, nec de ſtudio ſuo quicquam remiſſurum recepit.

Interiectis aliquot diebus, cum interim nullum hoſtilitatis genus prætermitteretur, & in Neringa præſertim fœminæ & infantes crudeliter diſſecarentur, nonnulli manibus ac pedibus mutilarentur, nec homines ſimplici paſsim mortis genere cæderentur, vndecimo deinceps Iunij die magnificus Dominus præfectus, iiſdem Internuncijs noſtris, in pago Krifekol, hanc eſſe Regiæ Maieſtatis ſententiam ad ea de quibus colloquium inſtitutum fuerat, retulit. Primum (inquit) R. Mtī gratum auditu fuit, quod Ciuitas officium & fidem ſubiectionis agnoſcit. Priuilegia quæ iuſtè & legitimè ſunt obtenta confirmabit, grauamina quæ auctoritate eius tolli poſſunt abrogabit, cætera ad Comitiorum cognitionem neceſſario reijcienda ſunt, vſum liberum Auguſtanæ Confeſsionis vobis permittit.

Vt

Vt autem Ciuitati literis Reuerſalibus caueat, nunc dum in armis eſt, eo quo vos petitis modo, nequaquam adduci poteſt, cum hoc non ſit ex dignitate & reputatione principis, ſed potius ad deſpectum eius pertineat, quaſi idipſum vi & armis eius Maieſtati fuerit extortum, quaſi non cum ſubditis, ſed cum vicino quopiam vel alio principe negocium gerat. Nulli certè Statuum totius Regni tantum licuit. Neque ſanè Reuerſales literæ dari poſſunt, priuſquam militem dimiſeritis, & veniam ſupplices deprecati fueritis. Quo facto, quod deinceps ex vſu Ciuitatis futurū erit, debito cum humilitatis ſtudio petendū eſt.

Quod attinet ad ducenta florenorum millia, quorum exolutio ſtatis terminis Ciuitati grauis eſſe videtur, quandoquidem interim ſumptus non exiguos impendere coacta fuerit, hac de re cum Reg. Maieſtate facile poterit conueniri. Quod autem ad portorium, ad placationis & Cōmiſſionis negocia pertinet, ſiquidem ea aboleri cupitis, ad Regni cognitionem neceſſario reijciendum eſt, ſin autē alijs rationibus tranſigere vultis, non ad vitam R. Mtis, quæ iſthoc pacto ditari non cupit, ſed ad emolumentum Regni, à quo Mtās eius Rex electus eſt, res erit referenda. De offenſis demum, de pſcriptionis decreto, deq́ inducijs, facilè quoque cum R. M. poterunt æquæ rationes iniri.

Ad hæc Internuncij noſtri reſponderunt in hanc ſententiam. Quod Regia Mtās clementiſſimè pollicetur confirmationem Priuilegiorum quæ iuſtè & legitimè obtenta

tenta ſunt, non ſatis expeditum videtur, nec eo modo Cõfirmationis formam, quæ Torunio mittebatur, conſcriptam fuiſſe meminimus. Et iam antea difficilis hac de re quæſtio fuit, cum hiſce verbis apertè in dubium vocari videantur Priuilegia, quæ vltra hominum memoriam pacificè & quietè citra controuerſiam vſurpauimus, quæ Sereniſsimi Reges Anteceſſores continua ſucceſsionis ſerie, rata firmaq; eſſe iuſſerunt. Grauamina verò, præſertim ex Commiſſorialibus negocijs oriunda ſunt eius generis, vt niſi reuera aboleantur, Ciuitas neque Priuilegijs ſuis vti frui, nec in honeſto vel integro ſtatu, quo minus planè peſſum eat, conſeruari poſsit. Nec ſanè veriſimile videtur, Dños Regni Conſiliarios in Comitijs ea facile mutaturos, quæ nobis abſentibus inter ſeſe ad Cõmiſſariorum relationem decreuiſſe dicuntur. Ad Reuerſales literas quod attinet, exiſtimamus Ordinibus haud quidq́ poſſe pſuaderi, niſi prius per literas illis idoneè caueatur. Maieſtas certè Regia Lituanis idem indulſit, vt de iuribus & libertatibus illorum caueret, priuſquam ſubiectionis profeſsionem ederent. Nec ſanè videmus quidquã hac in parte reputationi Reg. Mtis derogari, cum dignitas principis potiſsimum conſiſtat in conſeruandis iuribus & priuilegijs ſubditorum. Ac omnino nulla ratio paret componendæ rei, niſi de Priuilegijs conſeruandis, de grauaminibus, proſcriptione, & offenſionibus abolendis idoneè caueatur. Quapropter iterum ac iterum diligentiſsimis ver-

H *bis*

bis rogamus, vt æqua Ciuitatis hac in parte ratio habeatur. Diſcedens itaque magnificus Dominus Regiæ militiæ præfectus, recepit ſibi rem denuò curæ futuram, nec de ſtudio ſuo quidq̃ remiſſurum. Ac eiuſdem diei veſpera, literas ad Internuncios qui ibidem ſubſtiterant miſit ſequentis tenoris:

Literæ Magnifici Domini Ioannis Zborouij Regiæ Maieſtatis Præfecti ad Internuncios Gedaneñ.

Spectabilibus Famatis & prudẽtib. Dominis Petro Behm &c. Domino Reinholdo Molner &c. cum reliquis collegis ſuis Internuncijs Ciuitatis Gedaneñ &c. tradantur.

SAlutatione amica & omnis boni comprecatione præmiſſa, Spectabiles Famati ac prudentes Domini &c. Ea quæ ex vobis intellexi, ſummis adnixus ſum viribus, vt Dominis Senatoribus Sacræ Regiæ Mtis & Regni, dominis & amicis meis, diligenter referrem, & ad animũ reuocarem, quæ in hoc rerum exulcerato ſtatu in deliberationem potiſſimum veniant, ſalus videlicet cõmunis Reipub: & ne lethifero ſanguine prouincia miſceatur, vt ad ea omni meliori modo Mtis R. animum infleƈterẽt, vt ex

ingenerata

ingenerata clementia, cum alia remedia inueniri nequeãt, eam Ciuitati dignetur facere gratiam, qua negotia hæc dubia & controuerſa ad optatum finem perducantur, ita vt incolis omnibus de Priuilegiorum, quæ iuſtè & legitimè emanata ſunt, indemnitate ꝓſpiciatur. In primis vero vt eos penes Religionem Auguſtanæ Confeſsionis conſeruet, & grauamina oĩa, Cõmiſsionis ſeorſim, tollat et abroget. Ea omnia Dñi Conſiliarij Regni intellexerunt, cum latius à me prolata & propoſita fuerint.

Magna Dñi Conſiliarij afficiuntur admiratione rem eò perductam eſſe, vnde, quantumuis maximè cupiant, deduci vix poſsit, Et nihil magis in votis habent, quã vt his malis oportunũ aliquod remediũ parari poſſet. Sed eo in cardine res oĩs verſatur, quēadmodum ex me fuſius intellexiſtis, quod M. Reg. cõſultores eſſe nolint, vt quidq̃ contra dignitatem ſuam admittat, & cautionē illam proferat dum Ciuitas in armis eſt. Verum vt omnes R. Mtĩs beneuolentiam & propenſionis gratiam erga Ciuitatem illam cognoſcant, Legatos ſuos cum authoritate in vrbem mittere conſtituit, qui animum Mtĩs eius beneuolum non tantum omnib. ſtatibus, ſed etiam toti cõmunitati & Incolis Ciuitatis Gedanẽ ſolenniter in Prætorio declarēt, vt omnes videant & audiant, alium Mtēm R. erga Ciuitatem illam animum gerere, quam de ea paſsim prædicatur. De illis itaque Legatis recipiendis, neceſſe erit vt Dominis Conſiliarijs & mihi cras ſuam ſententiam dicant.

Et

Et non tantum ſecuritatis literis, ſed etiam obſidibus caueant, vt eo tutius Legati in vrbem mittantur, cum non tantum ad Senatum, Centumuiros, & opifices, ſed etiam ad vniuerſam Cōmunitatem mitti debeant. Id vbi Mtās Regia vos cupere intellexerit, non tantum publicæ fidei literis Ciuitati proſpiciet, ſed mandabit quoque vt ab omni hoſtilitate aduerſus Ciuitatem in diem craſtinum & vlterius etiam, ſi id neceſſitas exigere viſa fuerit, abſtineatur. Gratia Dei adſit nobis omnibus. Datum ex Caſtris noſtris die vndecima Iunij Anno Dñi M. D. Lxxvij.

Ioannes Zborovvski à Zborovv, &c. manu propria.

R*Eſcripſerunt ad ea Internuncij, pollicentes ſe quantum poſſent rebus expediēdis apud Ordines operam daturos, eoq́; celerius eadem veſpera domum reuerſuros. Petiuerunt autem vt propter publicorum cōſiliorum prolixitatem, tridui forſitan ſpacium concederetur, quo commodius Ordines conſilia ſua poſſent explicare, & vt interim R. Mtās acceſſum ad vrbem ſuſpendere dignaretur, ne res ea tractatum pacificationis penitus abrumperet.*

Poſtero diluculo diei xij. menſis Iunij, rumor in vrbem perlatus eſt, Regia caſtra ex agro Dirſchonienſi mota, et vrbē verſus metari, ſimul etiam Erneſti VVeierj exercitus & nōnulli Polonorum in vicinis montibus tendere conſpecti ſunt. Quæ res non ſolum deliberationem omnem de Legatis Regijs expectandis penitus abrupit, verum

rum etiam cauſam præbuit, vt horti ſuburbani, ne receptaculum hoſtibus eſſent, cum inſigni multorum iactura Ciuium incenderentur. Die mox ſequenti qui menſis eiuſdem decimus tertius erat, totus exercitus ad vrbem armatus acceſſit, ex quo procurrentes velites, Ciues nonnullos, & alios in hortis deprehenſos inuadunt, alios cædunt, alios capiunt, pecora autem prope ripam fluminis infra vrbem abigunt. Interim ex noſtris etiam militibus aliquot cohortes ſubſidio Ciuibus erumpunt, & cum Polonis vſq; ad meridiem digladiantur, plurimos eorum verſus montana repellunt, qua ſimul occaſione hortorum incendium propagatur. Cæteris in ædificijs, quibus incendium parſerat, nec nō ſupra infraq; montes, circum circà locata ſunt caſtra, vallo foſsisq; cōmunita, atque inde per quatriduum penè non interdiu ſolum, ſed etiam noctu crebris tormētorum fulminibus vrbs continuè oppugnata, ignes ex tormentis miſsiles iniecti, munitiones, muri, turres, ædificia ferreis lapideisq; globis paſsim impetu vehemēti concuſſa. Quo tamen in feruore, per totum id tempus pauci ſaltem homines tormentis ſunt violati. Ac quanquā interim nihilominus de mittendis Legatis Regijs, de inducijs, colloquijs, & alijs eius generis vltrò citroq; tractaretur, interea tamen ab exonerandis tormentis, & inferendis quatenus fieri potuit iniurijs, à muniendis caſtris tam ante vrbem, quàm ad propugnaculum portus ab Erneſto VVeiero, induciarum prætextu, minimè ceſſatum fuit.

Eodem tempore magnificus dn̄s Exercituum præfectus Ioannes Zborowſkj literas ex Epiſcopali monte, qui Ciuitati imminet, ad nos miſit, quib. ſignificabat, ſe cum cæteris Conſiliarijs, ſecundum ea q̄ cum Internuncijs noſtris tractata fuiſſent, à R. Mtē publicæ fidei literas, nec non inducias quatuor dierum impetraſſe, R. verò Mtēm interim in eo monte ſtationem habere voluiſſe, non quidē animo Ciuitatem hoſtiliter oppugnandi, ſed quatriduum expectandi propoſito, quod ſententiam noſtrā, de mittendis obſidibus, & legatis in vrbem acceptandis cognouiſſet. Quoniam autem miles noſter eius Maieſtati ad reſiſtendū occurriſſet, in tantum indignitate rei fuiſſe cōmotam, vt iam inducias cōcedere nollet, quin potius eò ꝓgreſſam eſſe, vnde verendum ſit, ne res magis ac magis in apertum diſcrimen conijceretur. Nihilominus ſe non deſtitiſſe Reg. Mtīs animum emollire, & hoc tandē obtinuiſſe, quo Maieſtas eius ad priorem ſententiam reuerſa conſtituiſſet, ſi nos obſides in caſtra daremus, legatos in vrbem mittere, et per eos vniuerſis incolis voluntatē Regiā palàm declarare.

Quod vltimum in literis erat, vti iam antea optaueramus, ita tum etiam cupidis animis acceptauimus, futurum omnino confidentes, eo modo pacem planè iam poſſe recuperari, in cuius rei teſtimonium ad Regiam Maieſtatem literas, quarum exemplum ſequitur, humillimè perſcripſimus. Quātumuis interea milites Regij, quotieſcunq; nocendi fuiſſet occaſio, ſæpe numero inducias violarent.

Literæ

Literæ ad Regiam Maieſtatem in caſtra perſcriptæ.

SEreniſſime Potẽtiſſimeq́ Rex ac Dñe Dñe clemẽtiſſ: &c. Cum in hiſce rerum præſentiũ grauiſſimis difficultatibus, quæ præter omnem expectationem inciderũt, nihil hactenus maiori curæ nobis fuerit, q̃ vt imminẽtium malorum inuenire modum aliquẽ, ac R. Veſtræ M. gratiã & clementiam recuperare poſſemus, eodem conſilio nõ ita pridem non ſolum R. M. veſtræ literis noſtris denuò ſubiectionem & fidem, ea, quæ fideles ſubditos decet, veneratione obtulimus, ac vt nobis in gratiam Regiam ſuſceptis iura ac Priuilegia ſalua eſſent, ſaluo Religionis vſu, & offenſis, quæ iam dudum interceſſerũt, humilimè ſupplicauimus: verumetiam per Internũcios cum Magnifico Dño Ioanne Zborowsky Exercituum Præfecto variè nõ ſemel vltrò citroq́ tractauimus. Quæ quidẽ actiones quod hactenus ad finem exoptatum perduci nequiuerunt, non mediocri dolore ſumus affecti, p̃ſertim quod videmus motus bellicos indies magis ac magis incrementa ſumere, & iam ſub ipſis Ciuitatis portis belli terrorem circumferri. Nos certè, quemadmodũ iam anteà, neq́ fidẽ, ſubiectionẽ, officiũ, nec quicq̃ aliud in æquitate & virib. noſtris poſitũ, vnq̃ detrectauimus: Ita nunc iterũ etiã fidẽ & obedientiã humilimè deferimus, & fideliſſimorũ ſubditorũ officio fungi ppetuo cupimus: ac vt id cum R. V. M. grã obtineamus, & ſub eius feliciſſimo regimine diutiſſimè degam⁹, nihil in nobis õnino, quoad facultatũ noſtrarũ erit, deſiderari patiemur.

Ex:

Ex quo fonte manauerit funeſti huius diſsidij cauſſæ, nihil ad rem attinet hoc loco pluribus cõmemorare. Nobis vero nõ tam dolet, quod per ſe merito dolendũ eſt, Ciuitatem inde tot incõmodis, difficultatibus, & damnis implicatam & afflictam, quàm ſummo cum dolore deploramus, fidem noſtram tot illuſtribus documentis Sereniſs: Anteceſſoribus Regibus cõprobatam nunc in dubium vocari, & Reg. Mtẽm veſtram ea cauſa tantopere offenſam eſſe, quæ malo potius fato & infelicitate ſeculi, quàm rebellionis aut temeritatis inſtituto quopiam accidit. Porro quicquid tandem aduerſi præter expectationem (vt humana ſunt) contigit, Reg. Mtẽm veſtram humilimis & ſubiectiſsimis votis precamur, vt omnium præteritarum offenſionum clementiſsimè gratiam nobis faciat, & quod per rerum naturam infectum fieri nõ poteſt, benigniſsimè ſeponere, ac nos fidelium ſubditorum loco deinceps habere clementiſsimè dignetur. Quo pacto, quemadmodum nihil eſt Reg. Mtĩ veſtræ laudabilius ad perpetuam poſteritatis memoriam, nec vlla re propius ad diuinæ Mtĩs ſimilitudinem accedunt Terrarum Principes ac Reges, quã clementia & manſuetudine erga ſubditos: Ita nos, Deo volente, dabimus operam, vt quod præteritis defuit, eò diligentioribus humilimæ fidelitatis obſequijs in poſterũ ſarciatur, quò cupidiores ſumus Mtĩs veſtræ gratiam perpetuam nobis ac poſteris noſtris, quibuſuis inſeruiendi generibus, quantum in nobis eſt, humilimè promerendi.

Deinde

Deinde cum non ita pridem ex colloquijs cum memorato Præfecto habitis intellexerimus, Reg. Mtēm veſtram, ad Dominorum Regni Conſiliariorum interceſſionem conſtituiſſe Legatos ſuos huc ablegare, qui Ciuitatis Ordines de eius voluntate denuò certiores faciant, illud quidem auditu gratiſſimum nobis fuit, ac votis omnibus precamur, vt annuente diuina clementia res omnis ad optatiſſimæ tranquillitatis ſtatum reducatur. Quantum attinet obſides & cætera, quæ futura ſunt ad eas actiones neceſſaria, vt omnia citra periculum fiant, nihil in officiò noſtro deſiderari patiemur, quemadmodum id Magnifico D. Præfecto fuſius perſcripſimus. Quapropter q̃ poſſumus ac debemus humilimis precibus iterum atque iterum demiſſiſſimè ſupplicamus, vt Regia veſtra Mtās eas clementiſſimè rationes inire dignetur, quibus cum Iurium ac Priuilegiorum noſtrorum indemnitate, abolitis grauaminibus, ac ſepoſitis omnibus offenſionibus ac damnis hactenus exortis, Ciuitatem hanc ſuam et fideliſſimos ſubditos, vnà cum gratia ſua Regia, priſtino quoque nitori, paci, fortunæ & felicitati reſtituat. Hoc quemadmodum longè Regiæ Mtī veſtræ laudabilius eſt, beneuolētia fideles ſubditos deuincire potius, quã cuiuſuis offenſionis ergò, ſpem omnem clementiæ regalis præcidere, nedum atrocius quippiam in eos ſtatuere, quod nec cum Reg. Mtīs dignitate, nec eiuſdem Regni cōmodo coniunctum ſit: Ita hoc benignitatis genere ſummam & immortalem à nobis & po-

ſteris noſtris omnibus pietatis & manſuetudinis laudem comparabit, et quò benignius ac liberalius nobiſcum aget, eò nos & omnes Ciuitatis incolas ad perpetuam fidem & promptiſſima debitæ ſubiectionis obſequia ſibi reddet magis magisq́ deuinctiores &c. Datum Gedani die xiij. menſis Iunij Anno Domini M. D. Lxxvij.

DEmum vt in pauca rem cõferam⁹, multis hinc inde tam verbis quam literis cõmutatis, cõfectis publicæ fidei diplomatib⁹, & obſidibus in caſtra miſſis, Legati R. Mtis Magnifici, venerabiles, generoſi & nobiles Dñi Ioannes à Dzialin Palatinus Culmenſis, Chriſtophorus Comes Roſdrauieñ, Laurentius Goſlitzkj Secretarius Regius, & Ioannes Bornamiſſa Vngarorum præfectus, die decima nona Iunij in vrbem honorificè deducti, ſequenti die mandata ſua ſcripto latinè & germanicè compræhenſa in Curia coram omnibus Ordinib. ac Tribubus, iterum per feneſtras quà forum ſpectant, coram vniuerſo populo expoſuerunt, & vti concepta fuerant in mediam plebem ex feneſtris proiecerunt. Erant autem hiſce verbis perſcripta.

Declaratio voluntatis Sacræ Regiæ Maieſtatis quam miſit ad Gedaneñ per Nuncios ſuos die xvij. Iunij Anno Domini M. D. Lxxvij.

Quemadmodum

QVemadmodū antea S. R. Mtās dn̄s noſter clemētiſsimus Deum teſtabatur, inuitū ſe trahi ab hac Ciuitate ad ſumenda arma, eodem modo et nunc teſtatur, coactum ſe neceſsitate, non volūtate ſua, ad has rationes, quas ſentitis, reducendæ illius ad officium, deſcendiſſe.

Etenim in votis illud fuit Principi, vt prudentiſsimo & bellicoſiſsimo ita pientiſsimo & benigniſsimo, vt ijs dotibus, quib. à Deo opt. max. abundè inſtructus eſt, ad bella potius externa, cum perpetuis huius Reipub. hoſtibus vteretur. Quod id & cum maiori ſua dignitate, & Reipub. vtilitate futurum videret, ſi illius iniurias ab ipſis vindicaret, & cum paribus conditione, ac opibus, alieniſq; non ſubditis, certamen ſubiret.

Nunc vero in eum ſtatū contra vota S. R. Mtis rem adduxiſtis, vt de quorū defenſione ab alijs, ſi res poſtularet, cogitabat, in eos arma cōuertere neceſſe haberet: Cum vos ipſi à cōmunione eius Reipub cui illiꝰ Mtās oīa debet, ſeiūxeritis, et ipſius quoq; Sereniſs: R. Mtēm indies magis magiſq; offendere, ſumma cum peruicacia, nō deſtiteritis.

Eius rei cauſam an in fatalem neceſsitatem, an vero in Ciuitatis temeritatem conferret, diu ſecum multumq; Sacra Regia Mtās cogitabat, verum tamen à neutra earum hoc malum profectum eſſe reperit: Nam & ſeries ille caſuum humanorum, diuino conſilio ordinata, neminem ad ſpernendum magiſtratum ſupremum Dei optimi maximi voluntate conſtitutum adigit, nec credibile eſt,

tot homines illa in Ciuitate beneficiorum veterum Regni Poloniæ ac futurorũ cõmodorum quibus maiora aliunde ſperare non poſſent oblitos, Reipub. illius cui poſt Deum plurimum deberẽt, & à qua magnas vtilitates expectarẽt vnà omnes ſubito communionem ſpreuiſſe, ac Regis eius quem Reipub. Prouinciæ, Ordines, ac Ciuitates reliquæ colerent, Maieſtatem violare voluiſſe.

Paucorum hoc certe ſuperbia ac luxus effecit, quorũ cupiditas priuatis illorũ fructibus expleri non potuit, ſed qui antea magiſtratibus & muneribus publicis abuſi vectigalia publica depecularentur, & abligurirent, laboribus & ſudore frugi ciuium ſe ingurgitarent.

Poſtremo etiam quod malefici omnes ſolent, vniuerſam Ciuitatem ſuis artibus perdere, quam ſoli interire vel ſaltem egere maluiſſent.

Ea humanitate Sacra Reg. Mtãs ab initio ſtatim Regni vobiſcum egit, vt illa certe, vel maximos alios quoſuis inimicos ſibi conciliare poſſet, verum exiſtimat quæ ab illius Mtẽ clementer erga vos facta ſunt, non omnibus prorſus nunciata fuiſſe. Cognoſcant igitur qui ante neſciuerunt, qui vero ſciuerunt, memoria repetant, quæ Sac. Regiæ Mtĩs clementia, et altitudo animi in tractando cum Ciuitate fuerit.

Quomodo enim vos ad officium reuocabat, quàm paternè infra prope dignitatem ſuam conſeruandi veſtri ſtudio ſe demittens, non modo per legatos, ampliſſimos viros,

ros, nō modo per Senatores & officiales Regni primarios, verum etiam viua voce nuncijs veſtris, tum cōmoda ſi officio ſatiſfeceritis, tum ſi in pertinacia perſtaretis hæc incōmoda quæ ſentire incipitis proponendo.

Quid vero à vobis aliud requirebat, quam quod debuiſtis ex maiorum veſtrorum iureiurando? Quid itidē deinceps vobis cōcedebat? certe id quicquid non modo iure debuit, ſed quicquid inſuper per leges regni potuit.

De religione Auguſtana nullus vobis locus dubitandi datus fuit. Quod eam Ordinibus ac omnibus hominibus regni iureiurando interpoſito, vigore cōfœderationis in interregno factæ permiſiſſet: Tamen cum id poſceretis ſeorſim etiā de illa vobis priuilegio cauebat, & priuilegio ita conſcripto, vt vos velle à Nuncijs veſtris cognouerat.

Iura & Priuilegia veſtra etſi itidem cōmuniter cum totius Regni Iuribus & Priuilegijs ſanxerat, tamen ſeparatim etiam illorum confirmationem vobis dabat, & confirmationem legitima Formula conceptam, proptereaq; vobis magis tutam ac vtilem.

Noua demum quædam capita immunitatum per Nuncios veſtros propoſita addebat, Quæ concedere non potuit ſine ordinum omnium Regni auctoritate, in comitijs futuris proponere promittebat.

Quid vero interim in Ciuitate actum? Quid aliud quàm vt omnia regalia iura ex vrbe exterminarentur, vt pecunia in ſignum dominij ſingulis annis conferri ſolita

non daretur, lautia Regi venienti in vrbem ex priuilegio priſco non ſuppeditarentur, Rex non aliter quam cum paucis, velut priuatus & in ordinem redactus in vrbem admitteretur: Ea quæ in Comitijs Regni publicis ſancita eſſent reſcinderentur, Ciuitas Gedanum, nihil cum ordinibus Regni ac eius Concilijs cõmune haberet, Reg. Mti tantum quoad viueret non Regno, & ſi in eius ſortem, ſubiectionem, ac titulum ex maiorum ſuorum iureiurando conceſsiſſet, fidem obſtringeret, ab ipſa demum Regia Mtē ſi quod Priuilegium illius non obſeruatũ vel ſeditioſiſsimus aliquis ſomniaſſet impune deficere illi liceret.

Præter iniquitatem vero poſtulatorum illud certe longe iniqui⁹ ac magis impium fuit, impetratis literis Saluiconductus, vanitate verborum tempus extrahēdo, ſub tractatus tot crimina commiſiſſe, militem numeroſiorem contra conditiones Saluiconductus adſciuiſſe, libellos contumelioſos Regio & Polonico nomini per Germaniam ſparſiſſe, carmina vt inſulſiſsime ita petulantiſsime conſcripta de Rege ac gente Polona, Ciuem veſtrum, ſciente & iubente magiſtratu, in vrbe typis mandaſſe, copias veſtras domos vicinorum ſubditorum itidem Regiæ Mtis nobilium virorum ſpoliaſſe, Monaſterium Oliuenſe Regium Anteceſſorum eius Mtis ac veſtræ Ciuitatis & aliorum Pruſsicorum conditorum monumentum ſpoliatum euertiſſe.

Ad imponendam nefariorum conatuum ſummam poſtremo loco acceſsit inſtitutum delendi exercitus Regij

in ſum-

in ſummam ac perpetuam ignominiam illius ac Poloniæ Regni, Emiſſus igitur exercitus ex vrbe, & emiſſus cum perpetuos Chriſtianitatis hoſtes Tartaros Ruſſiam vaſtare audiretis, emiſſus tum cum & Ciuitas miſſis literis & Illuſtriſſ: Dux in Pruſſia illa poſcente in Cōuentu VVladiſlauien, vt à nobis in gratiam reciperemini peteret.

Non tamen fauit Deus iuſtiſſimus Iudex impijs cæptis, profligatus eſt à Regiæ Mtis copijs ille exercitus, pro Polonico ſanguine quem ſitiebatis, veſter ac veſtrorum perfuſus eſt.

His igitur ſuperborum & prodigorum veſtrorum Conſiliariorum vobis pernicioſis conſilijs, in hoc diſcrimen in quo verſamini adducti eſtis: Hæc inſolentia, hæc facinora, Sacram Regiam Mtem ad ſupplicium de vobis ſumēdum, ad muros vrbis inuitam & longe diuerſa in vtilitatem Reipub. ac veſtrā meditātem attraxit.

Optime & Regiæ Mti & omnibus ſunt notæ difficultates, quæ premunt. Non latet Regiā Mtēm & eius Conſiliarios vbiq; à Principibus & Ciuitatibus vobis negari auxilia: Profitentur literis ad Regiam Mtēm datis quid Regno Poloniæ pro veteri cum eo cōiunctione debeant: Profitentur Regiæ Mtis latè regnantis amicitiam illis magis vtilem & honorificam quam perduellium inopiam, vnius tantum vrbis mænibus incluſorum eſſe.

Hoc tamen eſt quod Sacram R. Mtēm Principem optimum & Regni ſui amantiſſimum in eo rerum ſtatu monet. Dolet Prouinciam hanc Regni ſui pulcherrimam

magnis

magnis incõmodis affectam. Cernit etſi ipſius exercitũs hoſtilem terram vaſtare videatur, vaſtare tamen ſuam etſi vrbem rebellium demoliatur, demoliturum tamen ſuam.

Animaduertit præterea Rex prudentiſſimus & iuſtiſſimus plurimos mortales in hac vrbe culpæ omnis expertos eſſe, plurimos frugi ciues, qui potius de ſuis cõmercijs, & artificijs, quam de turbanda Ciuitate cogitabant, in hoc idem periculum cõiectos. Miſeros præterea liberos, virgines, matronas, quorum omnium ſanguini Sacra R. Mtãs ita parcendum ſibi eſſe exiſtimat, vt etiam nocentiſſimos propter illos conſeruare malit.

Admonendos igitur vos etiamnunc Sac. R. Mtãs dominus noſter clementiſſimus putauit, vt vel iam tandẽ impendente vobis exitio reſipiſcatis: Miſereamini veſtri, miſereamini eorum, quorum vos maxime miſereri oportet. Si tẽpeſtate facultates veſtræ, ſi incendio fortuito domus, ſi caſu vel fato Ciues, conſanguinei, coniuges, liberi veſtri, chariſſima pignora perirent, gemeretis, Nunc ea propter obſtinationem animorum veſtrorum, propter nefariam cupiditatem aliquorum explendam vltro perdere vultis. Ploraretis tum fruſtra eos quos ob immotam fatorum legem veſtro fletu non reſtituere poſſetis: nunc cum vobis eorum ſalus ac incolumitas cõmendatur non mouemini? reſipiſcite igitur. Etenim niſi reſipueritis, Sacra R. Mtãs Deum teſtatur, non ipſius Mtẽm, ſed conſiliorum nefariorum autores, innoxiorum cædis aliarumq́ calamitatum

mitatum cauſam fore, A quibus ipſo iuuante, & pro innoxio ſanguine, & pro violata ſua & Reipub. Mtē, cōmiſſisq́; ſceleribus, pœnas ac ſupplicia breui exiget.

Si inſanire deſtiteritis, primum etiam noxios omnes propter innocentes ſaluos eſſe vult: Deinde cuiuſuis veſtrum fortunas, omnem rationem, omnia iura, augendarum veſtrarum facultatum, Contuberniorum Iuriſdicundi vobis conſeruat.

Hoc vt ingenuum Principem decet palam profitetur, ſe nec debere nec poſſe relīquere Ciuitatē in hoc perturbato ſtatu, ne in poſterum malorum Ciuium artibus, huiuſmodi procellis Ciuitas obijciatur, aut graui & probi homines ignarorum & inſolētium luxum, & gulam ſuis laboribus ac facultatibus explere neceſſe habeant.

Licitando nihil à Sacra Regia Mtē obtinebitis, à Rege ſapiente, bellicoſo ac dignitatis ſuæ memore. Plusq́ conueniebat iam tractatum eſt: Conditiones vos accipere non ferre, vt ſubditos, & eos qui Sereniſſimum Regem ac Rempub. læſiſtis, oportet. Propter Mtēm læſam non modo vrbes, ſed & Magni nominis ac magnarum Familiarum Principes oīa beneficia ac Priuilegia amiſiſſe ſcitis. Sancitum hoc eſt legibus. Exempla vobis ſuppeditare poteſt vicinum noſtro Regno, Sacrum Romanum Imperiū.

Experiamini potius eius clementiam, cuius multi ſummam ac incredibilem experti ſunt: Oſtendite vos plus tanti Regis clementiæ confidere quam muris veſtris, præ-

ter quos nihil vobis ſupereſt, & qui vos diu tueri non poterunt, paucis defendentibus militibus, pecunia ex publicis veſtris vectigalibus antea per luxum conſumpta, vt ne in primordijs quidem belli ſuppeteret, inopia aliarum rerum vos premente, vndique auxiliorum ſpe adempta, ac quod ſummum eſt Deo ſcelerum, ac inprimis periurij acerrimo vindice, vobis irato & infenſo.

Inutilia imbellibus dextris arma gerentes, à Rege magnanimo nihil conſequemini, qui ad omnia cœpta ſua conſtantem, & non niſi re vna perfecta aliam molie͂tem animum attulerit, cõmeatus ac rerum neceſſariarum commoditatem habeat, quantã Iſtula præbere poteſt, ampliſsimiq; & feraciſsimi regni fructus, quibus & vos ditati fuiſtis, & exteri etiam alebantur, militum in tam lato ac longe patenti Regno tantam quantam velit copiam, præter ærarij Prouentus decretũ ad bellum contra vos à Regno vniuerſo tributum, decretum item ab Ordine Eccleſiaſtico tributum, decretum à Pruſsia tributum, à Lituania conceſſum portorium. Extra ordinem itidem ab Eccleſiaſtico ordine & Pruſsiæ Terris donatiua conceſſa amicos in germania ac vicinis Prouincijs tot, quot cum Anteceſſoribus ſuæ Maieſtatis beneuolentia, pactis conuentis, beneficijs acceptis, affinitatibus cõtractis, Ciuitates, Prouinciæ, Principes, Reges coniungi potuerant.

Verum ſi ſpem in eius clementia poſueritis, ac ad eam confugeritis; hæc vos non fallet, & fortaſſe ea vltrò

vobis,

vobis conferentur, quæ vix quiſquam non ignarus negocij iſtius, non modo vos qui vobis culpæ veſtræ conſcij eſtis, vobis tribui poſſe exiſtimaretis.

Ioannes à Dzialin Palatinus Culmenſis.

Laurentius Goſlitzki L. L. Secretarius Regius.

Ioannes Bornamiſſa de Kalno Vngarorum præfectus.

Chriſtophorus Comes Roſdrauień.

CÆterum, cum in hoc ſcripto partim Magiſtratus, partim vniuerſa Ciuitas, nonnihil etiam milites, ignominioſis ſanè verbis inſimularentur, præfecti quidem militum exiſtimationem ſuam in re præſenti ſatis tuebantur, quanquam & ipſi legati culpam durius ſcriptorum ad interpretem tranſferebant: Ordines autem, ne ſilentio criminationes tam enormes agnoſcere cenſerentur, per Syndicum ſuum ad potiora capita in continenti palàm audiente vniuerſo populo reſpondebant, paulò pòſt ſcripto prolixius innocentiam ſuam demonſtraturi. Illud inprimis oſtendebant, falſo ſibi notam eam impingi, quaſi à communione Regni Poloniæ deſciſcere voluiſſent. Nec enim id vnquam ab Ordinibus cogitatum fuiſſe, niſi neceſſario ad conſilia deſperata compellerentur, quod ne fieret, & æquior aliquantò Ciuitatis ratio haberetur, ſummis precibus contendebant. Hoc repetitum inter cætera fuit, Magiſtratum etiã palàm &

Ordines non temerè nec rebellandi propoſito ad arma fuiſſe pertractos, ſed ſaltem pro tuendis iuribus, priuilegijs & libertatibus ſuis, ijsq́ tuendis etiam in poſterum fortunas omnes & ſanguinem conſtanter impenſuros.

Quod cum frequenti acclamatione Ciues exciperent, Legati intelligentes, declarationem eam Regiæ voluntatis non eo modo quo putaſſent acceptam, verbis vltro citroq́ variè commutatis quæſiuerunt quid tandem Ordines potiſsimum deſiderarent, vel quam rationem eſſe reliquam putarent extremis hiſce malis medendi. Reſponſum eſt inter cætera, noſtros Internuncios in ſuperioribus tractationibus ad Regiam Maieſtatem non admiſſos, neque pro rerum neceſsitate ſufficienter auditos, res omnes vtplurimum per Ciuitatis hactenus aduerſarios tractatas & expeditas, quamdiu id fieret, ac Regia Mtās magis illorum conſilijs, quam Ordinum rationibus aures daret, nihil inde boni tandem expectandum. Ibi tum Legati receperunt ſe propediem effecturos, vt ab ipſa R. Mtē Internuncij noſtri coràm audirentur. Ita eodem die in caſtra reuerſi, obſides in Ciuitatem ſunt remiſsi.

Vbi de fidei publicæ literis conuentum, de quibus per dies aliquot diſputatum erat, petebamus enim vt obſiſides ex caſtris Internunciorum loco remitterētur, nec impetrauimus, Internuncij noſtri die xxvj. Iunij cum ſequentibus literis in caſtra ſunt emiſsi.

Inſtructio

INSTRVCTIO EORVM quæ Sereniſs: Maieſtati Regiæ Internū- cij omnium Ordinum Regiæ Ciuitatis Gedanen̄ Strenui, Spectabiles, Clariſsimi, Famati ac honeſti: Dn̄i & viri Ioannes Proit Eques auratus & Præcōſul, Ioachim Eler Conſul, Hieronimus Fick Scabinus, & Ciriacus à Vechteld, è numero Centumuirorum, proponere & explicare debebunt, die xxvj. Iunij Anno Domini M. D. Lxxvij.

E*A quæ Sereniſſ: Regia M̄tas Dominus noſter clemētiſſimus per Legatos ſuos, Magnificos, Illuſtres, Reuerendos ac Generoſos Dominos Ioannem à Dzalin Palatinum Culmenſem, Laurentium Goſlitzkj Canonicum Cracouien̄, Ioannem Bornemiſſam de Kalno Capitaneum, & Chriſtophorum Comitem de Raſdrazo, Ciuitatis huius Ordinibus, ac vniuerſis Ciuibus proponi clemētiſſimè iuſſit, ex ſcripto nobis exhibito, debita cum venerationis & humilitatis obſeruantia, prolixè percepimus.*

Vehementer in primis dolemus, quod in eo ſcripto, cum Magiſtratus, tum vniuerſi ciues, verbis ignominiæ plenis, paſſim traducuntur, rebellionis, pfidiæ, ſeceſſionis à

 Regno,

Regno, aliorumq́ malefactorum, palàm incuſantur, à quibus Deo conſcientiaq́ ſua teſtibus, ſemper alieniſsimi fuerunt, ac ipſis etiam cogitationibus abhorruerũt. Exiſtimant dubio procul iſthæc ab aduerſarijs noſtris, ad offenſiones augendas, & impediendæ potius quàm promouendæ pacis ſtudio Mtī Regiæ perſuaderi. Quapropter cum maximoperè noſtræ exiſtimationis interſit, ea quæ præter culpam vitio nobis dantur, iuſtis & apertis rationibus purgare, ac Regiæ Mtī in rebus ijs omnibus innocentiam noſtram exactius probare, cõmiſimus Internuncijs, vt Regiæ Mtī ſcriptum innocentiæ noſtræ humilime offerant, additis ſupplicibus precibus, vt animo clementiſſimo defenſionis huius rationes ſuſcipere, ac nobis Regiã aurem alteram benigniſsime concedere dignetur. Deinceps verò quandocunque neceſſum erit, parati ſumus ita nos de criminibus perperam irrogatis purgare, quo Mtās eius non ſolum innocentiam noſtram liquidò cognoſcat, verum etiam fideliſsimum ſubiectionis noſtræ ſtudium re ipſa debitis cum obſequijs experiatur.

Cæterum res ipſa demonſtrat, quod actiones literis hactenus vt plurimum tractatæ, parum proceſſerint, diffidentia verò magis ac magis incrementum ſumpſerit, ex eo potiſsimum, quod Regia quidem Maieſtas in primis Iuramentum fidelitatis à nobis exigeret, Ordines autem varijs de cauſis illud periculoſum ſibi futurum putarent, niſi prius rationibus ſuis idoneè caueretur. Quapropter vt

vniuerſi

vniuerſi Ciues Regiæ Maieſtatis gratiæ, clementiæ, paternæq́ propẽſionis certiſsima fiducia firmiter niti poſsint, cõmodiſsimum videbatur, vt priuatim Internuncijs ad rem omnem funditus expediendam, audientiam indulgeri ſupplicaremus. Quam vti Reg. Maieſtas clementiſsimè concedere dignata fuit, ita gratias ob eam rem qàam poſſumus ac debemus, agimus maximas: Humilimè ſperantes Regiam Maieſtatẽ eius, fidelium ſubditorum huius ſuæ Ciuitatis rationes ſatis iam ſatis afflictas, eodem manſuetudinis & clementiæ genere, benigniſsimè complexuram. Quas nullis ſanè conditionibus dignitati Regiæ Maieſtatis aduerſantibus includimus, ſed ad debitæ ſubiectionis fidem & obedientiam, eo quo ſequitur humilitatis ſtudio, referimus.

Primum ſubiectionem Sacræ Regiæ Maieſtati, Domino noſtro clemẽtiſsimo debitam agnoſcimus, & Eidem humilimè deferimus, iuxta vinculum Incorporationis vetuſtiſsimæ, qua noſtri Maiores inclyto Poloniæ Regno coniuncti ſunt, deinde etiam fidem & obedientiam, quæ fideles ſubditos decet, omnimodo nos præſtituros pollicemur. Humilimis precibus ſupplicantes, vt Regia Maieſtas quicquid in præteritis erratum eſt, ex clementia Regia, & innatæ bonitatis manſuetudine, remittere, condonare, demum non amplius recordari, benigniſsimè dignetur.

Ac-

Ac vt ſubiectionem noſtram ſolenni iureiurando ritè profiteri poſsimus, ſuppliciter ac demiſsiſsimis verbis Regiam Mtēm obteſtamur, vt pro gratia ſua Regia, & ingenitæ benignitatis indulgentia, proq́ conteſtanda fideliſsimis ſubditis paterna propenſione, Decretum proſcriptionis, vna cum omnibus inde ſubſecutis offenſis, damnis, ac iniurijs, publicè priuatimq́, tollere penitus, ac abolere clementiſsimè dignetur.

Vſum liberum Auguſtanæ Confeſsionis, quem exemplo cæterorum Satuum Regia Mtās nobis indulſit, humilimè petimus, iterum vt antea, publico diplomate confirmari.

Humillimis itidem precibus ſupplicamus, vt clementiſsimè dignetur R. Mtās Iura ac Priuilegia noſtra, more Diuorum Anteceſſorum confimare tueriq́: grauamina quæ Priuilegijs, libertatibus, Iuribus, & receptis conſuetudinibus aduerſari comprobata fuerint, emendare vel abrogare: quæq́ horum ad generalia Regni Comitia neceſſariò pertinere videbuntur, pro ijs abolendis vel emendandis auctoritatem ſuam Regiam ſic interponere, ne Priuilegia noſtra maiorum fideliſsimis obſequijs egregiè comparata, ab omnibus inde Sereniſsimis Regibus cōtinua ſerie confirmata, quorum vſum & poſſeſsionem, vltra memoriam humanam pacificè obtinuimus, Comitiorum quibuſuis Decretis in diſcrimē, diſceptationem, vel dubium aliquod deducantur.

His

His conſequenter, quanq̃ Ordines de Regiæ Mtis verbo pro ſubiectionis ſuæ perpetua conſtantia minime dubitant, tamen cum ad maiorem vniuerſorum Ciuium fiduciam, tum poſterorũ etiam euidentiorem memoriam conſeruandam humilimis precib. iterum ac iterum ſupplicamus, vt Regia Maieſtas de ſupradictis omnibus priusq̃ iuramentum præſtemus, publicis literis ſua manu, ſuoq́ ſigillo munitis Ciuitati ſuæ clementiſsime cauere dignetur.

Quod ſupereſt, humilima ſpe demum nos conſolamur, cum Ordinibus & vniuerſis Ciuibus & Incolis liquidò conſtiterit, Regiæ Mti ſalutem & incolumitatem Ciuitatis ac Ciuium cordi eſſe, nec ab illius animo preces illorum excludi, immo verò Mtis Regiæ benigniſsimum eſſe propoſitum, Ciuitatem & incolas penes ſua iura, priuilegia, honorem, & fortunas clementiſsime tueri: haud abfore quin non ſolum de his omnibus quæ dicta ſunt, coram plenius tractari, doceri, definiri, verum etiã Deo Opt: Max: clementer annuente, caſsis & abolitis omnibus quæ hactenus interuenerunt offenſionibus, difficultatib: etiam quæ ſubſequi ſolent amputatis, ad pacem & tranquillitatem rerum omnium, præ cæteris exoptabilem, vnanimi conſenſu deueniri poſsit.

Quod vt immortali Deo, pacis auctore & auſpice, fauorem, gratiam, opem, & ſucceſſum præbente, Regiaq́ Maieſtate pientiſsimè conſentiente, cum perpetua benignitatis eius erga ſubditos, gloria, totius quoq́ Regni, necnon

L Pruſsiæ

Pruſsiæ Terrarum & huius Ciuitatis ſalute, cõmodo, & tranquillitate fiat, votis maximis optamus, precamur, ac ſupplicamus.

Tandem humilimè Regiã Mtẽm precamur ac obteſtamur pro Internuntijs detentis, dignetur Regia Mtãs eam illis gratiam facere, vt ſi non omnino domum remittantur, tamen in vicinia ſaltem illis cõmorari liceat, quo & ipſi nobiſcum ſimul pro patriæ ſalute in medium conſulere poſsint. Ac quoniam audimus admodum duriter eos haberi, ac ad alendos plures homines grauioribus eos ſumptibus diſtineri, perquàm humilimè petimus, etiam hac in parte moderationem æquam adhiberi.

In quorum omnium fidem ſigillum noſtrum ſubappreſſum eſt.

Reſponſum omnium Ciuitatis Gedaneñ Ordinum & incolarum, ad propoſitam non ita pridem per Legatos Mtís Regię eiuſdem voluntatis declarationem xxiiij. Iunij Anno M. D. Lxxvij.

CVm Sereniſs: Regia Mtãs Dñus n. c. dubio procul maximis & prægnantibus de caufis Legatos ſuos magnæ authoritatis viros, ad declarandam voluntatem ſuam Regiam, non tantum pro more veteri ad omnes huius Ciuitatis Ordines, ſed omnes in vniuerſum incolas ablegare.

ablegare dignata fuerit: operæpretium ſe facturos exiſtimarunt omnes illi, quos negotia hæc quoquo modo cõcernunt, ſi collatis ſuffragÿs ſuam & publicæ Ciuitatis, quoad eius fieri poſſet, defenſionem pararent. Et cum intelligant eam declarationem non tam à Mtē R. cui incolarum huius Ciuitatis & rerum publicarum adminiſtratio non ſatis cognita & perſpecta eſſe poteſt, quàm ab aduerſarÿs, qui animum Mtīs Regiæ occuparunt, & eos ſeorſim qui cum Magiſtratu ſunt tanquã impios, in patriam crudeles, ac cum reliquorum ciuium numero periuros traduxerunt: Exiſtimarunt eam ſuam, quam ipſa neceſsitas extorſit, defenſionem non aduerſus Mtēm Regiam, ſed perpetuos illos ſuos aduerſarios parandam & exarandã eſſe: Sereniſsimam Mtēm R. interim enixo ſtudio rogantes et obſecrantes, ne hæc aliorſum q̃ quemadmodũ bona fide ac integrè ſcribuntur, pro gratia & clementia ſua Regia accipere, neque exiſtimare clementiſsimè dignetur, nos hæc offendendi, vel pacis excludendæ, ſed tantum defendēdi et innocentiam noſtram oſtendēdi animo ſcribere: demiſsiſsimè obteſtantes, vt Mtās R. alteram ſuam Regiam aurem nobis quoq; præbere, & nõ tantum vnius partis dicta admittere, ſed poſt eius cauſæ examen trutina caſtigatum eas clementiſsimè rationes inire dignetur, quibus funeſtũ & minus neceſſarium hoc ſuſceptum bellum, & Terrarum ſuarum ac fidelium ſubditorum deuaſtationes et direptiones, per Dei gratiam in alium magis neceſſarium locum transferri poſsit.

Ac quod initio inſimulamur, quaſi nos ipſos à communione eius Reipub. cui Mtās R. omnia debeat ſeiunxerimus, & ipſius quoque Mtē̄m indies magis magisq́; offendere, ſumma cum peruicatia non deſtiterimus, Illum teſtamur, qui corda & renes ſcrutatur, ea nunquam ne ad cogitationes noſtras penetraſſe, nedum vt reipſa eum ad modum perpetrata fuiſſe quisq́; oſtendere poſſit, Quod omnes tam oretenus quam ſcripto editæ declarationes noſtræ ſatis ſuperq́; teſtantur, quib. apertè & manifeſtè demonſtrauimus, non conſtituiſſe nos rationes noſtras ab inclyti Poloniæ Regni rationibus ſeiungere, neq; in animum induxiſſe à vetuſtiſſima Maiorū noſtrorum incorporatione nos ſegregare, ſed omnia propter bonum publicum, & conſeruationem iurium, Priuilegiorum & libertatum ad eum modum facere, quemadmodum in ea ſentētia etiamnum perſiſtimus, cupere ſcilicet nos inſiſtere Maiorum noſtrorum veſtigijs & Regno Poloniæ, Saluis iuribus & Priuilegijs atque ſublatis grauaminib. noſtris fidem noſtram abſque aliquo fuco fideliter probare.

Aduerſariorum noſtrorum à multis retroactis annis hoc vnicum fuit ſtudium, vt nos in diſcrimen vitæ, honoris atque omnium facultatum noſtrarum adducerēt, Et nihil illis ad eam rem cōmodè perficiendā hactenus defuit, quam ea quæ ſe illis proh dolor nunc cum harū Terrarū & huius Ciuitatis excidio fermè obtulit. Nam ſceptrum Regni Poloniæ tenente D. Sigiſmundo Auguſto

Rege

Rege laudabilis memoriæ, Cõmiſsionem quandam impetrauerant, qua non tantum iurium, Priuilegiorum & libertatum, ſed totius etiam Status huius Vrbis rationes euertere, Et cum nobis iurium & Priuilegiorum indemnitatem promitterẽt, illi ipſi contra Priuilegiorum noſtrorum manifeſtum tenorem, bona Ciuitatis terreſtria precario adipiſci & in ſuos vſus transferre conati ſunt, Vnde infelix illa placatio, Conſtutiones Cõmiſſoriales, varia Decreta & oĩs generis mala originem traxerũt. Quamuis omnes Ciuitatis Ordines contra illius Commiſsionis ſeriem ſolenniter proteſtati ſint, nec quidq; quod in ea contineretur vlla ratione agnouerint vel acceptarint. Atq; vt tum de illorum propoſito & inſtituto nihil decederet, militem quoque per vrbem cõſcripſerunt, atque ita Ciuitatem varijs difficultatibus implicarunt, & ad faciẽdos minus neceſſarios ſumptus impulerunt. Deus autem qui omnia pro ſua diuina prouidentia moderatur & gubernat, cæptis tum illorum minimè fauit, ſed Ciuitatem per ſuam diuinam gratiam liberauit & in priſtino ſtatu conſeruauit.

Poſt obitum vero D. Sigiſmundi Regis Auguſtæ memoriæ, cum modernus Francorum Rex Chriſtianiſsimus omnium ſuffragijs in Regem Poloniæ adſciſceretur, ſed aduentum ſuum in aliquod tempus extraheret, illorum inſtinctu Erneſtus VVeierus exercitum aliquot Centum equitum ac peditum collegit,

eumq́ ad vrbis ferme mœnia adduxit, & ita omnem hanc viciniam miſerè populatus eſt, & Ciuitatem multis incõmodis implicitam, varijs inſuper difficultatibus affecit et ſumptibus onerauit. Verum & tum temporis Deus iuſtiſsimus iudex omnes illorum conatus irritos eſſe voluit.

Nunc vero vbi Sereniſs: R. Mtās ſingulari DEI prouidentia in ſolium Regale, nō tamen ſine votorum diſcrepantia, quibuſdam R. Mtēm veſtram, quibuſdã vero, in quorum numero & nos fuimus, Romanorum Imperatorem vita laudabiliter defunctum nominantibus, collocata fuiſſet, & nos qui in ipſo quaſi limine terra mariq́ varijs expoſiti ſumus periculis, propter cõmunem vtilitatem diutius quàm cæteri electioni Imperatoriæ adhærere coacti fuimus: ea tamen addita declaratione, quod ab vnione Reipub: cõmunis Regni Poloniæ ſeceſsionem parare non cõſtituiſſemus: ibi aduerſarij noſtri diu expeditam anſam nacti, cùm ſemper apud Mtēm R. præſentes eſſent, nos apud eam quaſi homines extremè impios et omnium mortalium deterrimos traduxerunt, vnde procul dubio diu ante Sereniſs: Mtīs R. in has Terras aduentũ exercitus immiſſus eſt, qui varias minas, etiam de ipſis infantibus trucidandis iactauit, & homines ex hac ſaltem Ciuitate oriũdos, licet alterius iuriſdictioni ſubiectos, vinctos abduxit & omnibus bonis ſpoliauit. Quod vbi ad nos perlatum, & facilis coniectura eſſet, eas artes aduerſariorum noſtrorum ad nos perdendos, quod iam pridem inſtituerant,

inſtituerant, comparatas eſſe, paruam ſaltem eo initio manum collegimus, vt nos cōmodè tutari, & ab illorum technis tantiſper ſecuri eſſe poſſemus, donec Mti R. rem omnem exponeremus, & de Priuilegiorum ac iurium noſtrorum indemnitate nobis caueri peteremus, Inde ipſi anſam nos apud Mtēm R. traducendi nacti ſunt; quaſi nos ab vnione Reipub. Regni Poloniæ ſeiungere conſtituiſſemus, vnde proſcriptionis ſtylo perculſi, & omnia ea incōmoda atque difficultates ad hoc vſque temporis momentū nobis conciliatæ ſunt. Cum verò Deo & cōſcientia noſtra teſtibus, ſeceſſionem ab inclyto Poloniæ Regno parare nunquam conſtituerimus, quinimo nihil magis in votis habeamus, quam vt ſaluis iuribus & Priuilegijs cum M. Regia & Regno in gratiam redire poſſimus, quantis poſſumus maximis precibus rogamus & obteſtamur, ne eas Sereniſſ: M R de nobis cogitationes induere dignetur, quaſi nos ab vnione Reipub: vnquam ſubducere in animum induxerimus, & eapropter nos, quēadmodum pròh dolor cum cōmunis Reipub: exitio cæpit, nō armis & bello perſequatur, ſed totius cauſæ ſtatum penitius potius diſquirat & diſpiciat, & proculdubio comperiet, nos ab eiuſmodi criminibus immunes prorſus eſſe.

Quod deinde nobis obijcitur, quod Mtēm R. violare voluerimus, idq́ paucorum ſuperbiam & luxum effeciſſe, quorum cupiditas priuatis ipſorum fructibus expleri non potuerit, ſed qui vectigalia publica depeculati

ſint:

ſint, & abligurierint, laboribus & ſudore frugi ciuium ſe ingurgitauerint, & quod malefici omnes ſoleant, vniuerſam Ciuitatem ſuis artibus perdere quam ſoli interire vel ſaltem egere maluerint. Ad ea reſpondemus nos qui nunc Magiſtratus officio in hac Ciuitate fungimur, & propter cõmunem vtilitatem tempus, cum periculo valetudinis & omnium facultatum noſtrarum, perdere cogimur, Nobis id præter meritum noſtrum imputari, & eſſe nos ab eiuſmodi vitijs & criminibus immunes, & ſumus parati publicis libris, computatis rationibus & regeſtis docere, in quem vſum prouentus publici tranſlati ſint, quemadmodum & eo tempore, cum D. Cõmiſſarij in Ciuitate regnãte D. Sigiſmundo Auguſto Rege fuerunt, factum eſt, Si verò id non ſufficere exiſtimatum, ſed quiſquam repetundarum reus poſtulatus fuerit, neque rationes officij ſui reddere poſsit, is quod iura æquum cenſent, ferat. Interim vero rogamus, ne Mtãs R. reliquis bonis viris eam notam cum ignominiæ labe inuri patiatur, ſed eos ab eiuſmodi iniurijs & criminationibus clementer defendat & tueatur.

Quid deinde Maieſtas Regia à nobis requiſiuerit, memoria recolere poſſumus, & nos quoque nihil eorum quæ in æquitate eſſent poſita recuſaſſe, ſed id ſaltem rogaſſe, vt nos penes Religionem noſtram Auguſtanæ Confeſsionis, (de qua etiam Maieſtas eius nobis proſpectum eſſe voluit, quo nomine immortales plane

Maieſtati

Mtī Regiæ agimus gratias) iura, libertates ac Priuilegia, ſublatis quæ in cōtrarium irrepſerunt grauaminibus, clementiſsimè conſeruare dignaretur. Ac licet dicatur Mtēm R. Iura & Priuilegia noſtra cōmuniter cum totius Regni iuribus & Priuilegÿs ſanxiſſe, & nobis etiam illorum confirmationem ſeparatim dediſſe: tamen magnam inter iura & Priuilegia Regni Poloniæ & noſtra differentiā & diſcrepantiam eſſe animaduertimus, noſtris iuribus et Priuilegÿs, cum Regni immunitatibus ex diametro pugnantibus, ita vt per iuramentum Mtīs R. quo in iura tantum vtriuſque gentis Polonicæ & Lithuanicæ iuratum eſt, noſtra Priuilegia & iura ſublata prorſus intelligantur. Et quamuis memoria adhuc complectamur, quod Thorunÿ Status & Ordines harum Terrarum demiſsisſimè rogarint, dignaretur Sereniſs: R. Mtās iuramētum ſuum clementiſsimè declarare, ne iuribus & Priuilegÿs harum Terrarum eſſet præiudicio, & id etiam iterato per Mtēm R. illis promiſſum fuiſſe: tamen nondum audiuimus illos eam declarationem ſub Regni ſigillo & manu Mtīs Regiæ impetraſſe, ita vt non videamus, quid nobis de cōmunibus harum Terrarū iuribus & Priuilegÿs polliceri debeamus.

Licet nobis etiam noſtrorum Priuilegiorum confirmationis formula tranſmiſſa fuerit, pro qua immortales Mtī R. agimus gratias, tamen ea nobis parum ꝓdeſſe poterit, niſi iuramētum Mtīs R. ad eum, quo ſupra dictū

M eſt, mo-

eſt, modum declaretur, & grauamina cõtra ea perperam irrogata tollantur & abrogentur, præſertim quod ad priora grauamina hoc nunc quoque, præter omnem expectationem noſtram, acceſſerit, quod in Reſponſo Mtis Reg. præcipuum ex Priuilegijs noſtris de Contributionibus & plebiſcitis condendis, in dubiũ vocari cæptum fuerit, quaſi in illius vſu nunq̃ fuerimus, cum tantum in eius vſu & pacifica poſſeſsione cum Maioribus noſtris ſupra centum & viginti annorum ſpatium, atque ita ſupra hominum memoriam fuerimus. Tum confirmatio etiam nihil noui iuris addit, ſed propterea ſaltem cõfirmantur Priuilegia, vt eò Sereniſs: Reges teſtentur, Priuilegia ſubditis meritò eſſe conceſſa, & quod ad eorum conſeruationem ſe obſtrictos profiteantur.

Quod etiam quædam grauamina ſublata fuerint, Mti Reg. demiſsiſsimis verbis permagnas agimus gratias, Maior tamen pars, in quibus ſalus & incolumitas Ciuitatis vertitur, ad Regni conuentum publicum reiecta eſt. Qua in re ſummo quo poſſumus ſtudio rogamus, ne Mtas Regia nos in eas anguſtias conijcere dignetur, cum nihil Ciuitati ſit periculoſius, quam Priuilegia ſupra hominum memoriam poſſeſſa nunc demum in dubium vocare & Comitiorum cognitioni & diſceptationi ſubijcere, in quorum pacifica poſſeſsione nos cum maioribus noſtris ſemper fuimus, quæ etiam ab omnib. Anteceſſorib. Mtis veſtræ abſq; aliquo dubio & diſputatione confirmata, & ad hoc

vſque

vſque temporis momentum ſarta tecta cõſeruata ſunt. Si vero alia ratio iniri non poſsit, hoc ſaltem ſupplicibus precibus rogamus, vt nobis Mtas R. Reuerſalibus ſuis literis clementiſsimè cauere dignetur, id abſque aliquo præiudicio & detrimento noſtrorum Priuilegiorũ futurum eſſe. Nihil dubitãtes, vbi id factum fuerit, facilè aliquã rationem inueniri poſſe, qua omnes iſtæ difficultates abſque armorum ſtrepitu ſopiantur & complanentur.

Quod poſtea nobis obijcitur, in Ciuitate nihil aliud interim actum eſſe quam vt oĩa Regalia iura ex vrbe exterminarentur, vt pecunia in ſignum dominij ſingulis annis conferri ſolita non daretur, lautitia Regi venienti in vrbẽ ex Priuilegio priſco non ſuppeditarẽtur, &c. Certè ea in parte debito ſuo hactenus non defuerũt Ordines, nec in poſterum quãtum in ipſis eſt deerunt. Cæterum D. Sigiſmundus Auguſtus penſionẽ illam annuam (ratas vocant) q̃ Sereniſs: Regibus quotannis pendi ſolebat, ſimul & ſemel Ciuitati, tum cum bellum Liuonicum vrgeret, et Reipub: neceſsitas exigeret, pro credito ſeptuaginta milliũ florenorum, q̃ ſua fide Ciuitas ſub vſuris in mutuũ accepit, cum Cõſiliariorum Regni conſenſu, Succeſſorb. ſuis in eandem rem obligatis, hypothecæ loco reliquit: Sic vt maiorem partem eius penſionis in vſuras annuas Ciuitas erogaret, reliquum ad Mtis eius ærarium deferret. Quod ſi igitur de ſorte ſeptuaginta millium florenorum Ciuitati rectè ſatiſfiat, nibil obſtabit quo minus integræ penſiones, vti conſuetum erat, quotannis exoluantur.

Ad lautitia vero (ſtationem quam vocant) quod attinet, ea nunq̃ planè recuſauimus, ſed Ciuitatis ærario id perdifficile eſſe, quotan̄is etiam abſente Mtē R., ſtationē trium dierum pendere oſtendimus, & cum id antiquitus nec in hac nec in alijs Ciuitatibus fieri conſueuiſſet, vt nobis quoq; Sereniſs: R. Mtās ea in parte ſuam gratiam declarare clementiſsimè dignaretur rogauimus, ita vt non videamus, cur inſimulemur, quod omnia Regalia iura ex vrbe exterminare voluerimus, cum id nunquam ad cogitationes noſtras penetrarit.

Quod etiam humillimè rogauimus, vt Reg. Mtās, cum Ciuitatem feliciter ingredietur, comitatus ſui numerū ita moderari clementiſsimè dignetur, ne vel oneri ſit Ciuitati vel maior inde aliqua perturbatio proueniat, Id non exiſtimamus in eam partem acceptum iri, quemadmodum pròh dolor videmus, quaſi rex non aliter quam cum paucis priuatus & in ordinem redactus in vrbem admitti deberet, cum id ex debita quadam ſollicitudine nō animo lædendi vel offendendi Mtēm R. profectū ſit, ne ſtatus Ciuitatis perturbetur, quemadmodum temporibus D. Sigiſmundi Auguſti factum fuiſſe meminimus, animis præſertim nunc magis exacerbatis, quemadmodum id non ita pridem ex quorundam verbis animaduertere potuimus.

Quod etiam ea in Comitijs Regni publicis ſancita ſunt reſcindere voluerimus, nunq̃ noſtri fuit vel inſtituti vel propoſiti. Sed hoc non videmus quomodo quis nobis

vitio

vitio vertere velit, ſi rogamus, vt ea quæ in publicis Regni Comitijs in tergum noſtrum, nobis non præſentibus acta vel ſtatuta ſunt, quemadmodum in relatione negotiorum Cōmiſſorialium factum eſſe meminimus, ad cuius publicā refutationem nunq̄ admiſſi ſumus, nobis in integrum reſtitutis, reuideantur & retractentur.

Cuius generis & illud eſt, quod cum Orbinib. Regni ac eius Concilijs nihil cōmune habere velimus, cum id non alia ratione dixerimus, quam quod cum conſilijs inclyti Regni Poloniæ Status harum Terrarum & nos eorum membrum nihil cōmune habeamus, cum proprij nobis ſint Conſiliarij & concilia in hiſce Terris Pruſsiæ, ex præſcripto cōmunis Priuilegij harum Terrarum. Ad quæ concilia ſeu conuentus Sereniſs: Reges Poloniæ, quotieſcūq; de rebus has Terras concernentibus agendum eſſet, ſuos Oratores mittere, & cum Cōſiliarijs harum Terrarū conſilia de rebus Pruſsicis ſuſcipere, & res omnes cum eorundem conſilio tractare, terminare & definire, ac ita eos penes ſua iura & Priuilegia conſeruare cōſueuerunt. A paucis verò retro actis annis Conſiliarij harum Terrarum, contra tenorem cōmunis Priuilegij & cōmunia iura, ad conuentus Regni trahi cæperunt, vbi negotia Pruthenica Polonicis contra morem antiquiſsimū miſceri cæpta, & Conſiliarij harum Terrarum numero pauci, pluralitate votorum à Conſiliarijs Regni facile victi, omnibus Priuilegijs et libertatib. paulatim exuti ſunt. Quod

onus nobis præ cæteris incumbit, qui à Deo immortali et Sereniſs: Poloniæ Regibus ob noſtra et Maiorum noſtrorum incomparabilia merita, quorum nempe opera Prutheni ad inclytum Poloniæ ſceptrum vltrò ac ſua ſponte acceſſerunt, Priuilegijs & Libertatibus exornati ſumus, ita vt præ cæteris non immeritò quoq; conqueramur, Priuilegijs, iuribus & libertatibus noſtris inſigne præiudiciũ allatum eſſe. Nec arbitramur vel Mtẽm R. vel quenquã æquitatis amantem id nobis vitio daturum, quod præ cæteris id quod res eſt dicimus, & vulneribus noſtris remedium opportunum quærimus. Præter hæc cõmunionem, ex maiorum noſtrorum iureiurando & obligatione, cum Ordinibus Regni agnoſcimus & liberè profitemur.

Quod etiam dicitur, nos Regiæ Mti tantum quoad viueret, nõ Regno, etſi in eius ſortem, ſubiectionem ac titulum ex maiorum iureiurando conceſsiſſemus, fidem obſtringere voluiſſe, id nunq̃ factum fuiſſe meminimus. Et licet maximè factũ fuiſſet, non videmus tamen, cur id nobis vitio verti debeat, cum Mti R. quã Deus immortalis pro ſua diuina voluntate diu ſaluam & incolumen cõſeruet, poſt mortem obſtricti nulla ratione eſſe poſsimus, ſed ipſa neceſsitas exigit, vt nos denuo ſucceſſori obſtringamus, ſalua communione & incorporatione, cum inclyto Poloniæ Regno, in cuius titulum & ſortẽ, non vero ſubiectionem (quam Sereniſs: Regibus nos tantum debere profitemur) Maiores noſtri conceſſerunt, quam non Dominum

minum ſed membrum vnius corporis, cuius caput eſt Rex Poloniæ, agnoſcimus, & propterea non arbitramur ea re cuius à nobis nunquam tamen vlla facta fuit mentio, Regiam Maieſtatem offenſam fuiſſe.

Quod etiam humillimis precibus rogauimus, ſi poſt præſtitum à nobis iuramentum, quod Priuilegium obſeruatum non fuiſſet, vt & nos à iureiurando dato liberi eſſe poſſemus, Non eò factum eſt, quod de Mtē Regia, vel minimum dubitauerimus, ſed quod memoria repetamus, quæ hactenus Priuilegiorum & libertatum noſtrarum miſera fuerit cōditio, & quomodo in Comitijs Regni in dubium vocata fuerint, prouidere cupientes, ne in poſterum tale quidpiam nobis iterum accidat.

Quod præter iniquitatem poſtulatorum noſtrorū, illud longè iniqui⁹ ac magis impium fuerit, quod impetratis literis Salui conductus, vanitate verborum tempus extrahere, ſub tractatus tot crimina cōmitere debuerimus, Militem numeroſiorem contra conditiones Saluiconductus adſciſcendo, libellos contumelioſos Regio & Polonico nomini per Germaniam ſpargendo, carmina vt inſulſiſſimè ita petulantiſſime conſcripta de Rege ac gente Polona per ciuem noſtrum ſciente & iubente Magiſtratu in vrbe typis mandando, copijs noſtris domos vicinorum ſubditorum itidem Regiæ Maieſtatis nobilium virorum ſpoliando, Monaſterium Oliueñ euertendo, &c.

Teſtamur

Teſtamur illum cui nihil abſconditum eſt, quod poſt impetratas ſecuritatis literas militem numeroſiorem, quam qui iam collectus fuerat, non cōſcripſerimus, ſed et eum qui reliquus fuit mittere in animo habuerimus, quam primum per rationes publicas & pecuniā ad eam rem apprimè neceſſariam licuiſſet, quemadmodum etiā aliquot vna cum equitibus tum temporis exauctorauimus, Et Internuncios noſtros ad eam peragendā ſententiam noſtrā, cum debita fidei & ſubiectionis delatione ad publica Comitia Thorunium ablegauimus, ac ſi qua in parte erraſſe exiſtimari potuiſſemus, Mtēm R. quatenus ſine publica Ciuitatis infamia & ignominiæ labe fieri poſſet deprecarentur, vt ita in gratiā Mtis R. ſuſcepti omnium iſtorū malorum finis aliquando fieret. Cum vero, Internuncijs noſtris in cuſtodiam conditis noſtri nulla habita fuerit ratio, & hic præ foribus nullus rapinarum, incēdiorum, & hoſtilis conatus modus ſtatueretur, ad nos defendēdos præter voluntatem noſtram coacti fuimus, vt vim & iniuriam nobis et ſubditis noſtris, illorum vxoribus, liberis, fortunis & facultatibus illatam à nobis propulſaremus, quod nunq̃ ad eum modum in actum deducere in animo habuimus, Si miles abductus & ꝓuincia hæc pacata reddita fuiſſet, præſertim cum fidem, obedientiam & ſubiectionem debitam non detrectaremus, & nos ſaltem penes iura & Priuilegia noſtra, abrogatis quæ in contrariū irrepſerunt grauaminib. conſeruari humillimè peteremus.

Quomodo

Quomodo enim nobis militem mittere poſſibile fuerit, quorum poſſeſſiones indies incendijs & rapinis vexarentur, non tantum Mtis R. ſed cuiuſuis etiam eſto iudicium.

Ad libellos illos famoſos & carmina inſulſiſſimè ac petulantiſſimè conſcripta quod attinet, quæ etiam ad manus noſtras aliqua ex parte peruenerunt, in hac Ciuitate typis non ſunt excuſa, multo vero minus nobis mandantibus vel ſcientibus, ſed aduerſariorum potius inſtinctu alibi excogitata, & ad nos magis magisq; aggrauandos & opprimendos ſub huius Ciuitatis inſignijs forſan edita, cum Ciuitatis inſignia quouis alio in loco æque ac hîc exprimi queant. Et quemadmodum nunq̃ compertum fuit, nos res eiuſmodi tractaſſe, vel carmina & libellos famoſos in aliorum contumeliam excogitaſſe, ita etiam à typographo illius facti rationes exegimus, qui id ſub amiſſione vitæ & omnium facultatũ ſuarum à ſe factum eſſe negat, ſed alibi ficta & excogitata, & ita prælo ſubiecta fuiſſe, quod & Ciuitatis male picta & adulterina ſigna atque typi etiam ſatis ſuperq; edoceant.

Quod etiam vicinorum domibus aliquantum incõmodi allatum eſt, ipſi eius rei cauſſam & anſam præbuerunt, qui ciues & ſubditos noſtros nõ tantum hoſtili animo aggreſſi ſunt, ſed etiã in vijs publicis interceptos vinctos in cuſtodiam abduxerunt, & Ciuitatis etiam poſſeſſionibus tam publicis quam priuatis multum incõmodi ac detrimenti attulerunt, abactis tãquam ex hoſtico pecorib.

N & frugibus

& frugibus ex granarijs abductis Quod niſi feciſſent, tutò vitam & ſecurè agere potuiſſent.

Oliueñ Monaſterium quod dirutum fuerit, illius rei cauſam ipſe Dominus Abbas & antehac multoties et nunc etiam multò magis præbuit, Cum literæ in illius Monaſterio inuenirentur, in eam ſententiam pſcriptæ, vt Erneſtus VVeierus opportunum locum ſibi & ſuo militi in tempore deligeret, Cum vero locum magis opportum ad incōmodandum Ciuitati & rationibus noſtris non videremus, ſatius eſſe duximus Monaſterium illud deijcere, quam aduerſarijs omnes nobis damnum inferendi occaſiones præbere:

Quod etiam poſtremo exercitum noſtrum emittere coacti fuerimus, non tantum aſſiduis rapinis & incendijs, quibus poſſeſſiones tam publicæ quā priuatæ indies miſerè diuexabātur factum eſt, ſed etiam quod ſubditi Ciuitatis & eorum liberi abducerētur & in perpetuam ſeruitutem diuenderentur, contra nos bellum in Comitijs Inowladiſlauieñ publicè decernetur, & eorum numerus, qui nobis præ ipſis foribus ſuperbè admodū inſultabant, et ad pugnam verbis contumelia & contemptu plenis omni die prouocabant, ad nos prorſus delendos & euertendos quotidiè augeretur, Coacti tandem fuimus fortunam noſtram experiri, num ad eum modum iniuriam & vim nobis illatā à ceruicicibus noſtris & ſubditorum ppulſare & pacem diu expetitam recuperare poſſemus. Verum cum Deo peccatis

catis fortaſsè noſtris irato aliter viſum fuerit, nos pater-nam hanc ipſius caſtigationem deuotiſsimis animis accipimus & oramus, vt inpoſterum clementer nos reſpiciat, & iram ſuam, pro ſua diuina miſericordia à nobis auertat. Quod vero tum temporis Tartaros Ruſsiam vaſtare, vel Illuſtriſs: Ducem in Pruſsia id poſcere vt in gratiā Maieſtatis Reg. reciperemur, audire debuerimus, verè fateri poſſumus, nos tanquam obſeſſos, omnibus vijs & cōmeatibus intercluſis, eius rei ne minimum quidem verum argumētum vel inditiam habuiſſe, ſed ſupradictas cauſſas nos ad militis emiſsionem impuliſſe. Ex quibus omnibus colligitur nos non temeritate quadam in has calamites delapſos, ſed eò grauibus ex cauſsis deductos eſſe, atque ea propter cōfidimus & in ea ſpe ſumus certi, Sereniſs: Maieſtatem R. noſtri clementiſsimam rationem habiturā, & ſuam Regiam gratiam nobis eo magis benigniſsimè declaraturam eſſe.

Quod inſuper additur Mtī R. & omnibus notas eſſe difficultates noſtras q̄ nos premant, Nec latere Mtēm Regiam & eius Conſiliarios vbiq; à Principibus & Ciuitatibus nobis negari auxilia. Miramur ſanè cur ea in vulgus ſpargantur, quæ nunquam ad animum noſtrum admiſimus, cum nulla vnquam auxilia à Principibus vel Ciuitatibus petierimus. Neq; arbitramur, cum literas ſuas ad Sereniſs: M. R. dederint, & quid Regno Poloniæ pro veteri cum eo cōiunctione debeāt ꝓfeſsi ſint, (quo nomine

Deum immortalem precamur, vt ea coniunctio & fœderũ quæſita ratio Regno Poloniæ perpetuò ſalutaris ſit, et ad obtinendam pacem & tranquillitatem publicam ptineat) quod ſimul oſtenderint, nos auxilia ab eis vel conſilia vnquam expetiuiſſe, cum ea ratione à communione Reipub: Regni Poloniæ receſsiſſe dici poſſemus, quod vero nunq̃ factum eſſe & conſcientia nos noſtra conſolatur, & res ipſa quoque docebit.

Ac cum ipſa Sereniſs: R. Mtās has ſuas Terras & Ciuitatem ijs incõmodis affectam minimè velit, quemadmodum hoc pro ſua ingenerata elementia ſatis ſuperq́; teſtatum nobis ſua declaratione reliquit, ſupplicibus precibus humillimè rogamus & obſecramus, vt S. R. Mtās noſtri clementiſsimam rationem habere, cauſſas propter quas in has difficultates delapſi ſumus benigniſsimè expẽdere, & ſibi id de nobis perſuaſiſsimum habere dignetur, nos non eſſe eos, neque vnquam per Dei gratiam futuros, qui à cõmunione Reipub: Regni Poloniæ ſeceſsionem parare, vel rationes noſtras ab illius rationibus ſeiungere cõſtituerimus, Saluis noſtris iuribus Priuilegijs & conſuetudinibus, atque abrogatis quæ in contrarium irrepſerunt & irrogata ſunt incõmodis & difficultatibus, atq; eapropter eas rationes clementiſsimè inire dignabitur, quibus funeſtum hoc bellum et humani ſanguinis fuſio prorſus auferantur, & nos Mtī R. reconciliati fidelium ſubditorum numero habeamur, &c. Et quemadmodũ Mtī

Regiæ

Regiæ laudabilius erit beneuolentia & manſuetudine fideles ſubditos deuincire potius, quam cuiuſuis offenſionis ergô, ſpem omnem clæmentiæ Regalis præcidere, nedum atrocius quippiã in eos ſtatuere, ita nos etiam quemadmodum fideles ſubditos decet, pro fidei, obedientiæ ac ſubiectionis noſtræ debito, comparabimus, ne Mtẽm R. vnquã pæniteat, quod nobis clemẽtiam fauorem & gratiam ſuam Regiam ad eum modum impartiri dignata fuerit.

Omnino ſperantes Sereniſſ: R. Mtẽm omnes offenſas clementiſſimè ſepoſituram, & nos gratia ſua Regali benigniſſimè complexuram eſſe, Quod vt cum cõmuni totius Reip. bono fiat Deum ardentiſſimis votis precamur, vtq́ hoc diutius Sereniſſ: M. R. pro cõmuni Reipub: ſalute amplificanda promouendaq́, ſaluam, incolumem atq́ florentem conſeruet, oramus.

Literæ ad Conſiliarios in caſtris agentes.

R*Euerendiſſimi, Illuſtres, Magnifici, ac Generoſi Dñj, &c. Quam infelici fato Ciuitas in eas quibus nunc laborat difficultates deuenerit, manifeſtius eſt Reuerendiſſ: Illuſt: Mag: ac Gen. Dom. veſtris, quàm vt pluribus hoc loco verbis indigeat. Nos quidem nihil magis in votis habemus, quàm vt rebus pacificè cõpoſitis, in vniuerſum publica tranquillitas reſtituatur, ac vti iam antea, ſaluis iuribus noſtris, nihil omnino quod ad fidem,*

officium noſtrum, & æquitatem ipſam pertineret detrectauimus: ita nunc etiam Sacræ R. M^{ti} D^{no} noſtro clementiſſimo ſubiectionem & obediētiam ijs rationibus humilimè obtulimus, quibus ſperamus trāquilliorem ſtatum haud difficulter poſſe recuperari. Quam ad rem cum plurimum momenti Reuerēdiſſ: Illuſtriſſ: Mag. & Gen. D. veſtræ poſſint afferre, facere non debuimus, quin illarum etiam ſtudium, authoritatem, & patrocinium, pro Ciuitatis incolumitate benignè tuenda, literis hiſce noſtris imploraremus. Experti quidē ſumus iam antea, nonnullos ex ipſis (quod cum omnium gratia dictum ſit) qui priuatis forſan offenſionibus ducti non optimè nobis voluerunt, rebus noſtris non parum obſtitiſſe.

Veruntamen non dubitamus, propter communem Reipublicæ ſalutem, de cætero benigniorem eos animum ad pacis ſtabiliēdæ ſtudium allaturos: præſertim ſi, quod perquàm reuerēter rogamus, auctoritate cæterorum amicè fuerint admoniti. Quapropter in vniuerſum Reuerendiſſ: Illuſtriſſ: Mag. & Gen. Dom. veſtras quàm poſſumus diligentiſſimis verbis obſecramus, vt pro conſeruanda Ciuitatis ſalute & incolumitate, in medium clementer conſulere, ſi quid eſt priuatarum offenſionum id tranquillitati publicæ condonare, demum ipſius Regiæ Maieſtatis animum ad clementiam & manſuetudinem potius erga fideles ſubditos, quam vlteriorem aliquam offenſionem permouere dignentur. Cuius rei facilius obtinendæ ſpem

quemad-

quemadmodum in Earundem benignitate maximè repoſitam habemus: ita nos omnes iſthoc paternæ propenſionis beneficio, ad omnium quæ noſtræ facultatis erunt obſequiorum ſtudia longè ſibi reddent deuinctiſsimos. Quas benè feliciterq́; valere peroptamus. Datum Gedani die xxvj. Iunij Anno M. D. Lxxvij.

ADmiſsis in conſpectum Inecernuncijs, & precibus illorum auditis, Regia Maieſtas in hanc fermè ſententiam reſpondit.

NIhil à vobis vel æqui vel iuſti poſtulatũ eſt, quod nõ etiam clemẽter cõceſſerimus, vt ex omnibus priorib. actionibus apparet. Quemadmodum autem Ciuitas illa ſe in præſens hoc & extremum diſcrimẽ cum Reipub. detrimẽto, incõmodo Regni, noſtræ etiam dignitatis diminutione pcipitau erit, id palàm eſt omnibusq́; notiſsimum. Quæ vero tantæ calamitatis ſit cauſſa non inelligimus, pſertim cum inclytum hoc Poloniæ Regnum non hoſtiliter aut vi, ſed ſingulari Dei beneficio vnanimi omniũ cõſenſu pacatè occupauerimus, & ab omnibus Regni Ordinib. ita excepti ſimus. Ciuitati iſti ſoli quid obſtiterit quod debiti officij memor non fuerit, debitamq́; fidem præ cæteris omnibus detrectauerit, non videmus, Nam quod de Priuilegiorum & iurium cõfirmatione ptenditur, ſcimus q̃ Bidgoſtiæ tractata ſint, quorũ etiam Ciuitas meminiſſe poteſt. Sin vero Ciuitati ea in re non ſatiſfactum (quod nõ cenſemus) certè iſta non ſunt iuſta & legitima media, quibi iura & Priuilegia ſolent conſeruari: velle ſcilicet ea à Regibus armata manu extorquere.

Præ-

Prædeceſſores veſtri ea Priuilegia non vi aut armis, ſed obſequijs & benemeritis, ab Anteceſſorib. noſtris D. Poloniæ Regibus impetrarũt, ita & vos ea conſeruare debuiſtis, non ea ratione, vt factum eſt, tranquillum hoc Regnum, pacatamq́; Prouinciã turbare, tantoq́; afficere damno. Quid autem ea re effectum, & in quas difficultates & anguſtias Ciuitas coniecta ſit, illi experiuntur, qui adhuc ſuorum ſanguine quaſi madefacti præſentem calamitatem deplorant. Magisq́; experientur, ſi in hoc propoſito perſtiterint ſuiq́; officij memores non fuerint. Cum quibus iſta ſit vobis contentio, animo bene perpendite, Contra eos arma ſumpſiſtis, quibus cum Prædeceſſores veſtri vixerunt coniunctiſſimi, à quibus ea Ciuitas pluribus beneficijs ornata, & ad florentiſſimum illum ſtatum, in quo fuit, elata fuit. Quanto autem hæc fiant cõmodo, præſens hic triſtis Reipub. ſtatus teſtatur, per quem non ſolum florẽtiſſima hæc Prouincia: ſed ipſa quoque Ciuitas, quæ non immerito Regni ornamenta dici poſſunt, depopulationibus deuaſtantur & euertuntur.

Cum tamen Ciuitas illa non poſſit à quoq̃ tantis beneficijs q̃ ab inclyto hoc Poloniæ Regno affici, cui ſi cõiuncta fuerit, præter alia plurima cõmoda, & propugnaculum Regni munitiſſimum dici poterit. Vt enim difficile vobis foret Lubecam Ciuitatem maritimam, reſiſtente toto Imperio Romano, ſuperare: Sic certè longè difficiliꝰ Ciuitatẽ Gedanẽſem quis inuitis Polonis capiet. Sin verò

diſiuncta

diſiuncta & ſeparata à Regno fuerit, deſolata iacebit, nec à Dano vel alio quoq; ita ſeruari & ornari poterit, quemadmodum nos eam ornare & beneficÿs Regÿs afficere cõſtitueramus, niſi ipſa contra propria cõmoda laboraſſet, ſibiq; in ea re obſtitiſſet.

Per Legatos noſtros, quo animo in Ciuitatẽ ſimus, nuper ſignificauimus, gratiam noſtram Regiam obtulimus, quam & nunc, modò reſipueritis, deferimus. Quàm graue imò & impoſſibile vobis futurum ſit bellum hoc, eiusq; onera contra ampliſſimum Poloniæ Regnum ſuſtinere, quisq;, modò ne ratione careat, intelligit, Et ſi negocium hoc ad extrema deuenire ſinetis, Aut Ciuitas ampliſſimo hoc Regno potietur, & nos ante eam (quod Deum Opt. Max. non conceſſurum ſperamus) ſuccumbemus, Aut ea tandem ad officium debitum & ſubiectionẽ redigetur. Licet enim Ciuitati iam de rebus omnibus neceſſarÿs, etiam ad quinque vel ſex annos ſatis proſpectum fuerit (quod tamen non credimus.) Tamẽ ea omnia ſucceſſu temporis diminuẽtur, Eueniet q; illud imperat: Reſpõſum Athenienſib. datum. Cui cum ab Athenienſib. nunciatum eſſet, ſe adhuc ad decem annos & annonam et neceſſaria vitæ habere, Reſpondit vndecimo tamen anno vos capiam. Itaq; monemus & pro officio noſtro paternè hortamur vt reſipiſcatis, & ab hoc propoſito deſiſtatis, quod ſi feceritis, de gratia noſtra Regia non eſt quod amplius dubitetis

Hic Internuncij Regiæ Mti, pro clementiſsima illa ſuæ mentis declaratione humilmas egerunt gratias, Ciuitatem multis rationibus excuſando, quod ea omnia, quæ hactenus geſta ſunt, non alio quam conſeruãdorum Priuilegiorum ſuorum & iurium propoſito facta ſint, Mti Reg. ab aduerſarijs noſtris aliud perſuaſum eſſe: ſubiectiſsimè ſupplicantes, vt S. R. Mtas Ciuitatis innocentiã clementiſsimè attendere, eamq́ in gratiam & protectionẽ Regiam benigniſsimè ſuſcipere dignetur.

Ad ea Maieſtas Regia reſpondit.

Miramur ſanè, cur de gratia noſtra & clementia adeò dubitetis, quam tamen toties in hiſce tractationibus experti eſtis, & per vos tantum ſteterit, quo minus negocium iſtud ad diu optatum finem perductum ſit. Quod culpam illius rei in quoſdam Senatores confertis, reipſa aliud experimur, dum manifeſtè apparet, quò actiones veſtræ directæ ſint. Quamuis enim, vt Principem et Regem decet, Senatorum vota præſertim in tantis negocijs libenter audiamus, Tamen ne exiſtimetis nos ita ex illorum pendere arbitrio, vt alicui ex priuatis affectionibus damnum vel detrimentum inferre patiamur. Quare vt reſipiſcatis, & quid veſtri ſit officij, diligenter perpendatis, ſedulò monemus.

Rurſum per Internuncios varia de Aduerſariorũ priſtinis conatibus adiecta ſunt, humilima cum ſupplica-

tione.

tione, vt S. R. Mtãs ea nõ alio q̃ pro ſumma Ciuitatis defenſione dicta clementiſſimè interpretari, & voluntatem ſuæ propenſionis erga Ciuitatẽ ita declarare benigniſſimè dignaretur, vt eius innatam et ab omnibus prædicatã clementiam & Regiam gratiam, cum omnibus alijs inclyti Regni Poloniæ membris & nos in conſeruatione Iurium & Priuilegiorum noſtrorum experiri poſſemus.

Sacra Regia Mtãs reſpondit.

G*Ratiã noſtram certò ſperare debetis, modò id, quod ſubditos decet feceritis, eoq́ redieritis, quò præter officium veſtrũ digreſſi eſtis, hoc eſt: Si Ciuitatẽ ad priſtinã tranquillitatem reſtitueritis, arma depoſueritis, & militẽ dimiſeritis, & quod Ciuis eſt officium, debitam ſubiectionem & fidem profeſſi fueritis, Hoc ſi feceritis, præſentibus hiſcè difficultatibus liberabimini, & gratiam noſtrã indubitatè experiemini. Et hoc eſt finale noſtrum reſponſum. Et quamuis hîc per Internuncios humilimè iterum ſupplicatum eſt, vt S. R. Mtãs, attento hoc tam difficili Ciuitatis ſtatu, eandem benigniore animo & tolerabilioribus conditionibus clementiſſimè in gratiam R. ſuſcipere dignaretur: Tamen in priſtina ſententia perſtitit. Et ſic per Internuncios pro conceſſa audientia humilimæ ſunt actæ gratiæ, ſimulq́ ſcriptum ſuperius recenſitum quo innocentia Ciuitatis latius demonſtratur, obtulerunt. Quo accepto, & ſalutata Mtẽ Regia, diſceſſum eſt.*

Literæ Sereniſs: Regiæ Maieſtatis, Salui conductus loco noſtris Internuncijs ad reſponſum finale mittendum datæ.

Stephanus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsię Pruſsię Maſoviæ Samogitiæ &c. Tranſyluaniæque Princeps.

Significamus tenore præſentium quorum intereſt vniuerſis & ſingulis, Quia ad interceſsionem conſiliariorum noſtrorum damus Ciuitati Gedanenſi facultatem ac Saluum conductum nuncios ad nos mittendi cum finali reſponſo de pacata reddenda Ciuitate, milite dimittendo, ſubiectione facienda iuxta declarationem voluntatis noſtræ illi per legatos noſtros factam, ac in ſpem certam gratiæ noſtræ, ita vt illis per eoſdem legatos noſtros & noſ ipſos declaratum eſt, Ita vt tuto & libere venire ac redire poſsint, idq́; ad vigeſimam octauam diem menſis præſentis incluſiuè, Intra quod tempus obſeruari etiam volumus vt milites noſtri in ſuis munitionibus & foſsis qui ſunt in propinquo vrbis ſe contineant: Et ſimiliter etiam Gedanenſes in ſuis mœnijs, ac ex noſtris munitionib. in vrbem, & ex vrbe in munitiones noſtras à iaculationibus abſtineatur. Quamobrē id ad vniuerſorum noſtrorum officialium.

lium ſubditorũ ac militum noticiam deducimus, vt hunc noſtrum Saluum conductum præfatis nuncijs quoſcunq; miſerint conſeruent. Pro gratia noſtra & ſub pœnis in violatores Salui conductus noſtri ſancitis. Datum in Caſtris ad Gedanum die xxvj. menſis Iunij Anno Domini 1577. Regni vero noſtri anno Secundo.

Stephanus Rex.

Literæ Senatus ad Magnificum Dominum Ioannem Zborouium.

MAgnifice Generoſe ac plurimum gratioſe Domine, Magnificam Dom. veſtram latere nolumus, nos ex Internunciorum noſtrorum relatione et tenore ſummiſſimarum literarum ſecuritatis ſatis ſuperq; cognouiſſe, quæ ſit Maieſtatis Regiæ ſententia & voluntas, et quid à nobis præſtari cupiat. Cum vero rerum noſtrarum vſus expoſcere videatur, vt Mtĩ ipſius Reg. per Internuncios noſtros ad ea omnia reſpondeamus; quod cras, Deo benè iuuante, circa horam decimam, Internuncijs loco conſueto ſuſcipiendis, futurum confidimus: Mag. & Gen. Dom. veſtram maiorem in modum rogamus, vt voluntatẽ Mtis Regiæ, num ea hora Internuncios noſtros audire benigniſſimè velit, perſcrutari, & id nobis per præſentem tubicinem haud grauatè ſignificare dignetur. Et cum hodie quoque præter ſpem & voluntatem noſtram atque ipſas ſecuritatis literas vtrinque maioribus ex tormentis deto-

tonatum ſit, Nos facti illius rationes à tormentorum no-ſtrorum præfectis exegimus, qui narrant, cateruam quã-dam Maieſtatis R. peditum, aciem in ipſorum conſpectu ſub ipſis quaſi tormentis, propoſito vexillo, explicaſſe, eoq́ ſe permotos fuiſſe, ipſos tormentis propellere & ſubmoue-re, ita vt non exiſtimemus, id factum præter voluntatem noſtram admiſſum Internuncijs noſtris periculo futurum eſſe, Atque eapropter rogamus, vt nobis declarationẽ aliq̃, vel nouas potius publicæ fidei literas mittere velit, præſer-tim cum videamus, inducias non ad eum quo conueniebat modum, ab illa parte obſeruari, cum Hungari hodie qui Haiduci vulgo appellantur Scapham ex Motla fluuio ex-traxerint, & eam ſuis vſibus deſtinare velint. Quod vt illis Magnifica Dom. veſtra interdicat maximoperè roga-mus, ne inde alicuius turbæ occaſio proueniat. Et nos eam diligentiam ſtudium atque laborem perpetuo promereri conabimur. Datum die xxvij. Iunij Anno 1577.

Stephanus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsię Pruſsię Maſouiæ Samogitiæ &c. Tranſyluaniæque Princeps.

Signifi-

Significamus tenore præſentium, quorum intereſt vniuerſis. Quia cum heſterna die à militibus Gedanenſium contra conditiones Salui conductus eiaculatio cœpta eſſet, idque Gedanenſes inſcijs ipſis factum demonſtraſſent, ne quæ dubitatio inde illis oriatur, de Saluo cõductu nunciorum mittẽdorum eis ad hodiernum diem incluſiuè conceſſo, hanc nos pro clementia noſtra & ad interceſsionem certorum Conſiliariorum noſtrorum tollendum declarandumq́ putauimus, Saluum cõductum illum firmum manere debere, habereq́ illos à nobis plenam & omnimodam ſecuritatem, nuncios ad nos mittendi die hodierna cum finali reſponſo, de pacata reddenda Ciuitate, milite dimittendo, ſubiectione facienda, iuxta declarationẽ voluntatis noſtræ illis per Legatos noſtros factam ac in ſpem certam gratiæ noſtræ, ita vt illis per eoſdem legatos noſtros, & nos ipſos declaratum eſt, ita vt tuto & liberè venire ac redire poſsint, idq́ die hodierna incluſiuè. Intra quod tempus obſeruari etiam volumus, vt milites noſtri in ſuis munitionibus & foſsis qui ſunt in propinquo vrbis ſe contineant, & ſimiliter etiam Gedaneñ in ſuis mœnijs, ac ex noſtris munitionibus in vrbem & ex vrbe in munitiones noſtras à iaculationibus abſtineatur. Quamobrem id ad vniuerſorum noſtrorum Officialium ſubditorum ac militum notitiam deducimus, vt hunc noſtrum Saluum conductum præfatis nuncijs quoſcunque miſerint conſeruent.

Pro

Pro gratia noſtra & ſub pœnis in violatores Salui conductus ſancitis. Datū in Caſtris ad Gedanum die xxviij. menſis Iunij Anno Dñj 1577. Regni noſtri anno 2.
Stephanus Rex.

DIE itaque Iunij vigeſima octaua, ijdem qui antea fuerant Internuncij, cum ſequentibus mandatis, in caſtra denuò mittuntur.

Inſtructio eorum quæ Sereniſs: Mtī Regiæ Ciuitatis Gedaneñ Internuncij Strenui, Spectabiles, Clariſsimi ac Famati Dñj & viri Ioannes Proit Eques auratus & Proconſul, Ioachimus Eler Conſul, Henricus Lemke I. V. Doctor & Syndicus, Hieronymus Fick Scabinus, & Ciriacus à Vechteld è Centumuirorum numero, debita cum obſeruantia exponere debebunt.

POſt debitam declarationem, fidei, obedientiæ & ſubiectionis noſtræ, Sereniſs: Reg. Mtī D. Internuncij noſtri demiſsiſsimis verbis exponent, quod Internuncij, qui non ita pridem, ea quæ à nobis in mandatis habuerūt Mtī Regiæ debita cum venerationis obſeruātia propoſuerunt. Ciuitatis Ordinib. & reliquis omnib. quorū quoquo modo

modo intereſt fideliter explicauerint, quod poſtea queq; ex ſecuritatis ad nos tranſmiſsis literis plenius intellex imus, quid nuper actum, quomodo Mtās R. eos non tantum ad priuatum colloquium clementiſsimè admiſerit, ſed Regiã quoque ſuam gratiam omnibus huius Ciuitatis incolis benigniſsimè offerre dignata fuerit, quo nomime Sereniſs: Mtī R. Dom. Internuncij noſtri humillimis verbis immortales agent gratias, Et ſubmiſsè ac ſupplicibus precib. iterum rogabunt, dignetur Sereniſs: R. Mtās noſtri & cõmunis Ciuitatis clementiſsimam habere rationem, & ea remedia benigniſsimè admittere & adhibere, quib. funeſtum hoc bellum & cõmunis Terrarum calamitas è medio tolli, & Mtī Reg. omnes Ciuitatis incolæ, bona cum gratia, ſublatis omnibus & ſingulis quæ hactenus exortæ ſunt offenſis, reconciliari poſsint, Ac quemadmodum Sereniſs: Mtēm R. ſingulari quadam clemẽtia erga has Terras & hanc præcipuè Ciuitatem tanquam ſingulare Regni ornamentum permotam eſſe intelleximus, vt eius excidium & interitum præcauere potius, q̃ cauſam & anſam eius aliq̃ pbere velit, ita D. Internuncij quoq; pſentes, in quas pròh dolor incidimꝰ difficultates & incõmoda deplorabunt, et nihil magis nos à Deo ĩmortali expetere dicent q̃ vt quãtocius bona cum Mtīs R. gratia penitus ſopiãtur & complanẽtur. Oſtendent ante hac quoq; temporibus D. Anteceſſorũ ratione Iuriumet Priuilegiorũ controuerſiã non ſemel exortã eſſe, ſed eam ob cauſam bellum Ciuitati nunq̃ illatum fuiſſe, quẽadmodum nunc cum totius Prouinciæ

P *uinciæ*

uinciæ malo fiat. Imperiũ auſpicante D. Sigiſmundo Auguſto Rege laudabilis memoriæ, de iuriũ & Priuilegiorũ indemnitate & cõſeruatione in quartum vſq; annũ actũ, & iuramenti etiam præſtationẽ tantiſper dilatam fuiſſe, ſed propterea non tantum armis non decertatum eſſe, ſed ne ſuſpitionẽ quidem aliquam de fide et ſubiectione noſtra incidiſſe, cum ita nos ſemper cum Maioribus noſtris geſſerimus, ne aliq̃ de nobis ſuſpicandi anſam eo nomine vnq̃ præberemus, Quemadmodum & hoc tempore ne minimũ quidẽ indicium alicui⁹ ſeceſſionis aut perfidiæ nos ꝓbuiſſe ſcimus, vt arma propterea nobis intẽtari debuerint, ſicuti cum harum Terrarum & huius Ciuitatis exitio fermè factum eſt, cum ſubiectionẽ nunq̃ detrectauerimus neq; nunc etiã detrectemus, multo vero minus aliorum Principũ auxilia implorauerimus, vel ſeceſſionem ab vnione cõmunis Reipub. parare conſtituerimus, Eamq; ob Cauſam D. Internuncij noſtri demiſſiſſimis verbis rogabunt et obſecrabunt, ne nos Mtãs R. armis amplius pſequi, ſed ea potius remedia adhibere clemẽtiſſimè dignetur, quibus in grãm Mtis R. ſuſcepti fideliũ clientũ ac ſubditorũ numero habeamur, qui ſuam obedientiã & ſubiectionẽ Mti eius R. ita ꝓbare cõſtituerint, ne de illorũ fide & integritate vllo vnq̃ tempore vel minimũ dubitare poſſit, modo nos penes Priuilegia, iura, & antiquas benè receptas cõſuetudines, abolitis quæ in cõtrarium irrepſerunt grauaminibus, conſeruare clemẽtiſſimè dignetur, quod vt benigniſſimè faciat D. Internũcij diligẽtiſſimis verbis humillimè rogabũt.

Ad

Ad propoſitas deinde conditiones, vt per Internuncios noſtros finaliter reſpondeamus, ac in primis de pacata reddenda Ciuitate & milite dimittẽdo D. Internuncij dicent, nos iam pridem ab eo tempore quo Internuncios noſtros Thorunũ ablegauimus, in animo habuiſſe, vt militem mitteremus, & nos eo onere liberaremus, niſi nobis eum retinendi occaſio, aſsiduis rapinis, incendijs, & alijs hoſtilitatis generibus, præ ipſis quaſi foribus data fuiſſet, quẽadmodũ adhuc quoq; indies magis magisq́; pròh dolor, videmus, Quæ occaſio ſi iamdiu oblata fuiſſet, nihil gratius nobis accidere potuiſſet quam ijs ſumptibus carere & priſtino tranquillitatis ſtatu perfrui, quẽadmodum in ea quoq; ſentẽtia etiãnum pſiſtimus, Atq; eapꝑter D. Internuncij noſtri demiſsiſsimis verbis ſupplicabunt, vt eã nobis ſpem ſuæ gratiæ Sereniſs: M. R. clementiſsimè facere dignetur, vt miles ea q̃ fieri poterit opportunitate ex Prouincia abducatur, & noſtro nĩe viciſsim recipient & fidẽ ac honorẽ obſtringẽt, nos quãprimum eo metu liberati fuerimus, et liberum Priuilegiorũ ac libertatum vſum obtinuerimus. oẽm daturos operã, vt bonos & honeſtos viros decet, vt quãprimum per æris & tẽporis rationes licuerit, militem abſq; aliqua mora mittamus & Ciuitatẽ pacatam reddamus, Militem enim hoc ipſo momẽto mittere rem eſſe planè impoſsibilẽ ipſa S. R. M. pro ſingulari ſua prudẽtia ac ſapientia melius, q̃ nos ipſi, nouit, quid ad eam rem cõmodè pficiendam requiratur et multifariã ptineat intelligit Neceſſe enĩ eſt vt pecunia cogatur, rationes conferãtur, tempus ſtipẽdijs aſsignatum expectetur &c. neq; exiſtimamꝰ M. R. nos ad ĩpoſsibilia, quorum ipſo iure nulla eſt obligatio, adacturam eſſe.

Et

Et licet Mtās R. ſuum militem abducat & in alium locū transferat, noſtro non per omnia miſſo, cum id ob ſupra dictas cauſſas tam ſubitò fieri nequeat, nihil tamen ea in re erit periculi vel damni, cum nihil per fraudem aut malitiam agere conſtituerimus, neque militem initio quenq̃ lædendi ſed noſtri tantū defendendi gratia cōſcripſerim⁹.

Similem quoque ſubiectionis noſtræ facendæ eſſe rationē D. Internuncij dicent, & nihil nos tam cupiuiſſe antehac et nunc etiam cupere, quam vt de ſubiectione noſtra certi eſſe poſsim⁹, nec in nobis quidq̃ deſiderari paſſuros eſſe, modo Sacra R. Mtās ex ſingulari gratia & ingenerata Regia clementia proſcriptionis Decretum, & omnes quoquo modo contractas offenſas tam publicè quam priuatim tollere & auferre, & nos de libero Religionis Priuilegiorum libertatum & conſuetudinum vſu, abrogatis quæ in contrarium irrepſerunt grauaminibus, tutos reddere clementiſsimè dignetur. Et cum Sereniſs R. Mtās ſuæ gratiæ & clemētiæ optimam ſpem nobis tam per Internuncios quam etiam tranſmiſſas ſecuritatis literas facere dignata fuerit, D. Internuncij demiſsiſsimè ſupplicabunt, vt ſaltem ante iuramenti præſtationem nobis Reuerſalibus ſuis literis id cautum eſſe velit, vt vbi iuſiurādum præſtiterimus, & ſubiectionē fecerimus, nobis Auguſtanæ Confeſsionis Priuilegiorum & libertatum vſum liberum eſſe debere; ne de earum cōſeruatione dubium aliquod hæreat, Cum abſque ea cautione impoſsibile ſit vniuerſos.

uerſos Ciuitatis incolas, qui nihil magis quam liberũ Religionis & Priuilegiorum vſum expetunt, ad faciendam ſubiectionem & præſtandum iuramentum perducere. Nihil dubitantes quin Sacra R. Mtãs ea in re nobis gratiam & clementiam ſuam Regiam benigniſſimè declaratura ſit, vt Deo benè iuuante, per eam cautionem omne, quod hactenus controuerſum & dubium quoquo modo fuit, è medio tollatur, & toti Prouinciæ ac Ciuitati quam optime conſulatur.

Induciarum etiam nomine, quas nobis Sereniſſima R. Mtãs ad reſponſum per Internuncios adferendum clementiſſimè concedere dignata eſt, D. Internuncij humillimis verbis permagnas & immortales agent gratias. Cum vero laterna cum portu, cuius nobis non minor quam Ciuitatis ratio habẽda eſt, excluſa prorſus fuerit, D. Internuncij demiſſiſſimè ſupplicabunt, dignetur Sereniſſ: R. Mtãs Priuilegiorũ noſtrorũ & per omnia clementiſſimã rationem habere, & liberum nauigationis vſum minimè prohibere, Quin potius Erneſto VVeiero interdicere, vt ab omni hoſtilitate aduerſus nos abſtineat, Alioquin paruam de noſtrorum Priuilegiorum conſeruatione ſpem ſuperfuturam, ſed hæc cogitatio ſenſus afficiet, cum hîc induciæ ſint, ibi vero abſq; aliqua intermiſſione premamur, non eandem Priuilegiorum & tranquillitatis haberi rationem, non vbique pacis rationes integras eſſe. Atq; eam ob cauſam iterum atque iterum demiſſiſſimis verbis ſup-

 plicabunt,

pliċabunt, ac ſubmiſsè rogabunt, vt ea demum remedia adhibere Sac. R. Mtās clementiſs: dignetur, quibus omnes offenſæ & difficultates prorſus tollantur, & pax & trāquillitas publica per Dei gratiam quam primum reſtituantur. In quorum omnium fidem &c. Sigillum quo omnes Ordines vti conſueuerunt appreſſum eſt. Datum Gedani die xxviij. menſis Iunij Anno Dnj 1577.

AD ea Magnificus Dominus Procācellarius his ferè verbis reſpondit. Quæ Sacræ Regiæ Mtis ſit voluntas ex Internuncijs & oratione Regiæ Mtis percipere potuiſtis. Licitando nihil proficietis. Conditiones accipere non ferre debetis. Niſi Ciuitatem pacatam reddideritis, Militem demiſeritis, Iuramentum præſtiteritis, & portas aperueritis, nihil ſperandum eſt vobis, Et S. Reg. Mtēm eam oportet inire rationem, quæ dignitati Regiæ Reipub. præſentiq́ negotio conueniat.

Ex quibus cum Ordines intelligerēt in priori propoſito perſeuerari, quod tale erat, vt Ciuitas in gratiam R. Mtis ſeſe dederet, neque conſtabat qualis iſthæc gratia futura eſſet, Priuilegiorum enim ac libertatum indemnitati adeò non proſpiciebatur, vt in dubium apertè reuocarentur, viſum fuit ad R. Mtēm denuò literas mittere, quarum exēplum paulò poſt ſequitur. Etenim ſi deinceps eodem quo iam antea modo, Ciuitas hoſtilia pati cogeretur, nihil minus, q̄ R. Mtis gratiam, ſperandum videbatur.

Quinimò

Quinimò manifeſtè apparebat, à perpetuis aduerſarijs noſtris hoc ſaltem vnum agi, vt quibus animis iam ab exordio rerum harum à cõmunione Ciuitatem expulerunt, nec membri sui vel loco dignari voluerunt, iiſdem etiam Maiorum noſtrorum exiſtimatione, Priuilegijs & libertatibus ſpoliarent, ac hoſtili machinatione funditus tandem fortunis omnibus euerterent. Quibus ſi non meliora Ciuitati eſſent expectanda, nõ rebantur Ordines ſibi vitio verti poſſe, nedum ad rebellionis vel perfidiæ crimen trahi, Si perpenſis rerum omnium difficultatibus, & periculis extremis, alia ſequi conſilia cogerentur, quæ, tranquillo Regni & Prouinciæ totius ſtatu, ſaluis etiam iuribus ſuis aliàs defugere maluiſſent.

Literæ ad Maieſtatem Regiam perſcriptæ tales erant.

SErenißime Potentißimeq; Rex ac Domine Domine clementißime. Sereniß: Mtĩ veſtræ fidelißima ſubiectionis noſtræ obſequia animis vt debemus paratißimis ſubmiſsè deferentes, omnia glorioſißimæ gubernationis incremẽta humillimè comprecamur. Serenißime Rex ac clementißime Domine, Cum Serenißima Regia Maieſtas veſtra non ita pridem à nobis per Internuncios noſtros finale Reſponſum exegerit, num conſtitutum haberemus iuſiurandum dare, militem mittere, & pacatã Ciuitatem reddere, & nobis nihil potius vnquam fuiſſet,

quam

quam pacem & tranquillitatem publicam retinere, ſummis adnixi ſumus viribus, vt ita ſententiam noſtram diceremus, ne Sac. Mtēm R. offenderemus, ſed vt omnia illa, quæ hactenus fuerunt dubia atque controuerſa, per DEI gratiam, & Mtīs veſtræ ingenitæ benignitatis indulgentiam tandem ſopirentur & cōplanarentur: Eamq; ob rem eam eſſe noſtram ſententiam humillimè oſtendimus, quod fidelitatis iuramētum præſtare cuperemus, modo proſcriptionis Decretum, cum reliquis quæ hactenus interceſſerunt offenſis, tollerentur, et nobis de libero Religionis iurium, Priuilegiorum, libertatum & antiquarum bene receptarum conſuetudinum vſu idoneè caueretur.

Simili ratione de ſecundo diximus, nos nihil magis in votis habere, quam vt prima quaq; data opportunitate Ciuitatem pacatam redderemus, & militem mitteremus, modo præſens belli terror auferretur, et nobis id per temporis & calculi rationes facere omninò eſſet integrum. Atque certam ſpem conceperamus eorum & à Mtē veſtra Regia & Dominis Conſiliarijs eam rationem habitum iri, qua, recuperata Mtīs veſtræ gratia atque clementia, omnes & ſingulæ offenſæ & armorum hic ſtrepitus tollerētur, & pax atque tranquillitas per omnia, Deo inprimis iuuante, reſtituerentur.

Verum præter omnem ſpem & expectationem, nō ſine ingenti omnium noſtrum dolore accidit, quod per Internuncios noſtros id reſponſi nobis allatū ſit. Licitando

nihil

nihil nos profecturos, & nullam ſpem ſupereſſe, niſi abſq; mora iuſiurandum daremus, pacata reddita Ciuitate militem mitteremus, & portas Ciuitatis panderemus. Quam autem nobis ſit poſsibile fidelitatis iuramentum præſtare, anteq; proſcriptionis Decretum cum reliquis offenſis tollatur, & nobis de iurium, Priuilegiorum, & libertatum vſu ſufficienter caueatur, ipſa Sacra R. Mtas veſtra pro ſingulari ſua Regia prudentia facilè intelligit. Priuilegia maiores nostri non ære aliquo, ſed ſanguine ſuo redemerunt, quæ non ita noſtra ſunt, vt ea pro libitu noſtro negligere & proijcere poſsimus, ſed quemadmodũ nobis maiores noſtri eorum vſum ad fideles manus tradiderunt, ita & nobis ex iureiurando noſtro omni ope & opera eniti conuenit, vt eorum liberum vſum & participationem ſimiliter poſteris noſtris tradamus, niſi velimus vt omnia dira & maledicta in nos congerant, quod in libertate poſiti, Priuilegiorum & libertatum decentem rationem nõ habuerimus, ſed ipſis perpetuum ſeruitutis iugum impoſuerimus.

Liceri quoque contra Mtem veſtram non cupimus, neque ei vllas conditiones præſcribere, ſed humillimè ſaltem rogamus, vt penes ea conſeruemur, quæ Maioribus noſtris non à quoq; data vel donata ſunt, ſed quæ ipſi ſecũ ad inclytum Poloniæ Regnum vltrò ac ſua ſponte, maximo cum Terrarum omnium emolumento, attulerunt, in quorũ etiã libero vſu nobiſcum ſuis poſteris longè ſupra

Q hominum

hominum memoriam fuerunt, quæq; ipſis ab omnibus D. Anteceſſoribus Regibus Poloniæ abſque aliqua cunctatione confirmata ſunt.

Si quapiam in re vel erraſſe, vel officij noſtri metas tranſcendiſſe à Mtē veſtra R. exiſtimari poſſemus, vt propterea eorum vſus & confirmatio nobis negari debeat, quod neutiquam tamen factum eſſe putamus, nos certè in rebus ijs omnibus quæ quoquo modo ad recōciliandum animum Mtis veſtræ pertinere potuerunt, in nobis nihil deſiderari paſſi ſumus, Nam Internuncios noſtros ad publica Thorunen Comitia ablegauimus, vt quatenus ſine Ciuitatis infamia & ignominiæ labe fieri poſſet, in omnium Statuum & Ordinum totius Regni ac reliquarum Prouinciarum præſentia & conſpectu humillimè deprecarentur, qua in ſententia etiamnum perſiſtimus. Simili ratione Mti veſtræ Reg. fermè omnes facultates noſtras vtpote ducenta florenorum millia humillimo ſtudio obtulimus, in nullum alium finem, quam vt Mtēm veſtram placare & omnibus enatis difficultatibus ſupremam tandem manum imponeremus.

Coram ipſo Deo nos conſcientia noſtra conſolatur, quod eam anſam nunquam præbuerimus, qua nobis Priuilegiorum & libertatum noſtrarum vſus negari vel interdici debeat, cum à cōmunione cōmunis Reipub. Regni Poloniæ ſeceſſionē parare, vel rationes noſtras ab eius rationibus ſeiungere, multò vero minus Mtēm veſtrā R.

lædere

lædere nunquam in animum induxerimus. Ad ea omnia quæ præter ſpem & expectationem noſtrā acciderunt, nobis ſatis cauſæ, ſatis irritamentorum datum eſt: ita vt nō videamus cuius rei pcipuè inſimulari poſſimus, niſi quod electioni Mtis Cæſareæ, propter bonum publicum, aliquāto diutius quam cæteri inſiſtere coacti fuerimus, & quod liberum Priuilegiorum noſtrorum vſum humillimo ſtudio petierimus. Quod antehac quoq; factum eſſe meminimus, præſertim temporibus D. Sigiſmundi Auguſti Regis, quibus de Priuilegiorum, iurium & libertatū noſtrarum rationibus in quartum vſque annum actum, & iuramenti etiam præſtatio tantiſper dilata, ſed propterea de fide & ſubiectione noſtra nō dubitatum, neque armis decertatum fuit, quēadmodum nunc, pròh dolor, præter meritum noſtrum, cum harum Terrarum & huius Ciuitatis calamitate atq; exitio fieri videmus. Sed eam adhuc ſpem in ſingulari clementia ac manſuetudine Sac. R. Mtis veſtræ ponemus et defigemus, futurum vt nos hoc belli terrore quam primum liberet, & fidelium ſubditorum ac clientum numero, cum conſeruatione iurium ac Priuilegiorum noſtrorum, habeat.

Ad militis miſſionem & pacatam reddendam Ciuitatem quod attinet, id quoque, quēadmodum antehac per Internuncios noſtros oſtendimus, facere in animo habemus, modo pſens armorū ſtrepitus auferatur, & id nobis per temporis & calculi rationes facere omninò liceat.

Neq; videmus quid amplius eo nomine polliceri poſſimus, cum neceſſum ſit, vt tempus vniuſcuiuſq; ſtipendio conſtitutum præſtolemur, æs ad eam rem apprimè neceſſariũ colligamus, & rationes ex integro conferamus. Id vbi per ſupradictas rationes fieri poterit, nihil habebimus potius aut antiqui⁹, q̃ vt militem prima opportunitate data mittamus, & Ciuitatem eo onere liberemus. Neq; quidq̃ erit ea in re periculi, cum ſubiectionem noſtram, ſaluis iurib. & Priuilegijs noſtris Sac. Mtī veſtræ R. humillimè deferamus, & fidelitatis iuramentum, rebus omnibus controuerſis ritè compoſitis, præſtare cupiamus. Certò ſperantes, Mtēm veſtram R. nos ad impoſſibilia, quorum ipſo iure nulla eſt obligatio minimè addacturã, ſed nobis ſuæ Regiæ gratiæ atque clementiæ certam ſpem benigniſſimè facturam eſſe.

Quod etiam portas Ciuitatis pandere, & Mtēm veſtram R. cum ſuo milite vehementer exacerbato, intromittere iubemur, id nõ ſperamus Sac. Mtēm veſtram R. ſtrictè à nobis poſtulaturam, cum inter id & vt nos arbitrio Mtīs veſtræ R. permittamus, nullam videamus differentiam. Atq; inde nihil aliud colligere poſſumus, quam vt non tantum iura, Priuilegia & libertates noſtras, ſed etiam cum vxoribus et liberis omnes fortunas noſtras extremo periculo exponamus, Cuius rei diuerſum prorſus ſenſum, & ex relatione Internunciorum noſtrorum, & ſummiſſis ſecuritatis literis humillimè percepimus, q̃ certã

ſpem.

ſpem gratiæ Regalis nobis facere iubebant. Si itaque certa ſpes gratiæ nobis offertur, cur non etiam Priuilegioru͂ & iurium confirmatio illius gratiæ certum argumentum atq; inditium? Sed nihil dubitabimus, Mte͂m veſtram R. ea re minimè offenſam iri, quod iurium Priuilegiorum, coniugum, liberorum atque omnium deniq; fortunarum noſtrarum æquam rationem habeamus, Quin humillimè confidimus Mte͂m veſtram R. ea in re nobis ſuam gratia͂ clementiſſimè facturam, & eas rationes benigniſſimè inituram eſſe, quibus omnes enatæ difficultates cum hoc belli terrore auferantur, & nobis in gratiam Mtis veſtræ ſuſceptis, proſcriptionis Decretum, cum omnibus & ſingulis offenſis atque incõmodis, per Dei gratiam, tollantur, ſopiantur atque complanentur: Quod vt Mtãs R. cleme͂tiſſimè faciat, iterum ac iterum demiſſiſſimis precibus humillimè rogamus, Et nos ita quoque comparabimus, vt et Mtãs R. & omnes mortales ſentiant, nos nihil aliud qua͂ cõmunem tranquillitatem quæſiuiſſe, & fidelium ſubditorum officio perfungi voluiſſe. Nihil ambigentes, quin Sacra Mtãs veſtra R. certam ſpem ſuæ gratiæ & clementiæ tacitis noſtris votis cleme͂tiſſimè additura ſit, ne cogitationes noſtras aliò quam ad debitam fidem & ſubiectionem noſtram Mti veſtræ R. humillimè præſtandam conuertere cogamur. Cui nos etiam atque etiam ſumma animoru͂ demiſſione reuerenter & quam poſſumus humillimo ſtudio cõmendamus. Deum ardentiſſimis votis pre-

cantes

cantes, velit Sac. Mtẽm veſtram Regiam ad nominis ſui diuinam gloriã, Reipublicæ ſalutem, & omnium noſtrorum Mtis veſtræ fidelium ſubditorum conſolationem, q̃ diutiſsimè ſeruare incolumem, & optatiſsimis acceſsionibus florentiſsimam. Datum Gedani die viij. menſis Iulij Anno Dominj M. D. Lxxvij.

Sereniſsimæ R. Mtis veſtræ
fideles & humillimi
ſubditi
Proconſul, Conſules, Scabini,
Centumuiri & tota cõmunitas
Regiæ Ciuitatis Gedanẽ.

AD has literas Reſponſum allatum eſt aliquorum Senatorum & officialium tale quale ſequitur.

Reſponſum Senatorum ac Officialium Regni Poloniæ, Magni Ducatus Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ &c. ad literas à Proconſulibus, Conſulibus, Scabinis, Centumuiris ac Communitate Ciuitatis Gedanenſis ad Sac. Reg. Mtẽm miſſas.

ALlatæ ſunt heri ad Sac. Reg. Mtẽm, Dominũ noſtrum clemẽtiſs: veſtræ literæ viij. die Iulij ſcriptæ. Miramur vos identidem ea ſcribere, ad quæ iam non ſemel vobis reſponſum eſt. Quid poſtremò etſi læſa tot. es Reipub. læſa Mtẽ ſua, à vobis Sereniſs: Rex voluerit, abunde

abunde vobis per Legatos declarauit. Ac quod ad ipſius clementiã, in tantis veſtris criminibus, erga vos orbi Terrarum demonſtrandam attincat, promiſit ſaluos vos, cõiuges, liberos, fortunas veſtras fore, ſalua etiam iura, ac rationes augẽdarum veſtrarũ facultatũ, ac Iuriſdicundi. Hoc ſolum prouiſo, ne Ciuitas in poſterum ſtatu illius, vt nunc, opera aliquorum turbato, ad eandem inſolentiã & ingratitudinẽ erga Regnum demonſtrandã adduci poſſit. De Religiõe cauſari vos nihil neceſſe eſt, cum de ea ſemp vobis caueatur. Confirmatio etiam Iurium, quæ, vt ſcribitis, à Maioribus veſtris vobis per manus tradita ſint, & in quorũ vſu vobiſcum vltrà memoriã hominum fuerĩt, vobis non negabatur. Quid igitur cauſamini, eius obtinẽdæ grã vos arma ſumpſiſſe? Aut num ea à fidelib. ſubditis Regni armis fuit extorquenda? Armis ne à Maioribus veſtris Iura & Priuilegia extorta, nõ fide, obſequio emerita ſunt? D. Maximiliani Cæſaris et Sereniſs: Regis electionẽ quod attinet, in eo vos omnium Ordinũ ac Terrarũ Regni, & ipſius Pruſſiæ conſenſum ſequi oportuit. Separatim huic tantum Ciuitati ſibi Regem creare non licuit. Verum cum D. Maximilianus iam fatis cõceſſiſſet, memoria repetite, q̃ etiam pòſt multa hoſtiliter erga Mtẽm R. et Regnum admiſeritis. Pro criminib. autẽ tam hiſce q̃ prioribus, quomodo R. M. et Regno etiãnum ſatiſſaciatis reputate. Ne militem quidẽ dimittere, aut pacatã reddere Ciuitatẽ vultis, niſi longo poſt ĩteruallo, vt vobis denuò ſtatim, ſi velletis, liberius deluſa R. M. ac Repub. ſpe pacandæ eius, ac exauctorãdi militis inſoleſcere liceat. Addi-

Additis præterea Regiæ Mtī portas vos non aperturos, An hoc in Priuilegÿs veſtris vſquā reperitur? reperitur de lautÿs in vrbe regi & aulæ præbendis, non de Rege excludendo, An in conſuetudine fuit? Nemo Regum Poloniæ iam ab initio, qui voluit, Gedanū non eſt ingreſſus, & honorificè exceptus.

Cum Sereniſſ: Rex caueat ſaluti veſtræ ac veſtrorum & fortunis, nonnè aliæ rationes, ne vobis à quo priuatim vis aut damna inferantur, reperirentur à Maieſtate Regia? An non aliundè q̄ ex indignitate Regiæ Mtīs, contra & veſtra & oīa diuina ac humana Iura, & cōtra morem Maiorum petētur? Quibus vero damnatis, ſalus, fortunæ, Iura earum augendarum, Iuriſdictio conſeruatur, Quiq̄ ad iuſiurandum accerſuntur, an non illis tacitè promittitur obliteratio ſententiæ læſæ Mtīs, & non etiam apparet ſuis modis cōuinientibus Iuri publico Regni, dum ad Iuſiurandum accederitis, eam ſententiam tollendam eſſe neceſſario, vt ſi nō vobis, certè Regno pſpiceretur. Deſinite igitur verbis & Regiam Mtēm & nos ducere, cum veſtræ mentes longè diuerſæ ſint, cum longè diuerſa moliamini. Quando vos verbis & ſtudÿs & factis, errore cognito, ad officiū redire profitebimini, certā ſpem de grā R. Mtīs, de noſtris ſtudÿs in petēdo pro vobis concipere poteritis, Tractando & verbis ludendo nihil efficietis. Datum in Caſtris ad Gedanum die xiÿ. menſis Iulÿ Anno Dnj M. D. Lxxvÿ.

Ad

AD eas literas, quæ nomine quorundam Senatorum ac Officialium, qui tum in caſtris ad vrbem fuerunt, id enim & inſcriptio, et quindecim Sigilla adpreſſa, quanquam nullius nomen ſubſignatum eſſet, demonſtrabant, editæ ſunt, & præter expectationem omnem fermè reconciliandæ pacis ſpem præcidere videbantur, Ordines neceſſario adducti ſunt Ciuitatis rationes, vti par eſt, explicare.

AC primum quod illi ſcribunt, mirari ſe nos identidem ea ſcribere, ad quæ iam non ſemel nobis reſponſum ſit: certè nos itidem non miramur modò, ſed vehementer etiam dolemus, quod ſæpius eadem & æquiſſima & iuſtiſſima petendo, non æqui non iuſti quicquam crebris precibus impetrare potuerimus. Quid iam indè ab initio toties à nobis humillimo ſtudio petitum ſit, multæ literæ noſtræ, multæ legationes, multæ ſupplicationes abundè teſtantur. Nimirum vt ſaluo Religionis vſu, libertates, Iura & Priuilegia ſarta tecta nobis eſſent, vt quicquid ex electionis diſſidio fuiſſet ortum, nemini periculo vel fraudi foret, vt grauamina contra ius faſque irrogata abolerentur. Quæ cum meram æquitatem cõtineant & alijs itidem præſtita ſint, haud improbè videri poſſunt, etiam à nobis (hoc præſertim dubio rerum ſtatu) fuiſſe præcipuis votis deſiderata.

Quid iam poſtremò Legati Regiæ Mtis attulerint,

R non

non ſine dolore cõmemoramus. Verbis quidem gratiã Regiam & clementiam ſummam, reipſa autem Priuilegiorum & libertatis adeptionem. Vt iam taceamus, minas ab ipſo cõmunis humanitatis ſenſu vehementer alienas, quas ex Legatis vnus, multis audientibus, protulit, vrbe capta non ſolum infantes à cæde futuros haud immunes: ſed nec illos quidem, quos adhuc ipſa natura à viuentium iniurijs grauidæ matris clauſtro protegeret. Quatenus hæc conueniant cum illorum promiſsione, qui ſaluos noſmet, coniuges, liberos ac fortunas ex Regia clementia fore ſcribunt, quis non intelligit? Noſtri, coniugum, liberorum ac fortunarum cura non immeritò magna nobis eſt, eritq́ quamdiu Deus volet. Priuilegiorum autem, & à Maioribus acceptæ libertatis eò certè maior, quod his poſterorũ etiam cauſa vel maximè ſit proſpiciendum. Læſæ vero Regiæ Mtis eò minus conſcij nobis ſumus, quod eius clementiam humillimis potius obſequijs demereri, quam vllo grauiori dicto vel facto lædere, ſemper in animum induximus.

Addunt etiam Iura noſtra ſalua nobis futura. Quid Iurium appellatione ſignificẽt, apparet ex alijs alibi clarioribus argumentis. De Priuilegiorum autem & libertatum indemnitate, quorum cauſſa nunc potiſsimum agitur, nullo in toto iſthoc reſponſo mentionem fieri, non poteſt nobis non eſſe magnoperè ſuſpectum. Nam de rationibus augendarum facultatum quod ſubijcitur, quale

tandem

tandem eſſe videri poteſt, emporio iampridem peculiarib. literis tranſlato, & cõmercijs cum ſummo Ciuitatis detrimento, cõtra maiorum morem, inter exteros cõmunicatis? Vt taceamus quantæ pecuniariũ ſummæ, præter maximas alias impenſas, placationis nomine fuerint à nobis poſtulatæ, quæ penè facultates omnes excedunt. At profectò nihil minus quam de rationibus facultatum noſtrarum augendis cogitatum fuit, cum non ita pridem molibus in Viſtulam cõiectis, de flumine penitus auertendo, & vſu nauigationis eripiendo, conſilia videmus ſuſcepta, quo pacto non portus ſolum noſter inutilis erit, ſed mercium defluitatio pleriſque Regni incolis planè pernitioſa. Quam vero Iuriſdicundi rationem ſaluam Ciuitati futuram pollicẽãtur, ipſa verba ſatis oſtendunt, quibus inquiunt: hoc ſolum prouiſum iri, ne Ciuitas in poſterum, ſtatu illius, vt nunc, opera aliquorum turbato, ad eandem inſolentiam & ingratitudinem erga Regnum demonſtrãdam adduci poſſit. Quibus in verbis primum vetus illud iterari denuò videmus, vt in aliquorum operam rejciatur, quod omniũ conſenſu pro publico Ciuitatis cõmodo, pro tuendis Priuilegijs & libertatibus publicis geſtum fuit. Ex hoc fundamento proceſſit illa, de qua ſæpius alias dicimus, iam fermè decennalis Cõmiſſio: hinc aliquorum ex magiſtratu calamitates: hinc illa diſtractio Ciuium, vt ij qui Regiæ M^tis partes fouerent, extra Ciuitatem intra certum tempus euocarentur. Nec aliud fermè grauius telum vnq̃ ab

aduerſarijs vſurpatum meminimus ad euertendam Ciuitatis libertatem, quam diſſenſionis inter Magiſtratum et cæteros Ciues concitandæ ſtudium. Nec quicq̃ ad eam rem aliud maiorem vim habiturum ſemper exiſtimarunt, quã vt totius cuiusq; rei culpa in paucos tranſlata, populus in partem iret à Magiſtratu diuerſam. Deinde quod prouidendum aiunt, ne Ciuitas in poſterum ad eandem inſolentiam & ingratitudinem erga Regnum adduci poſſit, in eo certè non modò non obſcurè oſtendunt, quid de Ciuitatis ſtatu deinceps ſperandum ſit, quantum in illis eſt: ſed etiam iniuria non mediocri nos omnes afficiunt. Inſolentiam enim vocant, quod libertates & Priuilegia noſtra ſalua & illibata nobis eſſe cupimus, proq; tuendis illis laborem nullum refugimus. Enimuerò ſi Priuilegiorum & libertatis defendēdæ ſtudiũ ad inſolentiæ vitium trahendum ſit, vix quisq; erit ex omnibus ſtatibus & Ordinibus totius Regni, qui crimen hoc effugere poſſit. Ingratitudinem verò Maiorem noſtrorũ merita, quorum opera potiſſimum Pruſſia Regno acceſſit, per ſe, nobis etiam tacentibus, ſatis diluunt. In cuius acceſſionis initio, cum illuſtris ſit cæterorum Prouinciæ ſtatuum memoria, Ciuitatis huius operam egregiè nauatam, Annales publici ſilentio minimè prætereunt. Ac vt nihil aliud magnificè de Maioribus noſtris dicamus, illud ſaltem hiſtoriæ loquuntur, niſi ab vltima obſidione Mariemburgēſi Ciuitas hæc ſtipendium præſidiarijs militibus confeciſſet, Diuo Caſi-

miro

miro de retinenda Pruſsia fuiſſe periclitandum. Quàm fidelem operam eodem bellò cæteris in rebus præſtiterint, Priuilegiorum diplomata, & plures eiuſdem Caſimiri literæ ſatis ſuperq́; teſtantur. Per centum & viginti tres annos nullum obſequij debitum genus, nullum humilitatis ſtudium, erga Sereniſs: Reges & Regnum ſcimus prætermiſſum. Neque noſmet in hunc vſque diem cōmeritos confidimus, vt ingratitudinis notam iure nobis pertimeſcendam exiſtimemus. Viciſsim autem non immeritò conqueriniur, ſucceſſu temporis libertates interim & Prouīciæ totius & noſtras varijs modis imminutas, iura manifeſtè violata, Priuilegia vt plurimum euerſa fuiſſe. Quæ cum alibi prolixius recenſita ſint, nunc illud vnicum non ſine mœrore ſummo recordamur, quod ad Diuum Maximilianum Imperatorem auguſtiſsimæ recordationis anno ſuperiori miſsi Legati, qui Regnum eius Maieſtati deferrent, inter cætera poſtulaſſe dicuntur, vt in tribus maioribus Pruſsiæ Ciuitatibus, exemplo minorum, Capitanei conſtituerentur. An non apertè hoc aduerſatur Priuilegio, quo cautum eſt, ne intra quinque milliaria in cōfinio Ciuitatis, arcem ſeruitutis iudicium extruere liceret? Quo certè pacto non videmus, quatenus vel libertatis ratio nobis conſtare poſsit, vel Priuilegiorum ſecuritas. Cōfirmationem deinceps Iurium (Nam de Religione, cuius liber nobis vſus iam conceſſus eſt, nihil amplius ſiniſtrè cauſamur) non negatam nobis referunt. Eius rei præcipuum

 argumentum

argumentum eſt, quod exemplum Confirmationis in latiſsima forma tranſmiſſum ad nos fuerit, In quo quid nō iniuria deſideremus, alibi copioſius explicauimus. Iuramentum certè Regium, nouo more introductum, quo ſalte in ijs Priuilegijs proſpicitur, quæ Iuribus vtriuſq; gentis Polonicæ ſcilicet ac Lithuanicæ non ſunt contraria, nobis cordi & cautioni fuiſſe, quis iure tandem improbabit? Præſertim cum nec cæteri quidem harum Terrarum Status eius Iuramenti declarationem, qua Iurib. illorum ſpeciatim caueretur, literis publicis impetrare potuerint. Nec eſt quod tantoperè confirmationē Iurium nobis oblatam prædicent, cum aliæ ſimul conditiones adiectæ fuerīt, nec honeſtæ nobis, nec omnino per rerum naturam poſsibiles, vt his non impletis, ne Priuilegiorum quidem cōfirmatio fuerit expectanda. Grauamina verò palàm Priuilegijs irrogata, cum non aboleantur, quem vſum habebūt Priuilegia? Res vtique planè ſunt contrariæ Priuilegia & grauamina, his non emendatis, illis frui nullo modo poſſumus. Nec certè cenſuram vel decreta Comitiorum, in ijs dijudicandis, ſine ſummo Iuris noſtri præiudicio, credimus admitti, quandoquidem Maiores etiam noſtri, paulò ſuperioribus annis noluerint de ſtatu & libertatibus ſuis iudicio contendere cum quoquam, nec eorum ſubire cognitionem, quorum ſuperioritatem non agnoſcerent, Solum enim Regem & Dominum, et vnum libertatis ac Iurium tutorē habebant, alios iudices vel arbitros vel in-

terpretes

terpretes Priuilegiorum ſuorum ferre non tenebantur. Ac Diuus Sigiſmundus inter eiuſmodi controuerſias, in publicis conſilijs nō ſemel dixit: Prutenos ſuos eſſe ſubditos, eorum ſe non minorem, q̃ cæterorum Ordinum Regni curam habere, Iura & Priuilegia eorum ſalua & illibata ſe per omnia velle, iubereq́. Proinde cum Maiores noſtri ſuæ libertatis obtinendæ gratia, ſexdecim annos cōtinuos pro Mtē Regni Poloniæ bellum ſuis ſumptibus geſſerint, & deinceps Sereniſſ: Regibus fidem & obſequium ſumma ope perpetuò præſtiterint, vnde illorum merita Sereniſſimorum Regum liberalitas in Priuilegijs indulgendis ſecuta eſt, nos etiam nihil contra fidem admittimus, cum ſaluo obſequio Regiæ Mtī debito, libertates et Priuilegia noſtra, Maiorum fortuna ac virtute parta, pro virili tueamur: præſertim cum nec literas ſaltem Reuerſales, quib. de Iurium indemnitate nobis idoneè caueretur, hactenus vllis precib. conſequi potuerimus. Quod ad electionis Regiæ diuerſitatem attinet, nunq̃ à Reipub: conſenſu nos ſeiunximus, Iurium ſaltē cautionē deſiderauimus. Nec profectò quicq̃ eſt amplius in hac vniuerſa cauſa, quod in nobis reprehendere iure poſſint, niſi quod diutius q̃ alij, conſtantius etiam fortaſſe Diui Maximiliani partes ſecuti ſimus. Eius rei quas cauſas habuerimus, alibi copioſius oſtēſum eſt. Poſt Coronationem autem Reg. Mtis, poſt aduētum eiuſdem in Pruſſiam, nihil aliud vnquā petiuimus, quam quod illi ipſi, qui nos incuſant, quēlibet Principem ſubditis ſuis ex officio Regio debere palàm aſſueuerant:

Veruntamen

Veruntamen his obiter prætermiſsis, memoria nos repetere iubent in eo reſponſo, q̃ etiam pòſt, cum Diuus Maximilianus iam fatis conceſsiſſet, multa hoſtiliter erga Maieſtatem Regiam et Regnum admiſerimus. At verò prius bona cum illorum gratia nobis repetere liceat, quam præcipitanter, dum in viuis adhuc eſſet Pientiſsimus Imperator, harum rerum ergô, nobiſcum actum fuerit, ex quo fonte cætera, de quibus nunc maximè laboramus, omnia defluxerunt.

Menſe Septembri ſuperioris anni venerant huc Legati, poſtulantes à nobis Iuramentum, quod Principi deberemus. Non detrectauimus officium facere, modò Iurium & Priuilegiorum indemnitas rectè p̃ſtaretur. Non prætendimus nos partes Cæſareæ Maieſtatis adhuc tueri: ſed conſenſum vniuerſi Regni ſecuturos diſertè profeſsi ſumus: Legati ne quidem reſponſum noſtrum acceptare voluerunt, quod ad Regiam Mtē̃m, eo, quo ſcriptum erat modo, referrent. Mox literæ Citationis editæ, quibus læſæ Mtīs & Rebellionis crimen, verbis ad ſummam ignominiam pertinẽtibus, nobis impingebatur. Ante diem edicti cedentem direptiones pagorum cæptæ ſunt, & arma protinus illata. Vix dum nobis in tanta tamq̃ ſubita rerum perturbatione, quid faciendum eſſet, circumſpicientibus, Proſcriptionis decretum, indicta etiamnum cauſa tam feſtinanter promulgatur, vt penè prius irruptionem & cædem in minori Inſula factam audiremus, quam nos pro-

ſcriptos.

ſcriptos certò cognouiſſemus. Si tum viuo Cæſare, neq; re tranſacta, pertinacius communi conſenſui reſtitiſſemus, fidei potius in Cæſarem, vtiq; Regem ſolenniter electū nimis propenſæ, q̃ vllius rebellionis vitio tribuendum fuiſſet: Verum cum expreſsè partes eius deſereremus, & ad Regni cõſenſum cõmunem accederemus, quid erat cauſæ, cur Proſcriptionis decreto nos à Regni corpore, tanq̃ inutile membrum, tam feſtinanter, vix intercedente quinque dierum ſpacio, non auditos, nedum conuictos abſcinderẽt, & omnium iniurijs exponerent? Ab eo tempore cum omnia hoſtilia indies magis ac magis experiremur, cum cædes, incendia, rapinæ, deuaſtationes circa vrbem non ſecus ac in hoſtico fierent, interim Internuncij noſtri ne iure quidem gentium frui poſſent, Vrbs demum & portus arctiori obſidione cingerentur, ac per multos dies tormentorum fulminib. oppugnarẽtur, et æquiſsimis quibuſcunq; petitionib. planè reiectis, cædes & excidium nobis omnibus, liberis, coniugibus apertè proponerẽtur, quid mirum eſt nos de tuenda Ciuitate, de conſeruandis tot hominum millibus, de propulſando patriæ excidio iam ceruicib. imminente, naturali ſaltem modo cogitaſſe, nec hoſtes intra portas recipiendos exiſtimaſſe? At hoc in Priuilegijs noſtris nunq̃ aiunt reperiri. Verum hoc eſt. Nunq̃ enim Sereniſs: Reges, qui Priuilegia nobis dederunt, impellentib: ſaltem aduerſarijs, ad Vrbem oppugnandam acceſſerunt. Neque nobis vnq̃ aliud fuiſſet propoſitum q̃ Reg. Mtẽm,

quandocunq; Ciuitatem ingrederetur, honorificentiſſimè excipere, præbitisq; lautijs fidem & obſequium æquè ac Sereniſſimis Anteceſſoribus humillimo ſtudio præſtare, niſi iam antea Ciuitatis rationibus nondum omnino cognitis, aduerſariorum impulſu, palàm pro hoſtibus habiti & aperto bello petiti fuiſſemus.

Quæ vero ſequuntur in eo reſponſo verba, quod cum caueatur ſaluti & fortunis noſtris, alias quoque rationes reperiri potuiſſe, ne nobis à quo priuatim vis vel damna inferrentur. Non intelligimus qualis ſit iſthæc cautio fortunarum & ſalutis, cum de Priuilegijs & libertatibus, ſine quibus vitam & fortunas nihil moramur, ne verbo quidem cautum ſit. Atqui nunc in eum ſtatum res deuenerunt, is nunc eſt vtrinque animorum habitus, vt non immeritò & Priuilegiorum cautionem, & damnorum ac offenſionum abolitionem certàm & expreſſam tàm publicè quam priuatim deſideremus. Hanc non aliunde quam à Regiæ Mtis perpetua clementia petendam exiſtimauimus, neque cum eius indignitate, vel Iurium quorumuis aut morum abuſu coniungendam. Quod autem ſubijcitur, damnatis ſalutem, fortunas, iura earum augendarum & iuriſdictionem conſeruari, non ſanè magnam ſalutis ſpem oſtendit. Damnatum quempiã dici, qui nunquam in iure ſit auditus vel conuictus vehemẽter iniquũ putamus. Quibus autem quaſi damnatis ſalus & fortunæ ex mera fortè gratia relinquuntur, eos non

fidei

fidei ſolum exiſtimatione laborare didicimus, ſed etiam Iurisdictione, Priuilegijs & libertatibus iſthoc reſponſo penitus priuari manifeſtè videmus. Parum igitur refert, obliterationem ſententiæ Mtis tacitè promitti, vel ſuis (neſcimus quibus) modis abrogari, præſertim quod inquiunt, vt hoc modo, ſi non nobis, certè Regno proſpiciatur. Quo nihil magis appoſitè dici poſſe videtur, vel ad confeſſionem perduellionis à nobis exprimendam, vel ſeruitutem vtraque manu ſuſcipiendam. Sanè libertatem à Maioribus acceptam deſerere durum: tanti vero ſceleris edere confeſſionem, etiam ignominioſum eſt. Conſequitur ergo verbis quidem eius reſponſi, gratiam, ſalutem, fortunarum abundantiam promitti, reipſa periculum famæ, exiſtimationis & libertatis manifeſtè proponi. De fide noſtra profectò nihil illis dubitandum erat, quam tot rerum argumẽtis comprobatã etiã nunc nõ ignorant: Vtinam idem illis animus fuiſſet, in conſeruandis Iuribus & libertatibus noſtris, qua cõditione Maiores noſtri ad Regnum acceſſerunt, qui nobis ſemper fuit, & adhuc eſt, ad fidem Regiæ Mtı̃ ſyncerè præſtandam, & obſequium omnibus inclyti Regni Senatoribus cõteſtandum, nunquam in has calamitates, quarum adhuc finis non apparet, deueniſſemus.

Ex his omnes mortales intelligunt, quam ſpem rerum componendarum ex eo reſponſo, quo de loquimur, animis concipere potuerimus. Neq; certè perſuadere nobis

poſſumus communi Dominorum Senatorum calculo iſthæc fieri, ſed, quod certè comperimus, paucorum potius conſilio, in ſummam noſtri inuidiam, excogitari. Tantum abeſt, vt ex voluntate Sacræ Reg. Mtis ea proficiſci credamus. Nobis vti nihil vnquam magis curæ fuit, quã æquis & tollerabilibus rationibus pacem recuperari, nec ideo quidq̃ in fide, in officio, in facultatibus & æquitate poſitum detrectauimus: Ita ſalua Regiæ Mtis dignitate, libertates, iura, Priuilegia noſtra ſalua nobis vt relinquerentur, ſumma cum æquitate debitoq; ſubiectionis ſtudio ſupplicauimus, neq; nunc aliud ſupplicamus. Enimuerò ſi iampridem proſcripti, abſentes damnati, à Regni cõmunione palàm repulſi, nos ad alia conſilia conuertiſſemus, iure nemo nos, vt opinamur, reprehẽderet. At cum armis hoſtiliter oppugnati ſimus, cum extrema nobis, liberis, cõiugibus & fortunis intenta fuerint, fidem ne nunc quidẽ mutamus, eundem; quem ſemper habuimus, animum coniunctionis cum inclyto Regno, more Maiorum amplectẽdæ conſtanter retinemus, digni modò cenſeamur, qui ſaluis iuribus & libertatibus, eodem loco, quo noſtri Maiores, habeantur. Quod ſi ne nunc quidem æquiſsimis precibus noſtris locus relinquitur; quid tandem faciendum ſit, Neceſsitas ipſa rerum omnium magiſtra, fortaſſe viam inueniet. Rebus enim vtcunque in impedito loco hærentibus, etiamſi in hominibus parum opis videatur, de diuino tamen auxilio deſperare nefas eſt.

Quare

QVare cum omnes & ſinguli cuiuſcunque Status ac conditionis homines videant, nos hactenus in nobis nihil deſiderari paſſos fuiſſe, iterum ac iterum deuotiſsimis precibus, demiſsè, diligenter ac reuerenter oramus & obteſtamur, dignentur auctoritatem & operam ſuam interponere, vt res hę ſatis iam, pròh dolor, perturbatę ad pacificum tandem ſtatum reducantur, & omnes enatæ difficultates bonis & æquis cōditionibus ſopiantur & complanentur. Dominos vero Regni Senatores et officiales etiam atque etiam perquam reuerenter hortamur & diligentiſsimis precibus oramus, vt & nobis & totius Regni tranquillitati quam optimè benigniſsimeq; conſulant, & animum Regiæ Maieſtatis ad Regni potius hoſtes oppugnandos quam ſubditos conterendos reuocent, neque pati-

antur vt paucorum arbitrio vel conſilijs membrum hoc, nunquam de Regno malè meritum, ad nihilum redigatur, DEVS faxit vt omnibus animorum offenſionibus reconciliatis, bonaque cum gratia, ſincera fide rebus compoſitis, pax certa perpetuaque nobis & omnibus Regni incolis quamprimum reſtituatur. Datum Gedani menſe Auguſto, Anno à Chriſto nato ſupra Milleſimum, Quingenteſimum, Septuageſimo Septimo.

SIT PAX ET VERITAS IN DIEBVS MEIS.